DE VERITATE CORPORIS ET SANGVI-nis Domini noſtri Ieſu Chriſti in Sacroſancta Euchariſtiæ Sacramento,

Cum refutatione diuerſarum circa hoc hæreſeon, Authores vetuſti, vitæ ſanctimonia ac eruditione inſignes: iam ſecundò ad veterum Exemplarium collationem, ab innumeris mendis repurgati, cura & ſtudio Ioannis Vlimmerij Prioris Canonicorum Regularium apud Diuum Martinum Louanij.

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. inscr.

Horum catalogum verſa pagina videbis.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

LOVANII
Apud Hieronymum VVellæum. An. 1561.
Cum Gratia & Priuilegio Regio ad ſexennium.

CATALOGVS AVTHORVM.

D.Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarieñ.
D.Guitmundus Archiepiſcopus Auerſanus.
D.Algerus Monachus Cluniacenſis.
D.Petrus Vener. Abbas Cluniacenſis.
D.Adelmannus Epiſcopus Brixienſis.
D.Iuo Carnotenſis Epiſcopus.

Per Ioannem Vlimmerium à multis mendis vindicati, & vetuſtorum exemplarium ſubſidio aucti: qui ſi viderit operam ſuam ſtudioſis gratam, tum & alios his vetuſtiores eiuſdem argumenti, quos maximo labore caſtigauit, in horum vtilitatem eſt euulgaturus.

PRIVILEGIVM.

Literis Regijs cautũ eſt, ne quis præter Hieronymum VVellæum, Authores De veritate Corporis & Sãguinis Domini in Euchariſtia, videlicet Paſchaſium, Fulbertum, Lanfrancum, Guitmundum vel Algerum imprimat, aut alibi impreſſos hiſce in regionibus intra annos ſex proximos diſtrahat: qui contra fecerit, pœnis ex ſanctione mulctabitur.

Datum Bruxellæ Anno 1560. Nouembr. 26.

I. de la Torre.

AD CHRISTIANVM ET CATHOLICVM LECTOREM.

HAud ſatis ſcio Chriſtiane Lector, an quicquam peſtilentius aũt fuerit vnquam aut eſſe poſſit, quàm execranda eorum impietas, qui veritatem Corporis & Sanguinis Domini in ſacroſancta Euchariſtia, quã tot iam retrò ſeculis Catholica docet Eccleſia, ſumma temeritate abrogare contendunt. Quid enim boni poſthac de rebus humanis ſperare licebit, ſi ſemel obtineãt homines perditiſſimi quod moliuntur, vt ſcilicet è medio tollatur, id quo nihil vnquam ad noſtrarum animarum medicinam præſentius nobis largita eſt pietas diuina: quodq́; vnicum eſt piarum mentium in hac calamitoſa vita ſolatium, vnicum animæ robur, atq; viaticum, & quo vno tanquam vnius capitis membra in mutuum amorẽ coaleſcimus? Et tamen vt infelici hoc tempore, ita ſuperioribus quoq; ætatibus non defuere, qui hoc tam eximio ac ſalutari bono nos ſpoliare conati, in rem ſanctiſſimam, vtiliſſimam, & modis omnibus adorandam, viroſos dentes defigere non exhorruerũt: quorum omnium inprimis ſua ætate nocentiſſimus fuit Berengarius ille Andegauenſis Eccleſiæ Diaconus, cuius ſceleratis conatibus & vertiginoſæ ſententiæ à quàm plurimis cùm eruditione, tum ſanctimonia præclaris viris ita obuiam itum eſt, vt horum argumentis rationibuſq́; ceu validiſſimis arietibus profligatus, ſemel iterumq́; ad eorum palinodiam quæ impiè ante do-

Berenga. Prima palinodia Berengarij habetur infra fo. 3.31.147. Poſtrema fo. 231.

euerat impelleretur. Acerrimos ſiquidem in hac palæſtra & lõge exercitatiſſimos habuit antagoniſtas, qui omni armorum apparatu inſtructi, cõmmunis fidei hoſtem incredibili celeritate confecerunt.

D. Lanfrancus. *Primus verò qui cum eo in harenam deſcendit, Lanfrancus fuit, Cantuarienſis Eccleſiæ in Anglia Archiepiſcopus: vir ſanè talis, vt neſcias quid in eo primùm admireris, inſignemné ac raram eruditionem, an eximiam vitæ integritatem: qua multorũ teſtimonio adeò celebris habebatur, vt è monaſtica & ſolitaria vitæ ratione, ad ſummum Anglicanæ Eccleſiæ faſtigium fuerit euocatus: ne præclarũ videlicet Eccleſiæ lumen tanquam in vmbra ac ſub modio latitaret, ſed in ſublimiorem ſpeculam ſublatum, denſas errorum tenebras ſuo ſplẽdore diſcuteret. Virum porrò illum fuiſſe multæ lectionis, & in literis ſacris probè exercitatum, vel vnicus hic contra Berengarium liber luculentiſſimè oſtenderit.*

Neq; porrò aut huic aut alijs de quibus mox agemus, fraudi eſſe debet, aut vicio verti: quòd multas ſanctorum Patrum ſententias ſuis hiſce libris infarſerint, perinde quaſi adeò ſterili ieiunoq; ingenio fuerint, vt ſententias iſtas tanquam panniculos in centonem conſuendos emendicare coacti ſint: Nam ſi quid hic culpæ, ea tota Berengarij eſt: qui Patrum ſcriptis aut perperam intellectis, aut peruerſa temeritate in alienũ ſenſum detortis, errori ſuo huiuſmodi ſutelis patrocinium adferre conabatur. Iſtis igitur pernecessarium fuit ea retexere, vt clauum clauo retunderẽt, & aduerſarium ſuo quaſi mucrone confoderent. Eſt enim hic familiaris hæreticorum mos, vt ſanctorum Patrum ſententijs ſuas

ſuas copias inſtruant, quo ceu grauiori ac validiori auctoritate, ſimplicioribus animis facilius imponant, & aduerſarios grauius premere videãtur. Quanquam illud ſanè dolendũ, hoſce tam egregios viros, de quibus nunc agimus, ea vixiſſe ætate, quæ Græcarum literarum prorſus tum erat rudis: hinc enim accidit, vt non niſi perpaucorũ Græcorum libros euoluerint, qui tum ab hominibus neq; Græcè neq; Latinè doctis in Latinum ſermonem peruerſi verius quàm conuerſi habebantur: quum iam nemini non exploratum ſit, vel tenuem Græcæ linguæ cognitionem aſſequuto, quantum illis telorum ex illorum armamentarijs contra hoſtilem cõtumaciam ſuppeditari potuiſſet. Quid enim non ex Chryſoſtomo aureo illo eloquentiæ flumine hauriri poteſt? Quanta eius viri vbiq; erga Euchariſtiam veneratio, quæ religio, quæ reuerentia, quis denique horror, vbi de eius vel vtilitate vel dignitate ſibi loquendum videt? Taceo magnum illum Baſilium, Nazianzenum, Cyrillum, Theophilactum; Damaſcenum cæteraq; Græcæ Eccleſiæ præclara quondam lumina, ne in re manifeſta plus æquo videar immorari.

Venio ad Guitmundum, cui ſecundum in hoc certamine dedimus locum, quod & Lanfranco in ſacris ſtudijs vſus ſit præceptore, & ipſe quoque ob inſignem vitæ pietatem & eximiam humanarum ac diuinarum literarum cognitionem, ex Benedictino inſtituto ad Auerſanæ Eccleſiæ culmen ſit euectus. Cuius quoque libellum alterum quem antiquus codex habebat adiecimus: exiguum quidem illum, ſed pium, ſed eruditum: & quo vir ſanctus quid vel de ſanctiſſima Triade, vel Chriſti aſſumpta humanitate, aut etiam de Dominico D. Guitmũdus.

Corpore & Sanguine ſentiret, apertè dilucideque pronunciat. D. Alger⁹. *Supereſt vt Algerum in medium proferamus. De quo mihi hoc dicendũ, nõ hũc Corbienſis (quẽadmodum Tritemius ſcripſit) ſed ex Leodienſis Eccleſiæ Canonico Cluniacenſis cœnobij Monachum fuiſſe: vbi eũ excellens hoc nũquã intermoriturũ opus conſcripſiſſe ferunt.* D. Petrus Cluniacẽ. *Tribus his & quartum adiungere libuit, Petrum Cluniacenſem olim Abbatem, idem argumentum pari, aut fortaſſe maiori etiam ingenio & eloquentia tractantem: cuius quanta apud doctiſsimos atque optimos viros fuerit auctoritas, quæ veneratio, quantáque eruditionis, & ſanctimoniæ fama, declarant D. Bernardi aliquot Epiſtolæ, quas ad hunc honeſtis & veris laudibus differtas conſcripſit. Denique ſi proprias ſingulorum virtutes propius intueri velimus, certè reperiemus nihil eſſe Lanfranco grauius, nihil acutius: Guitmundo nihil viuidius ac ardentius: nihil item Algero fœcundius & copioſius: Cluniacenſi Abbate nihil eruditius, aut eloquẽtius. Nam ſi rationibus pugnandum eſt, quid his validius & inexpugnabilius? Sin autoritate premendi ſint hoſtes, quæ vberior exemplorum copia, aut maior earum rerum quæ ad fidei noſtræ ſtabilimentum pertinent, cognitio eſſe queat? Quibus ſanè rebus tanquam arietibus ac machinis hæreticorum caſtra quatiunt, effringunt, euertũt. Neque verò ſolùm acriter cum hoſte confligũt, in hoc tantum vigilantes, vt opimam prædam & glorioſam reportent de hoſte victoriam: ſed tanquam docti & Euangelici ſcribæ de opulento & diuino pectoris penu, noua ac vetera ſcripturarum myſteria proferentes, vbicũque ſeſe offert occaſio, ingenium veluti pugnando defatigatum*

recreaturi,

recreaturi, in locum aliquem ſcripturæ expatiantur, eumq́ ſic verſant, veſtigant, euoluunt, vt non in harena non in palæſtra, ſed in amœniſſimis hortis verſari te putes. Quos ſanè viros quum ab eruditis paſſim (vt par eſt) mirificè commendari, multiſq́ votis efflagitari videremus, ſimul etiam vt plurimorum quiritationibus obuiam iremus, qui has tam præclaras Eccleſiæ faces vel ſcribarum vel typographorum oſcitantia, multis in locis tanquam extinctas eſſe dolebant, operepreciumnos facturos exiſtimauimus, ſi conquiſitis vndecunque exemplaribus in id gnauiter incumberemus, vt noſtra qualicunque opera, priſtino nitori integritatiq́ reſtituerētur. Qua in re quid à nobis effectum ſit, tuum Candide Lector eſto iudicium, quum ſanè præter multorum errorum confecta monſtra, plurimas quoque verſuum centurias, potiſſimum verò Guitmundo et Algero noſtro ſtudio acceſſiſſe comperies. Vale, & noſtrum hunc pium conatum boni conſule. Lonanij è Monaſterio noſtro Martiniano.

EX SERMONE D. PETRI DAMIANI EPISCOPI OSTIenſis, *de Natiuitate Deiparæ virginis.*

DIlectiſsimi fratres mei, perpẽdite Dei genetrici quantas poſt Deum de noſtra redemptione gratias agere debeamus. Illud ſiquidem Corpus Chriſti quod beatiſsima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod faſcijs cinxit, quod materna cura nutriuit: Illud, inquã, abſque vlla dubietate, non aliud nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemptionis haurimus. Hoc Catholica fides habet, hoc ſancta Eccleſia fideliter docet. Nullus ergo humanus ſermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei & hominum cognoſcitur incarnatus. Impar eſt illi omne humanæ linguæ preconium: quæ de intemeratę carnis ſuę viſceribus cibum nobis protulit animarũ. Illum videlicet, qui de ſeipſo perhibet dicens: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis ex hoc pane manducauerit viuet in æternum. Per cibum nanq; à paradiſi ſumus amœnitate deiecti: per cibum quoque ad paradiſi gaudia reparati, etc.

Miracu-

MIRACVLVM EX VITA SANCTI MALACHIAE EPIſcopi per D. Bernardum edita.

FVit quidam clericus in Leſmor, probabilis (vt fertur) vitæ, ſed fidei non ita. Is ſciolus in oculis ſuis præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantúmmodo ſacramentum, & non rem ſacramenti: id eſt, ſolá ſanctificationem, & non Corporis veritatem.

Super quo à Malachia ſecretò & ſæpe cõuentus, ſed incaſſum: vocatus ad medium eſt, ſeorſum tamen à laicis, vt ſi fieri poſſet, ſanaretur & non confunderetur. Itaque in Conuentu Clericorum data facultas homini eſt, pro ſua ſententia reſpondendi. Cunque totis ingenij viribus (quo non mediocriter callebat) aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia contra diſputante & conuincẽte, iudicio omnium ſuperatus, de Conuentu confuſus quidem exijt, ſed non correctus. Dicebat autem ſe nõ ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum authoritate. Et tu, inquit, ô Malachia, ſine cauſa me hodie confudiſti, aduerſus profectò veritatem locutus, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Eccleſiam conuocat, errantem

publicè arguit, publicè monet vt reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epiſcopis & vniuerſo Clero, cum non acquieſceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſiç euigilans, omnes (inquit) fauetis homini, potius quàm veritati, Ego perſonam non accipio, vt deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans ſanctus, Dominus, inquit; fateri te veritatem faciat vel ex neceſsitate. Quo reſpondente, Amen: ſoluitur Conuentus. Tali ille inuſtus cauterio fugam meditatur, infamis atq; inhonorus fore non ſuſtinens. Et continuo ſua tollens exibat: Cum ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribúſq; deficiens eodem loco iactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus, offendit hominem, quid nam ibi agat percunctatur. Reſpondet graui ſe infirmitate teneri, & neq; procedere neq; redire valentem. Et ille, infirmitas iſta haud alia, inquit, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit à ſemetipſo: ſed pulchrè dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſilijs ſenſatorum. Et addidit, Reuertere domum, ego te iuuabo. Deniq; ipſo duce reuertitur in ciuitatem, redit ad cor, & ad miſericordiã domini. Eadẽ hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur Veritas, abijcitur error, confeſſus

reatum,

reatum,abſoluitur,petit viaticum, datur reconciliato: & vno penè momento perfidia ore abdicatur,& morte diluitur. Ita mirantibus cūctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ & ſcripturæ pariter dicentis,quia vexatio dat intellectum auditui.

Ex eadem vita paulò inferius.

Cùm Malachias Sacramēta offerret,& appropinquaſſet ei Diaconus, facturus aliquid pro officio ſuo, intuitus eum Sacerdos ingenuit, quòd ſenſiſſet penes illum latêre quod non conueniret. Peracto ſacrificio, ſecretò percunctatus de conſcientia ſua, confeſſus eſt & nō negauit,illuſum ſibi per ſomnium nocte ipſa. Cui iniungens pœnitentiam,Non debueras,inquit, hodie miniſtraſſe,ſed verecundè te ſubtrahere Sacris, & deferre tantis tamque diuinis Myſterijs: vt hac humilitate purgatus, dignius exinde miniſtrares.

Item alia vice ſacrificante illo & orante hora Sacrificij, ea quidem ſanctitate & puritate cordis qua ſolitus erat aſtāte Diacono, viſa eſt columba intrare per feneſtram in claritate magna. Ea Sacerdos perfunditur totus,ea ſubobſcurior Baſilica tota refulget. Columba verò aliquandiu circumuolitans, tandem reſidet ſuper crucem ante faciem Sacer-

Sacerdotis. Obſtupuit Diaconus , & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, quod illa ſit rara auis in terra, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans ſeſe erigere auſus eſt, vel quando officij ſui neceſsitas poſtulauit. Poſt Miſſam ſeorſum conuentus à Malachia ſub periculo vitæ iubetur nullatenus ſecretum prodere quod vidiſſet, quoad viueret ipſe.

Ex Epi-

EX EPISTOLA
D. RVPERTI ABBATIS TVItienſis ad Cunonem in Euangelium Ioannis.

HÆretici quid dicāt, quid pro argumēto adferant, non habent niſi quod aliqui ex eis dum volunt ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini ſolummodo ſignum eſſe ſacræ rei, iuxta errorē quondam Berengarij Turonenſis, etiam beatum Auguſtinū ita ſentire putant, quod omnino falſum eſt. Ego autem verum Corpus Chriſti, quod pro nobis traditum eſt, & verum eſſe decerto Sanguinem, qui pro nobis fuſus eſt, ſicut Eccleſia Catholica tenet. Hoc quia probare conati ſunt, Beato me derogare aſſerūt Auguſtino contra illum ſentiendo, quem in ſui erroris patrocinium Berengarius citare conſueuerat, dicta eius malo ſenſu diripiendo. Verum hoc iam ferè nemo palam profiteri aut defendere audet, vniuerſa ſciēte Eccleſia Catholica, quia verum Corpus & verus Sanguis Chriſti eſt.

Tribus eſſentiæ modis Corpus & Sāguis Chriſti eſt, quarto autem differt. Eſt etenim nomine, re, atq; effectu: differt verò ſpecie. Eſt, inquā, nomine: quia ſummus cœlorum Pontifex qui cū ſit ipſa veritas, nomina non vana

vana rebus ponere ſolet, adeò fortiter nomẽ hoc impreſsit vt nõ ſaltẽ diceret, hoc vocetur Corpus meũ, hoc vocetur Sãguis meus: ſed hoc eſt (inquit) Corpus meũ, hic eſt Sanguis meus. Eſt etiã re: quia nimirũ ſanctum ſanctorũ eſt, quã vere in illa ſpecie, qua traditus et lãceatus eſt, ipſe ſanctus ſanctorũ eſt. Eſt nihilominus effectu: qa q̈ verè in illa ſpecie, qua pepẽdit in cruce, remiſsionẽ peccatorũ operatus eſt omnibus qui illũ expectauerãt ab origine mũdi cũ fide ſiue legalibus ſacramentis fidei omnibus, à iuſto Abel vſq; ad latronẽ, quẽ in cruce cõfitentẽ ſuſcepit: tã verè in iſtis ſpeciebus panis & vini eandem operatur remiſsionẽ peccatorũ, omnibus qui ingreſsi ſunt, vel ingrediũtur ad eandẽ fidẽ, poſtq̈ illa ſpecies hinc trãſiuit, & ſeſe in cœlũ recepit. Quarto idem ſpecie differt: quod & plurimũ prodeſt, nõ modo ne color aut ſapor ſanguinis humani, horrorẽ ſumẽtibus vllũ faciat, ſed & vt cõpetenti antidoto nimia parentũ noſtrorũ curetur credulitas. Crediderunt enim deceptori diabolo, in eo quod nõ videbãt, ſcilicet quod illi ligno cõſequẽdę diuinitatis effectiua virtus ineſſet, et comedẽtes mortui ſunt: Credamus ecõtrà fideli Saluatori Deo, in eo quod nõ videmus, ſcilicet panẽ & vinũ in verã Corporis & Sanguinis tranſiſſe ſubſtantiam, & comedentes atque bibentes viuamus in æternum.

EX TOMO DECIMO D. *Franconis Haffligenienſis Abbatis ſecundi, de gratia Dei.*

TYpici agni carnibus abſumptis, & legalibus cæremonijs conſummatis verus ipſe Agnus qui tollit peccatũ mũdi, accepit panem in manus, & benedicẽs ac frãgens diſcipulis in hæc verba tradidit: Accipite & comedite: hoc eſt Corpus meũ. Paſtor bonus, ꝓ ouibus ſuis animã poſiturus, atq; diſpẽſationis ſuæ curſu expleto, ac redẽptionis noſtrę myſterio cõpleto, ad patrẽ rediturus, quia gregi ſuo indiſſolubili vinculo charitatis connexus erat: nec pręſentia corporali diu ab eo abeſſe poterat. Qui ergo maternã carnẽ aſſumpſit in manibus, & aſſumptã redẽptiõis noſtrę conuertit in opus: eadẽ verbi potẽtia aſſumit panem in manus, & diuinæ benedictionis ac verbi, quod ipſe eſt, effectu vertit in Corpus ſuum, ſalutis noſtræ ſacramentum.

Sed ſunt aliqui, qui viſibilẽ ſacroſancti myſterij ſpeciẽ dũ attentius attendũt, in veritate ipſa fide caligant: hæſitantes quomodo manente priſtino panis & vini ſapore & ſpecie in ſubſtãtiam Carnis & Sanguinis Chriſti, poſsit ſubſtãtia panis & vini alia in aliã tranſire. Sed huic infirmitati fidei, facile poteſt mederi cõſideratio omnipotẽtię Dei, ꝙ nõ ſit omnipotẽti impoſsibile aut difficilẽ creaturarũ ſuarũ aliã in aliã pro placito ſuo trãſformare: q omnia ex nihilo potuit verbo creare. Vt enim quiddã de vſu noſtro loquar, nõ de Dei potẽtia (Deo enĩ oĩa ęqualiter poſsibilia) facilius eſt in eã quã voluerit formã transformare quod eſt, quàm ex nihilo formare quod nõ eſt. Nũquid

abbreuiata

abbreuiata eſt manus Domini,vt non poſsit ſaluare?Nunquid qui cœlum & terram verbo creauit,in hominis ſeruitutem: non valet minimam panis & vini portionem in verum Corpus ſuum conuertere hominis ad ſalutem?Ne ergo fluctuet de veritate Corporis Chriſti fides Chriſtiani pectoris:ne & fruſtra portet nomē Chriſtianæ profeſsionis, & fruſtra celebret ſacramenta diuinæ religionis. Sine fide enim impoſsibile eſt placere Deo. Nam licet Eccleſiam quis intret,eccleſiaſticis ſacramentis participet, ad ſolennem orationem Amē reſpōdeat: ocioſè imò pernicioſè hæc agit,ſi fidem eorum quæ geruntur non habeat.

Stultitiæ autem proximũ eſt, omnia fidei noſtræ ſacramēta & diuinæ virtutis opera, infirmis humanæ ſapientiæ rationibus velle diſcutere:& omnipotētiam Dei intra anguſtias impoſsibilitatis noſtræ includere. Omnia enim diuinæ virtutis opera, humano intellectu velle cōprehendere,quid aliud dixerim: quàm Deũ homini cōponere, vt ille non poſsit , quod iſte non intelligit?Et vnde tantũ eſt meritum,ſi per ſingula humanæ conſuetudinis haberet experimētum?Sed Chriſtiana ſobrietas magis vult audita piè credere,quàm impia in Deum verbis eius non credendo exiſtere. Habet autem fidei ſuæ meritum, ipſum cui credit Deum. Magnum eſt ergo fidei Chriſtianæ meritum, cui tantum compenſatur præmium,etc.

Lanfran-

LANFRANCI
ARCHIEPISCOPI CANTVA-
*rienſis de Euchariſtiæ Sacramento ad-
uerſus Berengarium Liber.*

LAnfrancus miſericordia Dei Catholicus, Berengario Catholicæ Eccleſiæ aduerſario. Si Diuina pietas cordi tuo inſpirare dignaretur, quatenus reſpectu eius atq; animæ tuæ mecum loqui velles, locumq́; oportunum in quo id cõpetenter poſſet fieri ſalubri deliberatione eligeres: multum fortaſſe tibi, proculdubio autẽ plurimũ ijs conſuleres quos decipis, deceptos verò ac morte præuẽtos, in pœnas æternas tranſmittis. Etenim cooperãte ſpiritu qui vbi vult ſpirat, & quẽ vult aſpirat, eueniret è duobus alterutrũ, videlicet vt aut tu ipſe depoſito ſuperbiæ faſtu, quo plenus contra orbem terrarũ ſentire cœpiſti, autoritati totius Eccleſię ſanctę, rectiſq́; ſanctarũ ſcripturarũ expoſitionibus acquieſceres: & ſic te ac ſequaces tuos de tenebris erroris, ac profundo iniquitatis erueres: aut te in tua pertinacia perſiſtẽte, ipſi auditis rationibus miſerãte Deo reſipiſcerẽt, & ad verã fidẽ, quã ſancta Eccleſia prædicare nõ ceſſat, cõſilio meliore redirẽt. Sed quia elegiſti prauitatẽ, quã ſemel imbibiſti, clãdeſtinis diſputatiõibus apud imperitos tueri, palàm autem atq; in audiẽtia ſancti Cõcilij orthodoxã fidẽ nõ amore veritatis, ſed timore mortis cõfiteri: propterea refugis me, refugis religioſas perſonas, quę de verbis tuis ac meis poſsint ferre ſentẽtiã. In quarũ præſentia de nulla re te audire, tecũq́; cõferre liben-

tius vellē: q̃ quòd ſentētias tuis ſentētijs cōmodās
plectēda temeritate cōfingis, eáſq; ſeu ſtudio no-
cēdi, ſeu ignorātia veri ſacris doctorib⁹ attribuis,
dicens: hoc vel hoc in illo ſeu illo opere teſtatur
Auguſtinus, Gregorius, Hieronymus, vel quili-
bet eorū quos in arce authoritatis poſitos Eccle-
ſia Chriſti inſigniter veneratur. Ibi enim cōquieſ-
ceret omnis verſuta tergiuerſatio, cū ſacri codi-
ces te audiēte legerētur, vel tibi ad legēdū in ma-
nus traderētur: cęleſtíq; lāpade ſplēdidi⁹ eniteret,
quædā quæ de ſcripturis ſanctis te ſumere non-
nunq̃ dicis, aut penít⁹ eſſe falſa, aut aliqua ex par-
te prout ratio tui negotij poſtulat deprauata, Per
quę diabolica fallacia ignaras diuini myſterij mē
tes tibíq; credulas inuadis, decipis, ſubruis, tanto
iniquior, quāto in malo ꝓpoſito ad eorū qui tibi
in Chriſto fratres ſunt ſubuerſionem & ſcandalū
*Mat.*18. pertinacior, parui pōderās verba Dñi cōminātis ei
qui de puſillis ſuis aliquē ſcādalizat, nec ſatis tre-
1.*Cor.*8. mēs increpationē Apoſtoli ad ſupbā Corinthio-
rū gentē ſcribentis & dicentis, Sic aūt peccātes in
fratres, & percutientes cōſcientiā eorū infirmā: in
Chriſtū peccatis. Quo pctō plurimū detineris,
ſubuertēs eos qui neſciētes tibi reſiſtere, cōtēplā-
2.*Tim.*2. tur ea quæ vidētur, nō ea quæ nō vidētur. Sed fir-
mū Dei fundamentū ſtat immobile, habēs ſigna-
culū quo diſcedit ab iniqtate, qui inuocat nomē
Dñi: nequaq̃ ſine graui ſcādalo ferens quòd non
es cōtentus vt peruerſus peruerſa dicas, niſi etiā
Berenga- praua ſcripta p prauos diſcipulos tuos in diuer-
rius à 113. ſas regiones trāſmittas. Et cętera quidem à beatę
Epiſcop. memoriæ Nicolao totius Chriſtiani noīs ſum-
Romæ mo Pōtifice, & à cētū tredecim Epiſcopis Romæ
dānatus. audita, examinata atq; dānata ſunt. Tu quoq; in-
clinato

clinato corpore,ſed nõ humiliato corde ignẽ accẽdiſti, librớſq; peruerſi dogmatis in medio ſancti Cõcilij in eũ cõiecisti: iurãs per id quod rebus oĩbus incõparabiliter maius eſt,fidem à patribus qui pręſentes erãt traditã inuiolabiliter te ſeruaturũ,vetereẽq; doctrinã tuã de corpore & ſanguine Dñi ab illa die alijs non prædicaturum.Huius propoſiti ſacrilegus violator, cõtra præfatã Synodũ,cõtra catholicã veritatẽ, cõtra oĩm eccleſiarũ opinionẽ ſcriptũ poſtea cõdidiſti: cui in hoc opuſculo,cõfiſus de Chriſti miſericordia, reſpõdere diſpoſui. Et vt euidẽtius appareat quid tu dicas,quid ego reſpõdeã:alterutras ſentẽtias vicaria noſtrorũ nominũ poſitione diſtinguã. Nec ad oĩa reſponſurus ſum:qa ſpinis roſas interſeris,& albis atq; nigris coloribus phãtaſma tuũ depingis. Quædã etiã dicis quę nihil pertinent ad propoſitũ quæſtionis. Cõpendio aũt in quãtũ potero operã dabo. In talibus enim nænijs nollẽ vitã deterere: ſi populũ Dei antiquã ꝑmitteres pacẽ habere. BERENGARIVS. Scriptum Hũberti Burgũdi,quẽ fecerãt Romæ Epiſcopũ Cardinalem, quod ſcripſit cõtra catholicã veritatẽ,quod inferius patebit,vt cogeretur ex illo Berẽgarius quaſi ꝓfiteri errorẽ ineptiſsimi Burgũdi. LANFRANCVS. Hũbertũ virũ fuiſſe religioſum, fide Chriſtiana & ſanctiſsimis operibus perſeuerantiſsime decoratũ,ſcientia diuinarũ ac ſeculariũ literarũ apprime eruditũ,teſtãtur omnes qui vel propria experiẽtia eũ nouerũt, vel ab alijs qui ipſum experti ſunt,eius cognitionẽ acceperũt. Hũc nõ de Burgũdia,ſed de Lotharingia ſanctus Leo Romã traduxit: & ad prædicãdũ Siculis verbũ Dei Archiepiſcopũ ordinauit. Poſtea verò ſancta Roma-

Hũbertus Lothoringus.

Ioan.3. Pſal.23. Act.10. Galat.2. Hæretic' quis ſit.

na Eccleſia præſulẽ ſibi Cardinalẽ cõſtituit. Quo in loco poſitus taliter vixit, taliter docuit: vt de fide vel doctrina eius nec ſaltẽ ſiniſtrę ſuſpitionis fama aliquãdo exorta ſit. Huius rei teſtis eſt tota ferè latinitas: quę pro excellentia Apoſtolicæ ſedis, cuius Conciliјs & conſiliјs ſemper aderat & pręerat, eũ ignorare nõ potuit. Qui ſi etiã Burgũdus eſſet, inſipiẽter tamẽ arrogãtia tua nomẽ ſuæ gẽtis ꝓ infamia ſibi adſcriberet: cũ Spiritus Domini vbi vult ſpiret, & quẽ vult adſpiret, & Domini ſit terra, & vniuerſi ꝗ habitãt in ea: & princeps Apoſtolorũ dicat. In veritate cõperi, quoniã nõ eſt perſonarũ acceptor Deus: ſed in omni gẽte qui timet eũ & operatur iuſtitiã acceptus eſt illi. Itẽ Doctor Gẽtiũ ad Galatas: Deus perſonã hominũ nõ accipit. Quẽ dũ cõtra catholicã veritatẽ ſcripſiſſe aſſeris, nõ ipſum ſolũ, ſed & Romanos Põtifices, Romanã Eccleſiã, multóſq; ſanctos patres redarguis: incurríſq; in illud quod beati Doctores ſi nõ eiſdẽ verbis, eiſdẽ tamẽ ſentẽtiјs multis in locis cõcorditer aſtruxerũt, hæreticum eſſe oẽm hominẽ, qui à Romana & vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. Euenitq; tibi iuſto Dei iudicio, vt qui alios eſſe hęreticos aſtruere conaris: tu ipſe in hæreſin deuolutus hęreticus eſſe cõuincaris. BERENG. Anathematizo omnẽ hæreſin, pręcipuè eã quę aſtruere conatur, panẽ & vinũ quæ in altari ponuntur, poſt cõſecrationẽ ſolũmodo ſacramẽta eſſe, & nõ verũ corpus Chriſti & ſanguinẽ. LANF. Principiũ huius tui iuriſiurãdi propterea, vt opinor, hîc nõ inſeruiſti, vt lectores tui putarẽt hæc verba nõ eſſe tua, ſed venerabilis Hũberti Epiſcopi. Nec id iniuria. Nã quia hæretica eſſe pertinaciter cõtẽdis: ſi manifeſtè tua diceres.

diceres.manifeſtè teipſum hæreticũ cõprobares. Sed ne quis neſcius Romani Concilij indiſcretam de negotio ferat ſententiam: principiũ eius, medium atq; finem ſimul hic apponam.

Ego Berengarius indignus Diaconus eccleſiæ ſancti Mauritij Andegauẽſis, cognoſcẽs verã catholicã & Apoſtolicã fidẽ, Anathematizo omnẽ hæreſin, præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum: quæ aſtruere conatur, panẽ & vinũ quæ in altari ponũtur, poſt cõſecrationẽ ſolummodo Sacramẽtũ & nõ verũ corpus & ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: nec poſſe ſenſualiter niſi in ſolo Sacramẽto manibus ſacerdotum tractari, vel frãgi, aut fideliũ dẽtibus atteri. Cõſentio autẽ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & ore & corde profiteor de ſacramentis Dominicę mẽſæ, eã fidẽ me tenere, quã Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta ſynodus autoritate Euãgelica & Apoſtolica tenendã tradidit, mihiq; firmauit: ſcilicet panẽ & vinũ quæ in altari ponũtur, poſt cõſecrationẽ non ſolũ ſacramẽtũ, ſed etiã verũ corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolũ ſacramẽto, ſed in veritate manibus ſacerdotũ tractari, frãgi, & fideliũ dẽtibus atteri, iurãs per ſanctã & homouſiõ trinitatẽ, & per hæc ſacroſancta Chriſti Euãgelia. Eos verò qui cõtra hãc fidẽ venerint, cũ dogmatibus & ſectatoribus ſuis ęterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quòd ſi ego ipſe aliquãdo aliquid cõtra hæc ſentire ac prædicare præſumpſero: ſubiaceam Canonum ſeueritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi. *Palidonia Berẽgarij*

Cũ ergo veniſſes Romã, fretus ijs qui plus impẽſis à te beneficijs, q̃ ratione à te audita opẽ tibi

promiſerāt, nō auſus defenſare quod antea ſenſeras, poſtulaſti Nicolaū Pōtificē eiúſq; cōcilium quaten⁹ fidē quā teneri oporteret verbis tibi traderet, ſcriptura firmaret. Iniūcta eſt huius rei cura Hūberto Epiſcopo. Itaq; verba fidei ſuperius cōprehēſa ſcripſit, recitauit, aſſenſu omniū ad legēdū & cōfitendū tibi tradidit. Tu verò acquieſcens accepiſti, legiſti, confeſſus es, te ita credere iureiurādo cōfirmaſti: tādē manu propria ſubſcripſiſti. Nicolaus Papa gaudēs de cōuerſione tua, iuſiurādū tuū ſcriptū miſit per vrbes Italię, Gallię, Germaniæ, & ad quæcunq; loca fama tuæ prauitatis antea potuit peruenire: vt ſicut Eccleſiæ ſcandalizatæ prius dolebāt de te auerſo atq; aduerſo: ita poſtea gauderēt, gratiáſq; Deo agerēt de reuerſo atq; conuerſo. Cur ergo ſcriptū hoc magis aſcribis Hūberto Epiſcopo q̃ tibi? quā Nicolao Pontifici? quàm eius concilio? quàm deniq; omnibus Eccleſijs, quæ id cū debita reuerētia ſuſceperunt, & pro cōuerſione tua Deo gratias retulerūt? Cur inquā, niſi quia facilius perſuades imperitis potuiſſe vnū hominē errare, quàm tot perſonas, tot Eccleſias? Tibi verò ſi aſcripſiſſes, cum ipſum deſtruere moliaris: periurū te eſſe videreris aſtruere. Sed iā qualiter redarguis videamus. BERENGA. Apparet quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eā nō cōprehendūt. LANF. Hoc rectiſsime in te retorqueri poteſt. Lucet nāq; lux fidei in tenebris huius mūdi, quātū per ſpeculū & ęnigma reuelāte Deo poſſumus cōtueri. Verū hanc lucē tenebroſa mens tua nequit cōprehendere, deſpectis cæteris putās ſe ſolā ſapientē eſſe, euaneſcēs in cogitationibus ſuis ſtulta facta apud Deū. BERENG. Quia veritatis inimicus velit nolit veritatem aſſerit.

LANF.

LANF. Parũ videris attendere quid dicas, tãtũ veſeruũ Dei illatis opprobrijs in cõtẽptũ adducas. Aſſertorẽ veritatis tã volentẽ quàm nolentẽ inimicũ pariter cõſtituis veritatis. Quiſquis autem veritatẽ aſſerit: aut volens aut nolens id agit. Nihil enim medij poterit reperiri. Omnis igitur aſſertor veritatis, te autore, inimicus eſt veritatis. Sed abſit. Ipſa nãq; veritas aſſertores ſuos plurimũ diſtãti nomine in euãgelio vocat, dicẽs, Iã nõ dicã vos ſeruos, ſed amicos meos. Et alibi: Vos amici mei eſtis. Falſum eſt ergo aſſertorẽ veritatis tã volentẽ q̃ nolentẽ inimicũ cõſtituere veritatis *Ioan. 15.* *Ibidem.*
BERENG. Quia ſicut Goliath proprio Burgundus enſe deperit. LANF. Tui moris eſt alios deprimere, te efferre, te iactare, de te magna ſentire. Te quidẽ Dauid, Hũbertum verò Goliath appellas. Equidẽ rectius te nominaſſes Goliath, quia homo arrogãtiſsim⁹ es, & ea ſentis, ſcribis, & loqueris, q̃bus tuipſe velut enſe proprio iuguleris: Illũ verò Dauid, q humiliter vixit, humiliter docuit, mẽbrũ Eccleſiæ pugnãs ꝓ Eccleſia, aſſumẽs ſcutũ fidei, & gladiũ ſpiritus, quod eſt verbũ Dei. *Ephes. 6.*
BERENG. Erat aũt Burgũdus in ſententia, imò væcordia vulgi, Paſchaſij atq; Lãfranci: minimè ſupereſſe in altari poſt cõſecrationẽ ſubſtãtiã panis & vini. LANFRAN. Tempore ſancti Leonis Papę delata eſt hæreſis tua ad Apoſtolicã ſedem. Qui cũ Synodo præſideret, ac reſideret ſecum nõ parua multitudo Epiſcoporũ, Abbatũ, diuerſiq; ordinis à diuerſis regionibus religioſarũ perſonarũ: iuſſum eſt in omniũ audientia recitari quas mihi de corpore & ſanguine Domini literas trãſmiſiſti. Portitor quippe earũ legatus tuus me in Normãnia non reperto, tradidit eis quibuſdam

clericis. Quas cũ legiſſent,& cõtra vſitatiſsimam Eccleſiæ fidẽ ſcriptas animaduertiſſent: zelo Dei accenſi quibuſdã ad legendũ eas porrexerũt,plurimis eàrũ ſentẽtias verbis expoſuerunt. Itaq; factũ eſt,vt nõ deterior de te,quàm de me fuerit orta ſuſpitio, ad quẽ videlicet tales literas deſtinaueris: putantibus multis me fouere ac fauere quę à te dicerentur, vel gratia qua te diligerẽ, vel fide qua reuera ita eſſe indubitáter tenerẽ. Igitur cũ à quodã Remẽſi Clerico Romã perlatas recitator legeret,intellecto quòd Ioannẽ Scotũ extolleres, Paſchaſiũ dãnares,communi de Euchariſtia fidei aduerſa ſentires: promulgata eſt in te dãnationis ſentẽtia, priuans te cõmunione ſanctæ Eccleſiæ, quã tu priuare ſancta eius cõmunione ſatagebas. Poſt hæc præcepit Papa vt ego ſurgerẽ, praui rumoris à me maculã abſtergerẽ, fidẽ meã exponerẽ,expoſitã plus ſacris autoritatibus q̃ argumẽtis probarẽ. Itaq; ſurrexi, quod ſenſi dixi, quod dixi probaui, quod probaui omnibus placuit, nulli diſplicuit. De hinc declarata eſt ſynodus Vercellẽſis,quæ tũc proximo Septẽbri eodẽ præſidente Põtifice eſt celebrata Vercellis: Ad quam vocatus nõ veniſti. Ego verò præcepto ac precibus præfati Põtificis vſq; ad ipſam ſynodũ ſecũ remãſi. In qua in audiẽtia omniũ qui de diuerſis huius mũdi partib⁹ illuc cõuenerãt, Ioãnis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt,ac dãnatus, ſentẽtia tua expoſita ac dãnata: fides ſanctę Eccleſię,quã ego teneo ac tenẽdã aſtruo,audita,& cõcordi omniũ aſſenſu cõfirmata. Duo clerici qui legatos tuos ſe eſſe dixerũt, volẽtes te defendere,in primo ſtatim aditu defecerũt & capti ſunt. Ab hac ſentẽtia nunq̃ diſceſsit S.Leo in omnibus ſuis Cõcilijs,ſeu quibus ipſe præ-

Ioannes Scotus.

Synodus Vercellenſis.

ipſepræſentiã ſuã exhibuit, ſeu quæ per legatos ſuos in diuerſis ꝓuinciȷs cõgregari inſtituit. Quæ ſententia nõ effugit ſucceſſorem quoqꝫ ſuũ fęlicis memorię Papã Victorẽ. Sed quicqd de hac re ſeu cæteris ipſe ſtatuit, ſtatuíve præcepit: hoc etiã iſte ſua atqꝫ omniũ Conciliorũ ſuorũ autoritate firmauit. Deniqꝫ in cõcilio Thuronẽſi, cui ipſius interfuere ac præfuere legati, data eſt tibi optio defendẽdi partẽ tuã. Quàm cũ defendendã ſuſcipere nõ auderes: confeſſus corã omnibus cõmunẽ Eccleſiæ fidẽ, iuraſti te ab illa hora ita crediturũ, ſicut in Romano Cõcilio te iuraſſe eſt ſuperi⁹ cõprehenſum. Porrò quid de hac re tẽpore Nicolai geſtũ ſit, breuiter ſupra reſeraui. Digrediẽdo autẽ hæc ideo dixi: quia dixiſti, Erat autẽ Burgundus in ſentẽtia vulgi, Paſchaſiȷ atqꝫ Lanfranci. Nã cũ catholica Eccleſia diuidatur in clericalẽ ordinẽ, atqꝫ laicalẽ, clericalis verò ordo cõſiſtat in Epiſcopis, ac reliquis Chriſti ſacerdotibus, alȷ́ȷ́ſqꝫ diuerſarũ dignitatũ eccleſiaſticis perſonis, hos autẽ omnes præter paucisſimos ſchiſmaticos hãc fidẽ tenere manifeſtisſimũ ſit: recti⁹ dixiſſes, Erat autẽ Burgũdus in ſentẽtia Catholicę Eccleſiæ, ſed nõ in mea meorũqꝫ ſequaciũ: qui maluimus nos ab ea ſuperbè ſeparare, & cõtra eã ad noſtrã perniciẽ ſchiſma facere, q̃ humiliter mẽbra eius eſſe, & cõmunẽ cum ea fidẽ ſalubriter retinere. Hoc reuera dixiſſes, ſi amator veritatis & ſeruator iuſtitiæ extitiſſes: ſi abiecto inanis gloriæ appetitu peccata tua cõfiteri q̃ tuęri maluiſſes. Quòd verò ſentẽtiã, qua panẽ in verã Chriſti carnẽ, & vinum in verũ Chriſti ſanguinẽ cõuerti credimus, væcordiã nominas: de hac re oportunius tunc tibi reſpõdebo, cũ fidẽ hãc autore Deo diuinis autorita-

Eccleſiæ catholicæ duo ſtatus ſunt hominum.

tibus & manifeſtis rationibus verã eſſe monſtrauero. Porrò autẽ quod dicis, Erat autẽ Burgũdus in ſentẽtia vulgi, Paſchaſij, atq; Lãfranci: me etiã cũ vulgo deputas? Certiſsimũ habeto tu, indubitanterq́; credant amici mei, atq; Eccleſia Chriſti: quia ſi etiã deeſſet mihi autoritas atq; ratio, quibus fidẽ meã tueri poſſem, mallẽ tamen cũ vulgo eſſe ruſticus & idiota catholicus: quàm tecũ exiſtere curialis atq; facetus hæreticus. Sed ſi dominus Deus te atq; me in audientia ſancti Concilij dignaretur coniungere: de pietate eius confido, q̃a mutares verba, mutares ſententiã. BERENG. Quã ſentẽtiã ſuperioribus ſuis verbis ille ipſe deiecit, nec attendit. LANFRAN. Dum inſatiabili odio illũ inſequeris, teipſum turpiter infamare minime erubeſcis. Quiſquis enim cõtraria iurat, neceſſe eſt in alterutro periurij crimen incurrat. Ergo cũ verba ad iurãdũ tibi tradita inter ſe cõtraria eſſe aſtruas: manifeſta voce periurũ te eſſe impudẽter proclamas. O infelix homo, ô miſerrima anima: cur te credere iurabas quæ tãtopere inter ſe diſsidere intelligebas? Nõne præſtabat, ſi verã fidem te habere putabas, vitã honeſta morte finire: q̃ periuriũ facere, perfidiã iurare, fidẽ abiurare? Sed abſit vt ſcriptura ſancti cõcilij aliqua inter ſe cõtrarietatis oppoſitione diſsideat: ſi remoto calũniãdi ſtudio diligẽs lector ad intelligendũ curã impẽdat. Et hoc poſterius patebit. BEREN. Qui enĩ dicit, panis & vinũ altaris ſolũmodo ſũt ſacramẽta, vel panis & vinũ altaris ſolummodo ſunt verũ corpꝰ Chriſti & ſanguis: modis oĩbus panẽ & vinũ ſupeſſe cõſtituit. LANF. Nihil horũ Romana Synodus credẽdũ eſſe decreuit: nec Hũbertus Epiſcopus ad cõfitendũ vel iurãdũ horũ

tibi

tibi aliquid tradidit. Prior quidẽ ſentẽtia per quã dicitur, panis & vinũ altaris ſolũmodo ſacramẽta ſunt: tua eſt, tuorũ'ꝗ ſequaciũ. Poſterior verò, quæ enũciat panis & vinũ altaris ſolũmodo ſunt verũ Chriſti corp⁹ & ſanguis: nullius hominũ eſt. Nã & tu veritatẽ carnis & ſanguinis negas, & Eccleſia Chriſti ſic panẽ in carnẽ, vinũ credit cõuerti in ſanguinẽ: vt tamẽ ſalubriter credat, & veraciter recognoſcat Sacramẽtũ eſſe dominicę paſsionis, diuinæ propitiationis, cõcordiæ & vnitatis, poſtremo aſſumptæ de virgine carnis & ſanguinis, ſingula ſuis diſtinctiſ'ꝗ modis, de quibus ſuo loco ac tẽpore euidentius diſſeretur. In pręſentia tãtũ ſuſcepi oſtẽdere verba Romani Cõcilij, quæ te ſeruaturũ iureiurãdo firmaſti, nulla à ſe inuicẽ cõtrarietate differre. Arguẽtibus enĩ te amicis ac neceſſarijs tuis, ꝙ aut nõ ſeruãda iurare nõ debueris, aut iurata ſeruare: ĩfamare ſoles Nicolaũ Põtificẽ, reliquóſ'ꝗ patres Romani Cõcilij, videlicet ꝙ docẽtes ac ſcribenteſ cõtraria, tui fuerint cauſa periurij. Id quoꝗ in hoc opuſculo, quod deſtruẽdũ ſuſcepi, vbiꝗ ferè laboras efficere. Propterea cõferẽda ſunt verba tua verbis eorum. Nicolaus Papa cõperiẽs te docere panẽ vinũ'ꝗ altaris poſt cõſecrationẽ ſine materiali mutatione ĩ priſtinis eſſentijs remanere: cõceſſa tibi, ſicut ſuperius dictũ eſt, reſpõdẽdi licẽtia, cũ nõ auderes ꝓ tuę partis defenſione aliꝗd reſpõdere: pietate motus ad preces tuas ꝑcepit tradi ſcripturã tibi, quã ſuperius poſui. Ei⁹ prĩcipiũ hoc erat, Ego Berẽgarius anathematizo eã hęreſim de qua hactẽn⁹ infamatus ſum: quę aſtruere conatur panẽ & vinũ quę in altari ponũtur, poſt cõſecrationẽ ſolũmodo Sacramẽtũ, & nõ verũ corpus & ſanguinẽ dñi noſtri

Panis quomodo in corpus mutetur.

Ieſu Chriſti eſſe. Rectiſsime id q̃dẽ & ipſe præcepit,& Synodus aſſenſit,& tu executus es: ſi nõ labio doloſo in corde & corde locutus fuiſſes: ſi ad priſtinũ vomitũ, & ad volutabrũ luti infeliciter periurus poſtea nõ rediſſes. Sacrorũ nãq; Canonũ autoritate inſtruimur, vt nemo ab hæreſi reuertẽs, eccleſiaſticę cõmunionis particeps eſſe pmittatur: quoaduſq; peruerſum dogma vinculo anathematis dãnare cõpellatur. Verum in his verbis nec verba tua ſuperius poſita, nec eorũ ſentẽtias quiſquã poterit inuenire. Vnde apparet puerſorẽ ac ſubuerſorẽ te eſſe diuinarũ literarum, & ex deprauatis fictiſq; ſentẽtijs erroris nebulas ſpargere imperitis, falſum'q; eſſe quod ex falſo principio cõſtiterit emanare. BERENG. Sicut enim qui dicit, Chriſtus eſt ſummus angularis lapis, Chriſtũ nõ aufert, ſed Chriſtum eſſe omnino cõſtituit: ita qui dicit, panis altaris ſolũmodo eſt ſacramentũ, vel, panis altaris ſolummodo eſt verum corpus Chriſti, panẽ in altari eſſe nõ negat, panẽ & vinũ eſſe cõfirmat in mẽſa Dominica. LANF. Verũ annecteres, ſi ignarus veritatis priorẽ propoſitionis partẽ quiſquã ſtatueret: niſi fortè figurato locutionis modo verbũ illud proferret. Solemus enim aliquas res illarũ rerũ ex quibus efficiũtur nominibus appellare: quãuis in aliã naturã trãſlatæ iã nõ poſſent eſſe illud, quod ſunt res illæ ex quibus probãtur effectæ, ſicut b. Auguſtinus in extremo Pſalmorũ explanationis opere cryſtallum vocat niuẽ multorũ annorũ duratã tẽpore, & ſerie ſeculorũ: cũ nix ſit liquida & humida, cryſtalli verò natura exiſtat dura & ſicca. Ac per hoc cùm tã diuerſæ naturæ ſint in vtriſq;, nõ rectè quis cryſtallũ niuem vocauerit: niſi eo locutionis modo quo res ef-

Hæretici quãdo recipiantur in cõmunionem.

Berẽgarij primũ argumentũ.

In Pſal. 147.

res effecta materiali ſolet nomine appellari. Et creator ex terra creato primo homini in Geneſi dicit: Terra es, & in terrã ibis. Quaſi diceret, Quia factus es ex terra: quãdoque fies terra, & reuerteris in terrã. Veruntamẽ vt dixi, has ſententias nemo catholicus recipit, Chriſtiana eas religio nõ admittit. Nã priorẽ tuã eſſe tãtũ, tuæque ſectæ, nemo qui ambigat: Poſteriorẽ verò neque tu recipis, qui carnis & ſanguinis negator exiſtis: neque nos qui ſic vtrunque fatemur, vt tamẽ multarũ & excelſarũ rerũ figurã, ac ſacramẽtũ eſſe minimè abnegemus. Porrò ſimilitudo quã de domino Ieſu Chriſto & lapide angulari poſuiſti, te impedit, nos expedit. Sicut enĩ qui dicit, Chriſtus eſt lapis angularis, nõ reuera Chriſtũ lapidẽ eſſe conſtituit, ſed ꝓpter aliquã ſimilitudinẽ quã ad ſeinuicẽ gerũt, tale ei nomẽ imponit: eodẽ modo cũ diuina pagina corpus Dñi panem vocat, ſacrata ac myſtica locutione id agit, ſeu quoniã ex pane cõficitur, eiúſque nõnullas retinet qualitates ſeu quia animã incõprehẽſibiliter paſcẽdo ſatiat, eique ęternę vitæ ſubſtãtiam ſubminiſtrat: vel quòd corpus eſt filij Dei, q̃ eſt panis angelorũ, & in quẽ, ſicut ait princeps Apoſtolorũ, deſiderãt angeli proſpicere: ſeu aliquo alio modo, qui à doctoribus comprehẽdi poteſt, à nobis non poteſt. BERENG. Non enim cõſtare poterit affirmatio omnis, parte ſubruta, & hoc ſicut dicit b. Auguſtin⁹ in libro de doctrina Chriſtiana, in ipſa æternitatis veritate quæ Deus eſt, indiſſolubiliter conſtat. LANF. Relictis ſacris autoritatibus ad dialecticã cõfugium facis. Et quidẽ de myſterio fidei auditurus ac reſpõſurus quæ ad rẽ debeãt pertinere: mallẽ audire ac reſpõdere ſacras autoritates, q̃ dialecticas rationes.

Gen. 3. d.

1. *Pet.* 1.

nes. Verũ cõtra hæc quoq; noſtri erit ſtudij reſpõdere: ne ipſius artis inopia me putes in hac tibi parte deeſſe. Fortaſſe iactãtia quibuſdã videbitur, & oſtẽtationi magis, quã neceſsitati deputabitur. Sed teſtis mihi Deus eſt, & cõſcientia mea, quia in tractatu diuinarũ literarũ nec proponere, nec ad propoſita reſpõdere cuperẽ dialecticas quæſtiones, vel earũ ſolutiones. Et ſi quãdo materia diſputãdi talis eſt, vt huius artis regulis valeat enucleatius explicari: in quãtũ poſſum per ęquipollentias propoſitionũ tego artẽ, ne videar magis arte quàm veritate ſanctorumq́; patrũ autoritate cõfidere. Quàmuis b. Auguſtinus in quibuſdã ſuis ſcriptis, & maxime in libro de Doctrina Chriſtiana hãc diſciplinã ampliſsime laudet: & ad omnia quæ in ſacris literis veſtigãtur, plurimũ valere cõfirmet. Deniq; cõtra FELICIANVM hæreticũ Arianũ cõtẽdẽs, ita hac arte eũ cõcluſit, vt ipſe hęreticus nõ valens ferre locorũ ac ſyllogiſmorũ implicitas atq; implicãtes cõnexiones, publica voce exclamaret, dicens: Ariſtotelica mecũ ſubtilitate cõtendis, & omnia quæ à me dicuntur torrentis more præcipitas. Igitur ſuperius volẽs aſtruere panẽ vinũq́; altaris inter ſacrandũ eſſentialiter nõ mutari, duo quædã pro argumentorũ locis aſſumpſiſti: quorũ vnũ tantũmodo eſſe tuũ, alterũ nullius hominũ manifeſtis rationibus approbaui. In qua re magno vitio rẽ prędità effeciſti. Nã quod tuũ erat, quæſtio erat. Ex eo quippe quærimus: id opprimere atq; euertere omni argumentorũ mole atq; impulſu ſatagimus. Porrò nulla quæſtio locus eſſe poterit argumẽti. Argumẽti quippe locũ neceſſe eſt aut per ſe eſſe certũ, aut certis rationibus approbatũ. Quod ergo tantummodo

Dialecticæ vſus.

Feliciani vox.

Quæſtio

tũmodo tuũ erat,ad probandã rem dubiã aſſumi minimè oportebat. Reliquũ verò quòd nullius hominũ eſſe cõſtitit,ne id quidẽ dubiæ rei fidẽ facere aliqua ratione oportuit. Quis enĩ certũ eſſe, aut certũ fieri poſſe arbitretur: quod omnes negãt,nullus cõfitetur? Igitur ne id quidem ad argumentũ ſumi,rationis fuit. Male ergo vtrunq; poſuiſti. His duobus vitioſiſsimis principijs totá argumentationẽ tuã identidẽ repetẽdo ad finẽ vſq; cõtexis: ac propterea neceſſe eſt vitioſum, nec cõcedendũ eſſe quicq̃d ex vitioſis nec cõceſsis principijs cõſtiterit emanare. Adhuc alio argumento probare cõtendis, panẽ vinũq; poſt cõſecrationẽ in principalibus permanere eſſentijs, dicens: Nõ enĩ cõſtare poterit affirmatio oĩs, parte ſubruta. Ad cuius rei probationẽ nõ oportuit inferri particularẽ negatiuã, qua de præſenti quæſtione nihil colligitur: ſed vniuerſalẽ potius p̃ quã enũtiatur, nulla affirmatio cõſtare poterit parte ſubruta. Age ergo, ſit particularis negatio tua: Nõ oĩs affirmatio conſtare poterit parte ſubruta. Rurſus aſſumptio tua: Panis & vinũ altaris ſolummodo ſunt ſacramẽtũ: vel panis & vinũ altaris ſolũmodo ſunt verũ Chriſti corpus & ſanguis, vtrũq; affirmatio eſt. His duabus particularibus p̃cedẽtibꝰ, poteriſne regulariter cõcludere parte ſubruta ea nõ poſſe cõſtare? Abſit. In nulla q̃ppe ſyllogiſmorũ figura, pręcedẽtibus duabus particularibus cõſequẽter infertur cõcluſio vlla. Male igitur eã collocaſti. Illud verò p̃functoriè nõ eſt prętereũdũ, ꝙ præfatæ propoſitionis tuæ veritatẽ in ipſa ęternitatis veritate, quę Deus eſt, indiſſolubiliter cõſtare perhibuiſti: idq; b. Auguſtini de Doctrina Chriſtiana autoritate firmaſti. Et quidẽ propoſitio

nequit eſſe locus argumẽti

ſitio

ſitio ipſa vera eſt, veræq́ꝫ ꝑpoſitionis in ſuo loco poſita vim obtineret: ſed tu malè & inefficaciter eã poſuiſti. Nec eius magis q̃ omniũ tã rerũ, quã aliarũ propoſitionũ veritas apud veritatẽ omnia ſcientis ac præſciẽtis Dei æternaliter conſtat, qui & res ipſas in principalibus ac ſecundis eſſentijs cõdidit, eáſq́ꝫ tã verarũ, q̃ falſarũ propoſitionum cauſas eſſe diſpoſuit. Veruntamẽ in opere de Doctrina Chriſtiana nec huius propoſitionis, nec alicuius eius ſimilis b. Auguſtinus aliquo in loco mentionẽ facit: quòd facilè quiuis ſcire poterit, ſi curet ipſum librũ legere ſi nunq̃ legit: vel relegere ſi fortaſſe iã legit. In qua re vehemẽter miror ſiue errorẽ, ſiue ſtultitiã tuã. Errorẽ quidẽ, ſi prolata teſtimonia in ſacris codicibus aut aliter eſſe, aut penitus nõ eſſe ignoras. Stultitiam verò, ſi ita cæteros vęcordes ęſtimas, vt dictis tuis cõtra antiquã Eccleſiæ fidẽ protinus credãt, eaq́ꝫ velut ſacroſancta indiſcuſſa prętereãt. BERENG. Eſt autẽ affirmatio notiſsimis partibus ſuis cõſtãs, prędicato & ſubiecto, quæ ita enũtiat: Panis & vinũ quę in altari ponũtur ſunt ſolũmodo ſacramẽta. Nihilominus quæ ita enũtiat: Panis & vinũ quæ ponũtur in altari, poſt cõſecrationem ſolũmodo ſunt verũ Chriſti corpus & ſanguis. LANF. Eadẽ te repetere minimè pudet: propterea quæ paulò ante poſui me etiã replicare oportet. Priorẽ ſententiã tãtũmodo eſſe tuã, poſteriorẽ verò nullius eſſe hominũ ſuperius dixi, & ita eſſe documentis clarioribus approbaui. Nã & tu carnẽ & ſanguinẽ negas, in ſolo ſacramẽto rẽ totã cõſtituens: & nos ſacramẽtũ fatemur, & tamẽ vtriuſq́ꝫ veritatẽ fideliter & veraciter confitemur. Quòd verò dialectica verba affirmationẽ, prædicatũ, ſubiectum,

cæteraq; in hũc modũ tractatui tãtæ rei laboras inſerere: propter nil aliud videris id facere, niſi vt hac occaſione peritũ te diſputandi imperitis valeas ſuadere. Nã & tu ſine his nominibus quod moliris nõ impariter poſſes aſſerere: & nos quæ à te dicerentur ſacris ſolũmodo poſſemus teſtimonijs abolere. BEREN. Suſceperat autem Burgũdus negare panem & vinũ in menſa Dominica ſupereſſe. Hoc minimè negat: imò omnino panem & vinũ eſſe confirmat in menſa Dominica. LANFR. Membrũ eccleſię ab eccleſia diſcrepare nec potuit, nec debuit. Confitetur enim Eccleſia toto terrarũ orbe diffuſa panem & vinum ad ſacrandũ proponi in altari: ſed inter ſacrandũ incõprehenſibiliter & ineffabiliter in ſubſtãtiã carnis & ſanguinis cõmutari. Quod ſuo loco opitulãte eo, de cuius ſacratiſsimo corpore loquimur, diuerſis diuerſorũ patrũ teſtimonijs ita eſſe, nec aliter poſſe eſſe mõſtrabitur. Nõ tamen panẽ negat, imò cõfirmat. Sed panem qui de cœlo deſcẽdit, & dat vitã mũdo: panem, quem Ambroſius & Auguſtinus ijſdem verbis vocãt epiouſion, id eſt ſuperſubſtantialem: quia caro Chriſti omnibus creatis ſubſtantijs maior exiſtit, omnes creaturas excellentiſsima dignitate præcellit. Vinũ quoq; nõ qualecunq;, ſed quod hominũ, nõ quidem omniũ, ſed ſeruorũ Dei corda lętificat, quod animas inebriat, & à peccatis purgat. BEREN. Dum ita enuntiat: Panis & vinũ quæ ponũtur in altari, poſt cõſecrationem ſolummodo ſunt verũ Chriſti corpus & ſanguis. LANFR. Dixit quidam ſpiritu Dei plenus: Os quod mentitur occidit animam. Hãc timendã ſententiã ſi timeres, falſam ſeruo Dei calumniam non imponeres. *Sap. 1.*

Cętera nãq; dixit, at verbum hoc ſolũmodo, nequaq̃ poſuit. Quicquid igitur ex mẽdacio te mẽdaciter adſtruente colligitur, quicquid infertur: neceſſariò totũ diſpergitur, infirmatur, caſſatur. De quo quia in anterioribus iam ſatis egi, plura hîc dicere tranſiturus ad alia ſuperſedi. BEREN. Per cõſecrationẽ altaris fiũt panis & vinũ ſacramentũ religionis: non vt deſinant eſſe quæ erãt, ſed vt ſint quę erãt, & in aliud cõmutentur, quod dicit beatus Ambroſius in libro de ſacramentis. LANF. O mentem amentẽ, ô hominem impudẽter mentientẽ, ô puniendã temeritatem: Ambroſium accire teſtem præſumis, quòd panis & vinum altaris per conſecrationem non deſinunt eſſe quod erant, ſed commutantur in aliud quòd non erant. Et quidem ſi de ſacramentis ſeu cæteris de quibus Ambroſius ſcripſit omnes reuoluas libros, quos Eccleſia in vſu nunc habet, tale quid ab Ambroſio dictũ, taliterq́; expoſitũ nuſquã reperire valebis. Quòd ſi dixiſſet, pręclariſsimæ famę ſuę plurimũ detraxiſſet, ſibiipſi cõtrarius extitiſſet, rem incredibilẽ credendã eſſe cõſtituiſſet. Quis enim compos ſui credat rẽ aliquam cõuerti in aliã: nec tamen in ea parte deſinere eſſe quod erat? Sed veritas ipſa quę Deus eſt, procul ſemper auertat, vt teſtis veritatis contra veritatem teſtis exiſtat. Accipe potius quid in libro de myſterijs ſiue initiãdis dicat. Volẽs enim
Cap. 9. diſcrepantiam oſtendere inter manna Iudæorũ, & ſacrificiũ chriſtianorũ, per hoc videlicet quòd illud vmbra & figura erat, hoc verò lux & veritas, illud è cœlo, hoc corpus Domini cœlorũ: ne tantam elementorũ in tantarũ rerum conuerſionem mens credere humana refugeret ſubiũxit,

dicens:

dicens:Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioréq; vim eſſe benedictionis q̃ naturæ, quia benedictione etiã natura ipſa mutatur. Panem vinumq; à natura formari nullus eſt qui ambigat, nemo qui neſciat. De quorũ vera in verũ corpus domini conuerſione non oportere dubitari manifeſtis oſtẽdit exẽplis, congruis per ſimilia aſſerit argumẽtis: narrans in primis Moyſi virgam in ſerpẽtem verſam, deinde ſerpentẽ in virgã, poſt hæc aquas in ſanguinẽ mutatas, de hinc ſanguinẽ remeaſſe in aquas, pluráq; in hunc modum. Ad vltimum præmiſſo illo magno ac ſingulari miraculo de partu Virginis, inquit: Et hoc quod conficimus corpus ex virgine eſt. Et ne naturã potentiæ Diuinæ præponeres, quaſi nõ poſsit Deus cuiuſlibet rei mutare naturam, occurrit, dicẽs: Quid hic quæris naturę ordinẽ in Chriſti corpore, cũ pręter naturã ſit ipſe dominus Ieſus partus ex Virgine? Sextũ quoq; de ſacramẽtis librũ in quo opere præfatũ mendaciũ eum dixiſſe mendaciter affirmaſti, ſic incipit: Sicut verus eſt Dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus, nõ quẽadmodum cæteri homines per gratiã, ſed quaſi filius per naturã, id eſt, ex ſubſtãtia patris: ita vera caro eius eſt quã accipimus, & verus eius ſanguis eſt quẽ potamus. Paucisſima de multis me dixiſſe ſufficiat, vt lectores tuarũ atq; mearũ ſententiarũ perſpicaciter agnoſcant, qua fraude fingis non inuenta, qua aſtutia deprauas inuenta, qua peruicacia in aliud detorquere conaris quæcunq; relinquis illæſa. Cui nequitiæ nulla ferè hæreticorum prauitas à tẽpore Luciani & Iſychiĳ ſimilis exti-

Lib. 6. de ſacra.

Lucianus Iſychius.

 tit:

tit:quorũ vterq; Propheticas & Euãgelicas atq; Apoſtolicas ſcripturas ad ſuæ cauſæ cõmodum deprauauit. Quæq; hæreſis ſacras quidem literas male intellexit: ſed tamen ſine vlla euerſione vel peruerſione in ſuo eas ſtatu manere permiſit. In quarto verò de ſacramentis ſermone, cũ præfatus doctor ſatageret approbare, nõ eſſe mirandũ, ſi ea quæ ſunt Diuina potentia in aliud tranſeãt, propterea quòd ipſa quoq; iubente omnia ex nihilo facta ſubſiſtãt, ſubiunxit: Si igitur tanta
Cap. 4. vis eſt in ſermone domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ nõ erãt: quãto magis operatorius eſt vt ſint quæ erant, & in aliud cõmutentur? Eſſe quidem ſecundũ viſibilem ſpeciem teſtatur quæ erãt, cõmutari verò ſecundũ interiorem eſſentiã in naturam illarũ rerũ quæ antea non erant. Hoc modo ante & poſt ipſemet exponit, diuerſis quidem verbis, ſed non diuerſis ſententijs. Atq; arbitror hinc te aſſumpſiſſe quod ſuperi⁹ intuliſti: quodq; tolerabiliter dictũ intolerabiliter expoſuiſti. In quibuſdã tamẽ codicibus pręfata ſentẽtia verbis alijs inuenitur, hoc modo: Si igitur tãta vis eſt in ſermone Domini Ieſu vt inciperent eſſe quę non erãt: quãto magis operatorius eſt, vt quæ erãt in aliud cõmutentur? Quæ literatura plurimum in ſententia cõcordat cũ ea, quæ in libro ab eodem de myſterijs ſiue initiãdis edito in hæc verba re-
Cap. 9. peritur: Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod nõ erat: nõ poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? BEREN. Sacrificiumq; eccleſiæ duobus conſtat, duobus conficitur, viſibili & inuiſibili, ſacramento & re ſacramẽti. Quæ tamen res, id eſt Chriſti corpus, ſi eſſet præ oculis, viſibilis eſſet: ſed eleuata in cœlũ, ſedénſq; ad

dexteram

dexterã patris, vſq; in tempora reſtitutionis omniũ quod ſcribit Apoſtolus Petrus, cœlo deuocari nõ poterit, ſicut Chriſti perſona cõſtat Deo & homine. LANF. Cayphas cùm eſſet Põtifex anni illius, verum de Saluatore neſciens prophetauit, dicens expedire magis pro mundo mori vnũ hominem, quàm totius mundi perire omnẽ hominem. Verũ quidem dixit, verũtamen quò eius verbũ vergeret ignorauit. Sic & tu volens loqui contra cauſam noſtrã, manifeſtè quã defendendã ſuſcepimus aſſeris partem noſtram. Hoc eſt nãq; quod dicimus, hoc modis omnibus contra te ac ſequaces tuos approbare contendimus: ſacrificiũ ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorũ ſpecie, & inuiſibili domini Ieſu Chriſti carne & ſanguine: ſacramento, & re ſacramẽti. Quæ res, vt verbis tuis vtar, eſt corpus Chriſti, ſicut Chriſti perſona te quoq; autore conſtat & cõficitur Deo & homine, cũ ipſe Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo: quia omnis res illarũ rerũ naturã & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem, te etiam teſte, ſacrificium eccleſiæ ſacramento & re ſacramẽti, id eſt corpore Chriſti. Eſt igitur ſacramentũ & res ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti. Chriſtus tamen reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur: ſed ſicut dicit Andreas Apoſtolus, cùm verè in terris carnes eius ſint cõmeſtę, & verè ſanguis eius ſit bibitus, ipſe tamen vſq; in tempora reſtitutionis omniũ in cœleſtibus ad dexteram patris integer ſemper perſeuerat & viuus. Si quæris modũ quo id fieri poſsit, breuiter ad præſens reſpondeo, Myſteriũ eſt fidei: credi ſalubriter poteſt, veſtigari vtiliter

Ioan. 11.

Auguſt.

Rom. 6.

Auguſtin. *Credi quædam utiliter poſſunt quæri nõ poſſunt.*

nõ poteſt. BEREN. Vnde b. Auguſtinus in Euãgelio, Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur: Nec quãdo manducamus, partes de illo facimus. LANF. B. Auguſtinus in Euãgelio nihil dixit, quia aliqd in euãgelio dixiſſe aliquẽ nuſquã legitur, pręter Dominũ & Euãgeliſtas, eáſq; perſonas quæ pro qualitate rerũ, & euẽtu tẽporum loqui in Euangelio à ſcriptoribus Euãgelij perhibẽtur. Scripſit verò prolixũ opus, hiſtorialiter exponẽdo Euangeliũ Domini ſecundũ Ioannẽ: in quo opere præfata ſententia reperitur, quam nos deuote ſuſcipimus, & debita reuerentia honoramus, quia pro nobis facit, & veritati conſonat, vbi ait, Qui manducat carnẽ meam & bibit ſanguinẽ meum, in me manet & ego in eo. Nec quãdo mãducamus, partes de illo facimus. Abſit enim vt ſic intelligamus mãducari Chriſtũ quẽadmodũ intellexerunt illi, qui cùm audirent dicentem Dominũ, Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitã in vobis, cõtinuo reſponderũt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Putauerunt namq;, ſicut præfatus autor multis in locis dicit, quòd in terris degentẽ Dominũ in fruſtra eſſent cõſciſſuri, & ſic carnes eius aut elixas in lebetibus, aut aſſas in verubus eſſent commeſuri: aut ſi hoc nollent, non poſſent eſſe eius diſcipuli. Propterea elegerunt abire, & iam amplius cũ eo non ire. Procul auertat Deus ab eccleſia ſua talẽ ſententiã. Sic nẽpe in terris immolatũ Chriſtũ manducamus & bibimus, vt in cœleſtibus ad dexterã patris integer ſemper perſeueret & viuus. BERENG. Vnde b. Auguſtinus in lib. de ciuitate Dei, Sacramentũ eſt ſacrum ſignum. Signũ diffi-

nit in

nit in libro de doctrina Chriſtiana. Signũ eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationẽ venire. LANF. Et nos Sacramentum de quo agimus ſacrũ eſſe ſignum credimus, & credendũ ſuademus. Quo ſigno præter ſpeciem, quæ ſe oculis intuentiũ ingerit, longe aliud valdeq́; diuerſum in cogitationem ſalubriter intelligẽtium venit. Quid autem illud ſit, ſeu potius quæ illa ſint, breuiter ſuperius memoraui, latius paulo poſt commemoraturus. Veruntamen beatus Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei non ita abrupte, vt tu dicis, ſacramentum ſacrum eſſe ſignum diffiniuit. Nihil verò eo in loco de corpore & ſanguine Domini loquebatur, ſed tractans de ritu Iudaicorum ſacrificiorum, quo per ſacrificia quæ viderentur, res inuiſibiles per quas humanæ *ſocietati ad diligendum Dominũ proximumq́; conſulitur ſignificarentur, paucis, approbatá ſententiá cõcluſit, dicẽs: Sacrificiũ ergo viſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentũ, id eſt, ſacrũ ſignũ eſt. Quid verò viſibile, quid inuiſibile ſacrificiũ vocauerit, poſt aliqua his verbis exponit: Nõ vult ergo Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificiũ cõtriti cordis. Et paulo poſt: Porrò autem miſericordia verum ſacrificiũ eſt. BERENG. Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaciũ Epiſcopum: Si Sacramenta rerum quarum ſacramẽta ſunt ſimilitudinem non haberent, omnino ſacramenta nõ eſſent. Idem de cathechizandis rudibus: Signacula quidem rerum diuinarum ſunt viſibilia, ſed res inuiſibiles in eis honorantur: nec ſic habẽda eſt ſpecies benedictione ſanctificata, quemadmodum habetur in vſu quolibet, LANF. Hoc

Sacramẽtũ quid ſit

**ſaluti*

ignorare quiſquam nequit, quicũq; vel tenuem ſacris literis operã impendit. Sacramenta enim illarum rerum quarum ſacramenta ſunt ſemper ſimilitudinem gerũt: ſicut in ſacramento de quo hæc quæſtio ventilatur, dum frangitur hoſtia, dũ ſanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúſq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Alioquin ſacramentũ non eſſet: ſi tamen ſacramenti nomen eo intelligatur modo, quo nũc intelligimus & intelligi à lectoribus ſeu auditoribus ęſtimamus. Dicitur nãq; ſacramentũ etiam iuſiurandũ, non quòd rei cuiuſpiam ſimilitudinẽ habeat: ſed quia ſupra res ſacras alicuius rei cõfirmatio vel abnegatio fiat. Vnde b. Gregorius in epiſtola ad Iuſtinũ: Ad beati, inquit, Petri ſacratiſsimũ corpus diſtricta eũ ex abundanti fecimus ſacramenta præbere. Dicitur quoq; ſacramentũ alicuius rei ſacratio: ſicut argumentũ dubiæ rei approbatio, fulcimentũ, caſurę rei ſuſtentatio. Illud verò quod ex libro de Cathechizãdis rudibus aſſumpſiſti, aſſerens in rebus viſibilibus res inuiſibiles honorandas, nec ſic habendã ſpeciem benedictione ſanctificatã, quemadmodum non ſanctificatã: quid tuę parti proſit planè non video. Imò magis videtur tuam oppugnare ſententiã, noſtræ ferre ſubſidiũ. Nos etenim in ſpecie panis & vini quã videmus, res inuiſibiles, id eſt Chriſti carnem & ſanguinẽ honoramus. Nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, ex quibus cõſecratur Dominicum corpus, quemadmodum ante conſecrationem pendebamus: cùm fideliter fateamur, ante conſecrationẽ eſſe panem vinũq;, id eſt eas res quas natura formauit, inter ſacrandum

Sacramẽtum quid ſignificet.

Auguſtini uerba.

dum verò conuerti in Chriſti carnem & ſanguinem, quas vtraſque res benedictio conſecrauit. Quàmuis b. Auguſtinus in eo libro non magis loquebatur de hoc ſacramento, quàm de cæteris quæ chriſtiana cõſuetudine exerceri iubentur, & ſolemniter exercentur: inſtruens Diaconũ quendã Carthaginenſis eccleſiæ, qualiter ipſum quoq; rudes de his & de cæteris oporteret inſtruere. BEREN. Vnde b. Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaciũ: Sicut, inquit, ſacramentũ corporis Chriſti ſecundum quendã modũ corpus Chriſti eſt, ſacramentũ verò ſanguis Chriſti ſecundum quendã modũ ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei fides eſt. LANF. Sacramentũ corporis Chriſti, quãtum ad id ſpectat quòd in cruce immolatus eſt ipſe dominus Chriſtus, caro eius eſt, *Auguſtin.* quam forma panis opertam in ſacramento accipimus, & ſanguis eius quẽ ſub vini ſpecie ac ſapore potamus: Caro videlicet carnis, & ſanguis ſacramentũ eſt ſanguinis: Carne & ſanguine vtroq; inuiſibili, intelligibili, ſpirituali ſignificatur redẽptoris corpus viſibile, palpabile, manifeſtè plenũ gratia omnium virtutũ, & diuina maieſtate. Quorũ alterum quidem dũ frãgitur, & in populi ſalutem diuiditur, alterũ verò effuſum de calice ab ore fideliũ ſumitur: mors eius in cruce, & ſanguinis eius de latere emanatio figuratur. Vtrũq; b. Cregorius & ſollerter attendit, & enucleatè in quarto Dialogi libro ita exponit, dicẽs: Eius quippe caro ibi ſumitur, eius ſanguis nõ iã in manus infideliũ, ſed in ora fidelium funditur. Penſandũ ergo eſt quale ſit hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra mortem vnigeniti filij ſemper imitatur. Imitatur dixit, non operatur: *Rom. 6.*

quia reſurgens ex mortuis iã non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. Caro ergo & ſanguis, quibus ad impetrãdã, p peccatis noſtris dei miſericordiã quotidie alimur, Chriſti corpus ac ſanguis vocantur : nõ ſolùm quia eſſentialiter idem ſunt, qualitatibus plurimũ diſcrepãtes, verũ etiã eo locutionis modo quo res ſignificans ſignificatæ rei ſolet vocabulo nuncupari. Nec iuſte quiſquã mouebitur, ſi eadẽ caro, idemq́ ſanguis ſui ipſorum ſacramenta exiſtant, ſecũdum aliud atq; aliud accepta: cùm ipſe Dominus Ieſus poſt reſurrectionem ſuam ſui ipſius diuerſa tẽporum

Luc. vlt. ratione typũ geſſerit & figuram. Apparens enim duobus diſcipulis, locutúſq; eis quantũ ſatis eſſe iudicauit, dũ finxit ſe longius ire, ſicut b. Auguſtinus dicit, ſignificauit ſe poſt paucos dies in cęlum aſcẽſurum eſſe. Quod iter lõge remotũ eſt à cõmuni hominũ vita, quæ ipſis duobus diſcipulis euidẽtiſsime figurata eſt. Chriſtus ergo Chriſti eſt ſacramentum : longius videlicet ire ſe fingens, longius ſuo tempore aſcendentis in cœlũ. Idem eiuſdem, nec tamẽ vſquequaq; eiuſdẽ. Verus namq; Deus, & verus homo, & fingens, & aſcendens. Veruntamen aliud eſt figmentũ terreni itineris, in aliud cœlum veritas aſcendentis. Nec aliquis ita deſipuerit, vt propterea abnegare pręſumat fingentem ſe longius ire eſſe verum Chriſtũ: quia ipſo figmento longioris itineris ſignificauit verum Chriſtũ aſcẽſurum in cœlum. Porrò ſacramentũ fidei in ipſa ad Bonifacium epiſtola

Baptiſm᷑. beatus Auguſtinus baptiſmũ vocat. Verus autem baptiſmus conſtat non tam ablutione corporis, quàm fide cordis: quẽadmodum Apoſtolica doctrina tradit, dicens: Fide mũdans corda eorum. Et alibi:

Et alibi:Sic & vos ſaluos facit baptiſma, nõ car- Act. 15.
nis depoſitio ſordiũ, ſed conſcientiæ bonæ in- 1.Pet.3.
terrogatio in Deum. Alterum tamen ſignificatur per alterum. Nam per ablutionem, quæ corpori extrinſecus adhibetur, purgatio animę exprimitur, quam fides interior operatur. Vocaturq́ baptiſmus fides, ſecũdũ eam locutionis formã, qua myſteriũ eius rei cuius myſterium eſt cenſeri nomine conſueuit. Huius rei cauſa ſimilitudo eſt, quam in ſacramento & in re ſacramenti reperiri ſemper neceſſe eſt: ſicut in baptiſmo & fide. Vtrũq; enim lauat, purgat, purificat: illud carnem,
hoc mẽtẽ. Sicut ergo cæleſtis panis, quæ vera ca- Auguſtin.
ro Chriſti eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti: cũ reuera ſit Sacramentũ corporis Chriſti, illius videlicet quod viſibile, palpabile, mortale in cruce eſt ſuſpenſum, vocaturq́ ipſa carnis ipſius immolatio, quæ ſacerdotis manibus fit Chriſti paſsio, mors, crucifixio, nõ rei veritate, ſed ſignificãte myſterio: ſic ſacramentũ fidei quod baptiſma intelligitur, fides eſt. BERENG. B. Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaciũ: Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo: & tamen in ſacramento non ſolũ per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed
& omni die populis immolatur. LANF. In ſeipſo Epiſt. ad
ſemel immolatus eſt Chriſtus: quia in manifeſta- Bonifa.
tione ſui corporis, in diſtinctione mẽbrorũ omniũ, verus Deus & verus homo ſemel tantum in cruce pepẽdit, offerens ſeipſum patri hoſtiã viuã, paſsibilem, mortalem, viuorũ ac mortuorũ redemptionis efficacẽ, eorũ videlicet quos diuini conſilij altitudo redimẽdos iudicauit, præſciuit, prædeſtinauit, vocauit, modis atq; temporibus quibus id fieri congruebat. In Sacramento

tamen,

tamen quod in huius rei memoriam frequentat eccleſia, caro Domini quotidie immolatur, diuiditur, comeditur, & ſanguis eius de calice fideliũ ore potatur: Vtraq; vera, vtraq; de virgine ſumpta. Sumitur quidem caro per ſe, & ſanguis per ſe, nõ ſine certi ratione myſterij: quãuis alio locutionis modo totus Chriſtus mãducari dicatur & credatur, ſcilicet cum vita æterna, quę ipſe eſt, ſpirituali deſiderio appetitur, cũ recordatio mãdatorũ eius ſuper mel & fauũ dulcior in mente habetur, cũ fraterna charitas cuius ſignũ hoc ſacramentũ geſtat, pro Chriſti amore diligitur, cũ dulciter atq; ſalubriter in memoria reconditur, quòd pro ſalute hominũ cõtumelijs ſit affectus, cruce ſuſpenſus, clauis affixus, lãcea vulneratus. Vtraq; cõmeſtio neceſſaria vtraq; fructuoſa: altera indiget alterius vt boni aliquid operetur. Nam prior ſi deſit, poſterior non ſolùm peccata nõ purgat, ſed etiam auget, & præſumptores iudicat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit. Porrò poſterior ſine priore eſſe non poteſt, aut nõ debet. Hinc namq; panis quotidianus à Domino dicitur, ſicut à beato Ambroſio, & ſancto Cypriano exponitur. Et in Euãgelio legitur: Niſi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, nõ habebitis vitã in vobis. Et ſacri Canones iubent non habendos inter catholicos, qui ſacramento corporis Chriſti non cõmunicant, niſi fortè pœnitentiũ more & Epiſcopali iudicio pio capitalibus peccatis abſtineãt. Fruſtra ergo infers & dicis, Si ſemel paſſus eſt Chriſtus in ſemetipſo: ſemel etiã in corpore ſuo, eò quòd corpus ſuũ nullo modo ſeparari poteſt à ſeipſo. Quòd nõ procedit.

Euchariſtia charitatis fraternæ ſymbolum eſt.

Panis quotidianus.

Poenitẽtes Euchariſtia abſtinent.

cedit. Multa quippe ſunt in rebus, quæ rerũ partibus cõuenire non poſſunt. Nã cùm ipſe Dominus Ieſus verus Deus ſit, & verus homo, omníſq; homo cõſtet anima rationali & corpore: non tamen anima ipſa, aut ipſum corpus rectè vocabitur homo vel Deus. BEREN. Conſentio, inquit Burgũdus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Reuera nõ ſanctã Eccleſiã experta eſt veritas ipſa, ſed Eccleſiã malignantiũ, conciliũ vanitatis nec Apoſtolicã, ſed ſedem Satanæ. LANF. Non deberes dicere, conſentio inquit Burgundus, ſed conſentio ego Berengarius. Tua enim hæc verba fuerunt: hæc te credere ſanctũ Conciliũ fefelliſti, hæc te ſeruaturũ iureiurãdo firmaſti. Venerabilis Humbertus quem quaſi exprobrando Burgundũ nominas, quaſi non poſsit Deus in Burgundia habere ſeruos ſuos: nihil aliud fecit, niſi quòd ſcripturã ipſam pręcipiente Synodo manu in manũ tibi porrexit. Verùm ô infelix anima, de hæreſi ad periuriũ prius tranſiſti: nunc iterũ de periurio ad hæreſim remeaſti. Propterea traditus in reprobũ ſenſum, ſanctam Romanã Eccleſiã vocas eccleſiam malignantiũ, Cõciliũ vanitatis, ſedem Sathanę. Et hoc impio ore garriſti, quod garriſſe nemo legitur, non hæreticus, non ſchiſmaticus, non falſus aliquis Chriſtianus. Quotquot enim à primordio Chriſtianæ Eccleſiæ Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, etſi aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerũt: ſedẽ tamẽ ſancti Petri Apoſtoli magnificè honorauerunt, nullãq; aduerſus eã huiuſmodi blaſphemiã vel dicere, vel ſcribere præſumpſerunt. Quod indubitatũ habet qui eorum ſcripta legit, quæ diuerſis tẽporibus, ac diuerſis de cauſis

Romanæ ſedis dignitas.

ſedes Apoſtolica ab eis tranſmiſſa vel porrecta recepit. Deniq; ipſe Dominus honorificè alloquitur eam in Euãgelio ſuo dicẽs, Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meam,& portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eã, & tibi dabo claues regni cælorũ: & quodcũq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis. Quæ tametſi de paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ dicta eſſe credantur,& à quibuſdã Catholicis exponãtur: præcipuè tamen de Romana Eccleſia intelligenda eſſe ſacri Canones & Pontificũ decreta teſtantur. BEREN. Quis enim aut ratione concipiat,aut per miraculũ fieri poſſe concedat, panem frangi in Chriſti corpore, quod poſt reſurrectionẽ tota viget incorruptibilitate, & vſq; in tẽpora reſtitutionis omniũ cœlo manet indeuocabile? LANF. Quo nã modo panis efficiatur caro, vinũq; cõuertatur in ſanguinẽ, vtriuſq; eſſentialiter mutata natura: iuſtus qui ex fide viuit ſcrutari argumẽtis,& concipere ratione nõ quærit. Mauult enim cœleſtibus myſterijs nũc fidem adhibere,vt ad fidei præmia quãdoq; valeat peruenire: quàm fide omiſſa in cõprehendendis ijs quæ cõprehendi non poſſunt ſuperuacue laborare,ſciens ſcriptũ eſſe: Altiora te ne quæſieris,& fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus,illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſariũ, ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. Diuina tamen potentia mirabiliter operãte fieri poſſe cõcedit. Nec defuere quibuſdã dubitãtibus digna miracula, quibus rerũ viſibiliũ atq; corruptibilium ablatis tegumentis, ſicuti reuera eſt ap-

Mat. 16.

Eccle. 3.c

Miracula circa Euchariſtiã.

eſt apparet corporalibus oculis caro Chriſti & ſanguis: omnipotente Deo miſericorditer ſanãte infirmorum imbecillitatẽ, & terribiliter damnante atq; euertente omniũ hæreticorũ deteſtabilem prauitatem, Quorũ officiũ eſt, ſimplicem infantium atq; lactentium, ex quibus laudẽ perfecit Chriſtus, fidem irridere, rationibus omnia velle comprehendere: cùm ipſi ſint rationis expertes: facti propter arrogantiã & ſterilitatẽ ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Quòd verò incorruptionẽ Dominici corporis, & quòd cœlo vſq; in diẽ iudicij deuocari nõ poſſit, fidei noſtræ qua ipſum vere à fidelibus ſuis manducari credimus, quaſi cauſam impoſsibilitatis opponis: profectò fidẽ noſtrã aut nõ intelligis, aut intellectã male exponendo ad tuã ipſius perniciẽ deprauare cõtendis. Sic enim credimus verè ſalubriterq; mãducari in terris à digne ſumẽtibus dominũ Ieſum Chriſtũ: vt certiſsime teneamus exiſtere eũ in cœleſtibus incontaminatũ, incorruptũ, illæſum. Ineptus ſis ſi propterea dicas Sareptanam viduam non potuiſſe comedere oleum, quo plenus erat lechythus ſuus, quia ſacra teſtante hiſtoria lechythus olei non eſt imminutus: cùm eadẽ ſcriptura dicat, Abijt & fecit iuxta verbũ Heliæ, & comedit ipſe, & illa, & domus eius. Non diſsimili grauaris væcordia, ſi idcirco moliaris aſtruere, nõ poſſe aliĩ ecclesiam carne & ſanguine redẽptoris ſui quia Apoſtolus dicit, Chriſtus reſurgẽs ex mortuis iã non moritur mors illi vltra nõ dominabitur: cũ ipſe Dñs loquens diſcipulis ſuis teſtetur dicens, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meũ, quod ꝓ vobis tradetur. Et: Hic eſt calix ſanguinis mei myſteriũ fidei,

3. Reg. 17

Rom. 9.

fidei,qui pro vobis & pro multis effundetur.Et: Panis quem ego dedero caro mea eſt pro mundi vita. Et:Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem , nõ habebitis vitam in vobis . Ex quibus Domini verbis ortæ ſunt duæ hæreſes antiquis tẽporibus . Et in hoc quidem conſenſerunt omnes,quòd panis & vinũ in verã filij hominis carnẽ, verumq́ eius ſanguinẽ cõuerterẽtur: ſed quis eſſet iſte filius hominis,nõ omnes eãdem ſententiã tenuerunt . Quidã arbitrati ſunt, hũc oportere intelligi quemlibet hominem, ſiue iuſtum, ſiue peccatorẽ in cuius carnem ac ſanguinẽ conuerſa terrena ſubſtantia ſumeretur in remiſsionem peccatorum . Alij arbitrati ſunt non hunc eſſe de turba quemlibet hominẽ,ſed virum iuſtũ,ſanctificatum, à communi hominũ vita per ſuæ vitæ celſitudinẽ ſegregatũ, qui templum Dei eſſet, qui Diuinam in ſe habitationem veriſsimè poſsideret : in cuius carnem ac ſanguinem commutari poſſe panem , vinũq́ altaris hæretica pertinacia delirabãt . Factum eſt autem hoc paucis annis poſt obitum beati Auguſtini, tempore Celeſtini Papæ , & Cyrilli Alexandrini Epiſcopi : quibus præcipientibus atq́ annitentibus indicta ac celebrata eſt Synodus Epheſina vna de quatuor , quas beatus Gregorius in epiſtola ad Patriarchas fatetur ſe ita ſuſcipere,cõplecti ac venerari,quemadmodum ſancta quatuor Euangelia Domini noſtri Ieſu Chriſti. In qua Synodo dãnatæ ſunt vtræq́ ſuperius cõprehẽſæ lętales peſtes: roborata eſt fides,qua credimus panẽ conuerti in eã carnem, quæ in cruce pependit,vinũq́ in eum ſanguinem , qui dependentis in cruce latere emanauit. Deniq́ ducenti, qui eidem

De vera Chriſti carne in Euchariſtia nulla unq̃ controuerſia.

qui eidẽ Concilio interfuere Epiſcopi,inter cæ-tera de hoc ſacramento ſic ſcripſerunt: & Neſto-rio Epiſcopo quaſi hæreticorũ capiti tranſmi-ſerunt. Ad benedictiones,inquiunt,myſticas ac-cedimus,& ſanctificamur participes ſancti cor-poris & precioſi ſanguinis Chriſti oĩm noſtrûm redemptoris effecti: Non vt cõmunem carnem percipientes,quod abſit, nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundũ dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſsidentis habitationem,ſed vere viuificatricẽ,& ipſius verbi propriã factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtẽs * quia pro-priæ carni vnitus eſt, viuificatricẽ eã eſſe ꝓfeſſus eſt. Et ideo quàmuis dicat ad nos, Amen amen dico vobis,niſi manducaueritis carnem filij ho-minis,& biberitis eius ſanguinẽ:non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus. Quo modo enim iuxta naturã ſuam viuificatrix eſſe caro hominis poterit? Sed profitemur vere propriã eius factã, qui propter nos filius hoĩs & factus eſt & vocatus. Et circa finẽ Cõcilij: Si quis nõ confitetur carnẽ Dñi viuificatricẽ eſſe, & pro-priã ipſius verbi Dei patris,ſed velut alterius prę-ter ipſum coniuncti eidẽ per dignitatẽ, aut quaſi diuinã habẽtis habitationẽ,ac non potius viuifi-catricẽ eſſe, quia facta eſt propria verbi viuificare valentis:anathema ſit. Quid manifeſtius audire deſideras,ſi ſtudioſum nouæ contẽtionis animũ ſtudio antiquæ pacis omittas? Non eſt vt ſancta Synodus definit,hæc caro alicuius de vulgo ho-minis,nõ iuſti & ſanctificati hominis,ſed potius cui ipſe vnitus,& incarnatus eſt,Dei & hominis. Quòd verò ait, benedictiones myſticas: ſic dictũ accipe,quaſi diceret ſecretas. Myſteriũ nãq;, ſicut

Epheſinũ Conciliũ de carne Chriſti quædam habet.

**alias qui eidẽ pro-priæ etc.*

Myſteriũ unde. beatus Auguſtinus in libro de cathechizãdis rudibus dicit, à ſecreto nomẽ accepit. Quid enĩ ſecretius, q̃ panis viniq́ꝫ ſpeciẽ cõſpicere, ſaporem guſtare, tactũ ſentire: & tamẽ mirabiliter operãte Deo verã carnẽ, verumq́ꝫ ſanguinẽ credere, comedere, bibere? Has & huiuſmodi ſcripturas per totum ferè diuinarum literarum corpus ſparſim diffuſas, ſi amoto inanis iactantiæ appetitu pro intentione vitæ æternæ humiliter legeres, ſi inter legendum effuſus ad Deum precibus impetrata diuina gratia intelligeres, ſi ea quæ ad literam accipi, & ea quæ ſpiritualiter oportet intelligi Chriſtiana cautela diſtingueres: proculdubio crederes, quod vniuerſalis Eccleſia credit, prædicares quod Apoſtolica doctrina in tota mundi latitudine prædicandũ inſtituit, carnẽ ſcilicet ac ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, & ore corporis & ore cordis, hoc eſt corporaliter ac ſpiritualiter manducari & bibi. Corporali ſiquidem ore corporaliter manducamus & bibimus: quoties de altari Dominico ipſum dominicũ corpus per manũ ſacerdotis accipimus: Spirituali verò ore cordis ſpiritualiter comeditur & hauritur: quãdo ſuauiter, & vtiliter ſicut b. Auguſtinus dicit in memoria recõditur, quòd vnigenitus Dei filius pro ſalute mũdi carnẽ accepit, in cruce pependit, reſurrexit, apparuit, aſcendit, venturus in die iudicij dignas ſingulis mercedes rependere pro ſuis operibus. Quæ comeſtio tunc eſt vtilis pauperibus Chriſti, ſi ad tãti diuitis tam magnã mẽſam ſedẽtes ſic edunt vt ſaturẽtur, ſic recolũt, vt imitẽtur: parati ſemper mori ꝓ Chriſto, mortificantes iugiter mẽbra ſua quę ſunt ſuper terrã, & crucifigentes carnẽ ſuã cum vitijs & concupiſcentijs,

centijs,ſicut ſcriptũ eſt: Ad menſam magnã ſedi-
ſti,ſcito quoniam talia te oportet præparare.De Eccle. 31.
corporali cõmeſtione diſcipulis à Domino dici-
tur: Accipite,mãducate & bibite: hoc eſt corpus
meum,quod pro vobis tradetur. Et: hic eſt calix
ſanguinis mei,qui pro vobis effundetur. Et A- 1.Cor.11.
poſtolus ad Corinthios: Qui manducat & bibit
indigne,iudiciũ ſibi mãducat & bibit, nõ dijudi-
cans corpus Domini. Spiritualẽ autẽ cõmeſtionẽ
demõſtrare ſatagebat b. Auguſtinus in Homilia
viceſima ſexta ſuper Ioannẽ,cũ diceret: Panẽ cœ-
leſtẽ ſpiritualiter mãducate,innocentiã ad altare
apportate. Et poſt pauca: Hic eſt ergo panis de
cœlo deſcẽdẽs, vt ſi quis ex ipſo mãducauerit nõ
moriatur. Sed quod pertinet ad virtutẽ ſacramẽ-
ti: nõ quod pertinet ad viſibile ſacramẽtum. Qui
mãducat intus nõ foris: qui manducat in corde,
nõ qui premit dẽte. Quæ autẽ ſit huius ſacramẽti
virtus,paulo poſt exponit dicẽs: Norunt fideles
corpus Chriſti,ſi corpus Chriſti eſſe nõ negligãt.
Fiãt corpus Chriſti, ſi volũt viuere de ſpũ Chri-
ſti. Et poſt aliqua: Inde eſt quod exponens nobis
Apoſtolus Paulus hũc panẽ, Vnus panis, inquit, 1.Cor.10.
vnũ corpus multi ſumus. O ſacramẽtũ pietatis,
O ſignũ vnitatis, O vinculũ charitatis. ¶ Propul-
ſatis quantũ ſatis viſum eſt calũnijs, quas in cõ-
tumeliã Hũberti Epiſcopi,ſanctæq́; Romanę ec-
cleſiæ temere protuliſti,ſcripſiſti,edidiſti: reliquũ
eſt vt fidẽ ſanctæ eccleſiæ atq; opinionẽ tuæ ſectę
cõpendioſe exponamus,expoſitas paucis autori-
tatibus,breuibúſq; rationibus vnam probemus,
alterã improbemus. Plurima enim ac prolixa vel
teſtimonia ſcripturarũ, vel firmamẽta diſputati-
onũ epiſtolaris breuitas inſeri nõ permittit: nec

 ratio

ratio aut neceſsitas vlla expoſcit. Nã qui fideles ſunt, ſed deprauati, prauitati ſuæ defendẽdę pertinaciter non inſiſtunt: ſed potius intellectis autoritatibus, auditíſq; rationibus ad viã veritatis humiliter reuerti cõcupiſcũt, pauca eis & à paucis ſufficere poſſunt. Qui verò cõtentionibus deſeruire, atq; in ſua infidelitate perſiſtere decreuerunt: nec ſi plura apponerẽtur, poſſent pluribus eſſe cõtenti. ¶ Credimus igitur terrenas ſubſtantias, quæ in mẽſa Dominica per ſacerdotale miniſteriũ diuinitus ſanctificantur, ineffabiliter, incõprehenſibiliter, mirabiliter operante ſuperna potentia, cõuerti in eſſentiam Dominici corporis, reſeruatis ipſarũ rerum ſpeciebus, & quibuſdam alijs qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerẽt, & vt credẽtes fidei pręmia ampliora perciperent: ipſo tamen Dominico corpore exiſtente in cœleſtibus ad dexteram patris immortali, inuiolato, integro, incõtaminato, illæſo, vt vere dici poſsit & ipſum corpus quod de virgine ſumptũ eſt, nos ſumere, & tamen non ipſum: Ipſum quidẽ, quantũ ad eſſentiam veræq; naturę proprietatẽ, atq; virtutem: non ipſum autem, ſi ſpectes panis viniq; ſpeciẽ, cæteraq; ſuperius cõprehenſa. Hanc fidem tenuit à priſcis tẽporibus, & nũc tenet Eccleſia, quæ per totũ diffuſa orbem catholica nominatur. Vnde ſicut ſuperius dictum eſt Dominus ait in Euãgelio: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur: Et: Hic eſt calix ſanguinis mei, myſteriũ fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.

S. eccleſiæ catholicæ fides de euchariſtia.

Ambroſ. Cap. 9. Beatus Ambroſius diſcernẽs ſacramẽtũ Chriſtianorũ à ſacramento Iudæorũ, in ſermone de

myſterijs ad Neophytos ſic ait: Conſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis angelorum, an caro Chriſti, quæ vtiq; corpus eſt vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diē alterū ſeruaretur: hoc alienum ab omni corruptione. quod quicunq; religioſe guſtauerit, corruptionem ſentire nō poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horā ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in æternū. Iudæus bibit, & ſitit: tu cùm biberis, ſitire nō poteris. & illud in vmbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris vmbra eſt: quantū iſtud cuius & vmbrā miraris? Et paulo poſt: Cognouiſti præſtātiora. Potior eſt enim lux quā vmbra, veritas quàm figura, corpus autoris q̃ māna de cœlo. Forte dicas, Aliud video: quomodo tu mihi aſſeris quòd corpus Chriſti accipiā? Et hoc nobis adhuc ſupereſt vt probemus. Quātis igitur vtimur exēplis? probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio cōſecrauit, maioremq; vim eſſe benedictionis q̃ naturæ, quia benedictione etiā natura ipſa mutatur. Virgā tenebat Moyſes, proiecit eā, & facta eſt ſerpens. Rurſus *prendit caudam ſerpentis, & in virgę naturā reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatā eſſe naturam, & ſerpentis & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarū meatu, ſubito de fontiū venis ſanguis cœpit erūpere. Nō erat potus in fluuijs. Rurſus ad prophetæ voces cruor ceſſauit fluminū, aquarū natura remeauit. His & alijs huiuſmodi miraculis quæ ineffabili diuinitatis operatiōe fiūt enarratis, poſt aliqua ſubiūgit: Aduertimus igitur maioris eſſe virtutis gratiā q̃ na-

*prehēdit

turam, & adhuc tamē propheticæ benedictionis numeramus gratiā? Quòd ſi tantū valuit humana benedictio, vt naturā cōuerteret: quid dicimus de ipſa cōſecratione Diuina, vbi verba ipſa Domini ſaluatoris operantur? Nā ſacramentū iſtud quod accipis, Chriſti ſermone cōficitur. Quòd ſi tantū valuit ſermo Heliæ, vt ignē de cœlo deponeret: nō valebit Chriſti ſermo vt ſpecies mutet elementorū? De totius mundi operibus legiſti, Quia ipſe dixit & facta ſunt ipſe mādauit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod nō erat: nō poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod nō erāt? Nō enim minus eſt nouas rebus dare, q̄ mutare naturas. Sed quid argumētis vtimur? ſuis vtamur exēplis, incarnationiſq; exēplo aſtruamus myſterij veritatē. Nunquid naturæ vſus præceſsit, cū dominus Ieſus ex Maria naſceretur? Si ordinē quærimus, viro mixta fœmina generare cōſueuit. Liquet igitur quòd pręter naturæ ordinē virgo generauit. & hoc quod cōficimus corpus, ex virgine eſt. Quid hîc quęris naturæ ordinē in Chriſti corpore: cū præter naturā ſit ipſe dominus Ieſus partus ex Virgine? Itē
Cap. 4. in quarto de ſacramentis. Tu forte dicis: Meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramētorū: Vbi acceſſerit cōſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Et paulo poſt: Cœlum non erat, mare nō erat, terra nō erat. Sed audi dicentē
Pſal. 148. Dauid: Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ergo tibi vt reſpondeā, nō erat corpus Chriſti ante conſecrationē, ſed poſt cōſecrationē, dico tibi quia iam eſt corpus Chriſti. Ipſe
Cap. 5. dixit & factū eſt, ipſe mandauit & creatum eſt. Et poſt aliqua: Antequam cōſecretur, panis eſt: vbi

autem

autem verba Chriſti acceſſerint,corpus eſt Chriſti.Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes,Hoc eſt enim corpus meũ. Et ante verba Chriſti, calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redemit.Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa cõuertere.Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis,quod corpus ſuũ accipiamus & ſanguinẽ: Nũquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Itẽ in ſexto de ſacramentis,quod & ſuperius dictum eſt:Sicut verus eſt Dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus, nõ quemadmodũ cæteri homines per gratiã, ſed quaſi filius per naturam, id eſt,ex ſubſtantia patris: ita vera eius caro eſt, ſicut ipſe dixit,quam accipimus, & verus ſanguis eius eſt quem potamus. Sed forte dicas quod dixerunt tunc temporis etiam diſcipuli Chriſti, audientes dicentem: Niſi quis manducauerit carnem meam & biberit ſanguinem meum non manebit in me,nec habebit vitam æternam. Forte dicas: Quomodo vera? qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de ſermone Chriſti,qui operatur vt poſſit mutare & conuertere genera inſtituta naturæ. Deinde vbi non tulerunt ſermonẽ Chriſti diſcipuli eius,audientes quòd carnẽ ſuã daret mãducare,& ſanguinẽ ſuum daret bibendum, recedebant:ſolus tamen Petrus dixit, Verba vitæ æternæ habes,& ego à te quo recedã? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidã eſſet horror cruoris,ſed maneret gratia redemptionis :ideo in ſimilitudine quidem accipis ſacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris.

Cap.1.

Ioan.6.

Ego ſum,inqt,panis viuus qui de cælo deſcendi: Sed caro non deſcendit de cœlo, hoc eſt,carnem in terris aſſumpſit ex Virgine. Quomodo ergo deſcendit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idē dominus noſter Ieſus Chriſtus conſors eſt & diuinitatis, & corporis: & tu qui accipis eius carnē,diuinæ eius ſubſtantię in illo participaris alimēto.Itē in epiſtola ad Irenæū: Quæris à me cur Dominus Deus māna pluerit populo patrum,& nunc non pluat. Si cognoſcis pluit, & quotidie pluit de cœlo māna ſeruiētibus ſibi. Et corporeū quidē illud māna hodie pleriſq; in locis inuenitur:ſed nūc non eſt tanti res miraculi, quia venit quod perfectū eſt. Perfectū autem panis de cœlo, corpus ex Virgine eſt, de quo ſatis te Euangeliū docet. Quanto præſtantiora hæc ſuperioribus?

August. Auguſtinus in Homilia ſecūda Pſalmi triceſimi tertij, Acceſſerūt Iudæi ad Chriſtū vt crucifigerēt:nos ad eū accedamus vt corpus & ſanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrāti ſunt:nos manducādo crucifixū & bibēdo illuminamur.Et poſt aliqua:Vere magnus Dominus,& magna miſericordia eius vere, qui nobis dedit māducare corpus ſuū in quo tāta perpeſſus eſt,& ſanguinē bibere.Itē in homilia Pſalmi quadrageſimi quinti ad Iudæos loquens:In illius nomine quē occidiſtis baptizamini,& dimittūtur vobis peccata veſtra. Medicū vel poſtea cognouiſtis,iā ſecuri bibite ſanguinē quē fudiſtis. Item in Homilia pſalmi ſexageſimi quinti:Modo homicidis donatus eſt ſanguis fuſus innocentis,& ipſum ſanguinē,quē per inſaniā fuderunt,per gratiā biberūt.Item in Homilia pſalmi nonageſimi octaui:Quæro quid ſit ſcabellū pedum eius, & dicit

mihi

mihi ſcriptura: Terra ſcabellũ pedũ meorũ. flu- *Eſa. 66.*
ctuans cõuerto me ad Chriſtũ, quia ipſum quæ- *Vide*
ro hic, & inuenio quomodo ſine impietate ado- *Ambroſiũ*
retur terra, ſine impietate adoretur ſcabellũ pe- *lib 3. de*
dũ eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro *ſpiritu*
de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & *ſancto ca-*
quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnẽ *pite 12.*
nobis mãducandã ad ſalutem dedit. Nemo autẽ illam carnem mãducat, niſi prius adorauerit. Inuentũ eſt quemadmodũ adoretur tale ſcabellũ pedum Domini, & nõ ſolũ non peccemus adorando, ſed peccemus nõ adorãdo. Et paulo poſt: Tunc autem quando dominus hoc cõmendauit de carne ſua locutus erat & dixerat: Niſi quis manducauerit carnẽ meã, non habebit in ſe vitam æternam. Scandalizati ſunt quidã diſcipuli eius ſeptuaginta ferme, & dixerũt: Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eũ *intelligere? Et receſſerũt **audire?*
ab eo, & amplius cum eo non ambulauerunt. Durum illis viſum eſt quod ait: Niſi quis mãducauerit carnem meam non habebit vitam æternam. Acceperũt illud ſtulte, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: Durus eſt hic ſermo, Ipſi erant duri, nõ ſermo. Et paucis intermiſsis, Spiritualiter, inquit, intelligite quod locutus ſum: Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent.

In his poſtremis beati Auguſtini verbis exultas, hic viciſſe te, & ſuperiorem eſſe gloriaris: hic firmamentũ tuæ defenſionis te inueniſſe gratularis. Quomodo, inquis, perſuadere contendis

quod

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

quòd verã carnem verumq́ ſanguinẽ in hoc ſacramento ſumamus:cum manifeſte audias quod corpus quod videbãt non eſſent diſcipuli comeſturi, neq bibituri ſanguinẽ quem crucifigentes erant fuſuri? Calumnioſa quidẽ iſta obiectio eſt. Qui enim ſuperius teſtatus eſt quòd carnẽ quam de matre virgine ſumpſit, & in qua in terris ambulauit ad mãducandũ nobis ſalubriter tribuit: quomodo huic tam præclaræ ſententiæ alia cõtraria ſententia potuit obuiare? Abſit à ſobrio lectore, & catholico expoſitore, tam peruerſe ſentire de Columna Eccleſiæ, de firmamento veritatis: de quo Cœleſtinus Papa in Decretis ſuis aſſerit, quod nec ſaltem ſiniſtræ ſuſpitionis rumor dũ viueret eum aſperſerit. Imò reuera id dixit quod catholica Eccleſia in omnibus membris ſuis fideliter fatetur & credit: quodq́ ego in profeſsione fidei breuiter ſuperius poſui, breuiter comprehendi, videlicet ipſum eſſe corpus, & non ipſum. Neq enim eo quo ipſi putabãt modo credimus quòd viſibile Chriſti corpus comedamus, aut ſanguinem quem fuſuri & oculis ſuis conſpecturi erant perſequẽtes bibamus: ſed potius id credimus quod non videmus, vt valeat eſſe fides, quæ non poteſt eſſe, ſi res quæ creduntur corporalibus ſenſibus conſtituerit ſubiacere. Vnde exponens quod obſcurè poſuit, Etſi neceſſe eſt, inquit, illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Exiſtimabãt namq quòd præciperet eis Dominus aut beſtiali, aut humano more comedere corpus quod videbant, aut bibere ſanguinẽ quẽ perſequẽtes fuſuri erant: hoc eſt aut crudũ, aut aqua coctũ, aut ſubſtratis carbonibus in verubus aſſum. Hanc

carnalem

carnalẽ eorũ intelligentiã redarguens Dominus in Euangelio ſecundũ Ioannẽ dicit: Spiritus eſt qui viuificat, caro autẽ nõ prodeſt quicquã. Quod exponẽs beatus Auguſtinus in viceſima ſeptima eiuſdẽ Euãgelij Homilia ait: Quid eſt ergo, non prodeſt quicquã caro? Non prodeſt quicquã, ſed quomodo illi intellexerũt. Carnẽ quippe ſic intellexerũt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. De his hactenus: Ad propoſitum reuertamur.

Auguſtinus in Homilia vndecima ſuper Ioannẽ: In populo enim Iudæorũ figuratus eſt populus Chriſtianorum. Ibi figura, hic veritas: ibi vmbra, hic corpus. Item in Homilia triceſima prima: At illi viderũt Chriſtum ſuo ſcelere morientem: & crediderunt in Chriſtum ſuis ſceleribus ignoſcentẽ. Quouſq; biberẽt ſanguinẽ quem fuderant, de ſua ſalute deſperauerant.

Item in quadrageſima: Qui ſæuientes occiderunt, mutati crediderunt: & quem ſanguinem ſęuiendo fuderunt, credẽdo biberunt. Item in ſermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere. Erit enim illi mors non vita, qui mendacẽ putauerit vitam. Item in libro quarto de Trinitate: Apud eum paucisſimi remanſerunt, agnoſcentibus Gẽtibus, & pia humilitate bibentibus precium ſuum, eiúſq; fiducia deſerentibus hoſtem ſuum. Et in ſubſequenti capitulo poſt aliqua: Quid tam mũdum pro mũdanis vitijs mortaliũ: quàm ſine vlla cõtagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tã grate offerri & ſuſcipi poſſet:

Cap. 13.

Cap. 14.

poſſet: quàm caro ſacrificij noſtri corpus effe-
ctum ſacerdotis noſtri?

Leo Papa primus, ſerm. 6. Leo papa in ſermone de ieiunio ſeptimi mē-
ſis: Hanc confeſsionem dilectiſsimi, toto corde
promentes, impia hæreticorū cōmenta reſpuite:
vt ieiunia veſtra & eleemoſynæ nullius erroris
cōtagio polluantur. Tunc enim & ſacrificij mū-
da eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio:
quando hi qui iſta dependūt, quod operātur in-
telligunt. Nam dicente Domino: Niſi manduca-
ueritis carnē filij hominis, & biberitis eius ſan-
guinem, nō habebitis vitā in vobis: ſic ſacrę mē-
ſæ cōmunicare debetis, vt nihil prorſus de veri-
tate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis.
Hoc enī ore ſumitur, quod fide creditur. Et fru-
ſtra ab illis, amē, reſpondetur: à quibus contra id
quòd accipitur diſputatur. Itē in epiſtola Ana-
tholio Epiſcopo miſſa: Aliter enī in eccleſia Dei,
quę corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia,
nec vera ſacrificia: niſi in noſtræ proprietate na-
turę verus nos Pōtifex recōciliet, verus immacu-
lati agni ſanguis emundet. Qui licet in patris ſit
dextera cōſtitutus, in eadē tamen carne, quā ſum-
pſit ex virgine, ſacramētū propitiationis exequi-
Serm. 11. tur. Itē in ſermone de paſsione Domini: Fefellit
ergo illū malignitas ſua, intulit ſupplicium filio
Dei, quod cūctis filijs hoīm in remediū vertere-
tur. Fudit ſanguinē iuſtū, qui recōciliādo mundo
Gregorius Homilia 22. in euāge. & preciū eſſet & poculum. Sanctus Gregorius in
Homilia Paſchali: Quid nāq; ſit ſanguis agni, nō
iam audiendo, ſed bibēdo didiciſtis. Qui ſanguis
ſuper vtrunq; poſtem ponitur, quando nō ſolùm
ore corporis, ſed etiā ore cordis hauritur. His di-
uinorum eloquiorum teſtimonijs quæ ex multis

compendij

compēdÿ cauſa pauca excerpſi, clarè vt arbitror, innoteſcit, quòd vera Chriſti caro, verúſq; eius ſanguis in menſa Dominica immoletur, comedatur, bibatur, corporaliter, ſpiritualiter, incōprehenſibiliter. Et ne quis peruerſus atq; peruerſor aliter ea intelligeret vel exponeret, quàm vniuerſalis eccleſiæ ſpirituales filÿ intelligunt & exponunt: facta ſunt tam antiquis quàm modernis temporibus in diuerſis eccleſÿs huic fidei cōgrua miracula, quādo, & vbi, & quibus tantū ſecretū demonſtrare voluit æterna Dei ſapientia, cui nulla ſunt nō poſsibilia, attingens à fine vſq; ad finē fortiter atq; ſuauiter diſponens oīa. Quæ miracula facta eſſe ignorat nullus, quiſquis in eccleſiaſticis hiſtorÿs ſeu ſanctorū patrū geſtis eſt aliquantulū ſtudioſus. Quæ ſcripturæ tametſi illam excellentiſsimā autoritatis arcem nō obtinent, qua donatæ ſunt quas propheticas ſeu Apoſtolicas nuncupamus: hoc tamen probare ſufficiunt, quod hanc fidē quam nūc habemus omnes fideles qui nos pręceſſerunt à priſcis temporibus habuerunt. Alioquin cū in decretis Romanorum Pontificum ſacríſq; Canonibus apocryphæ ſcripturę nominatim dānatæ ſint: hæ quoq; ſpecialiter damnarentur, nec in eccleſia Catholica à Catholicis ſolemniter legerentur. Aduerſus tantam Diuinarum autoritatū lucem, quęſtionis caliginem opponere non deſiſtis dicens, Quòd tu verū Chriſti corpus aſſeris eſſe: in ſacris literis appellatur ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignū, myſteriū, ſacramentū. Hęc autē vocabula ad aliquid ſunt, Nulla verò quæ ad aliquid referuntur poſſunt eſſe id quod ſunt ea ad quæ referuntur, Non eſt igitur corpus Chriſti. Hoc enim in quodam ſcripto

Hiſtoriarū eccleſiaſticarū fides.

ſcripto tuo diuerſis ac prolixioribus verbis, ſed non mutata ſententia reperi: hoc garriunt diſcipuli atq; ſequaces tui, ſubuerſores quidē aliorū, ſed & ipſi auro & argēto, cæteraq́; pecunia tua à te ſubuerſi, errātes & alios in errorē mittētes, nō

1. Tim. 1. intelligentes, ſicut dicit Apoſtolus, neq; quæ loquūtur, neq; de quibus affirmant. Verū his vocabulis in nullo præſcribitur fidei qua credimus, & veritati quā defendimus. Species namq; & ſimilitudo illarū rerū vocabula ſunt quę ante fuerunt, & ex quibus corpus Chriſti, ſanguiſq; cōficitur: Panē dico ac vinū. Vnde in fine cuiuſdā miſſæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis Domine

** quod* quæſumus tua ſacramēta quod cōtinēt: vt * quæ nunc ſpecie gerimus, rerū veritate capiamus. Poſtulat quippe Sacerdos, vt corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis viniq́; nūc geritur: manifeſta vi-

Veritas. ſione ſicut reuera eſt quandoq; capiatur. Veritas

Ioan. 14. enim pro manifeſtatione in ſacris ſępe literis re-

Manifeſtare. peritur. De qua manifeſta viſione Dominus in Euāgelio ſecundū Ioannem diſcipulis dicit: Qui

Oſtēdere. autē diligit me, diligetur à patre meo & ego diligam eū, & manifeſtabo ei meipſum. Et Dauid in

Pſal. 90. perſona Dei patris: Longitudine dierum replebo eum, & oſtendā illi ſalutare meū. Quàmuis non improbabiliter quidam exponāt hoc in loco eſſe carnis ac ſanguinis veritatē ipſam eorundē efficiētiā, id eſt, peccatorum remiſsionē. Illis namq; omnibus modis vera Chriſti caro ac ſanguis exiſtit, qui digne percipiūt, qui percipiēdo delictorū indulgentiā conſequūtur. Vnde in Canone miſſæ ſacerdos dicit: Vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nobis, inquam, id eſt, credentibus; & miſeri-

cordia

cordia tua digne ſumentibus. Qui enim manducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit. Hinc & ſanctus Gregorius in quarto dialogi libro: Tunc vera pro nobis Deo hoſtia erit, cùm noſmetipſos hoſtiã fecerimus. Eſt quidem etiam peccatoribus & indigne ſumẽtibus vera Chriſti caro verúſq; ſanguis: ſed eſſentia, nõ ſalubri efficientia. Huius rei teſtis eſt b. Auguſtinus in quinto libro de Baptiſmo dicẽs: Sicut enim Iudas cui buccellã tradidit Dominus, nõ malum accipiendo, ſed male accipiendo locũ in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſq; ſumens Dominicũ ſacramentum, nõ efficit vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia nõ ad ſalutẽ accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini, nihilominus erat etiã illis, quibus dicebat Apoſtolus: Qui enim manducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi mãducat & bibit. Ambroſius in ſexto de ſacramentis: Quomodo vera? qui ſimilitudinẽ video, nõ video ſanguinis veritatẽ. Et paulo poſt: Ideo in ſimilitudine quidẽ accipis ſacramẽtũ: ſed veræ naturæ gratiã virtutẽq; cõſequeris. Similitudinem hoc in loco nullo dubitãte panis viniq; ſpeciẽ intelligit: ſub qua corporis Chriſti natura contegitur, & ſine cruoris horrore à digne ſumẽtibus in ſalutẽ accipitur. Inuenitur etiã ſpecies, ſimilitudo, figura, pro veritate. Vnde Dominus in Euangelio ſecundũ Ioannem. Neq; vocẽ eius vnquam audiſtis, neq; ſpeciẽ eius vidiſtis. Apoſtolus ad Corinthios: Per fidẽ enim ambulamus & non per ſpeciem. Ambroſius in libro de myſterijs, ſpeciem autem & pro veritate accipiendam legimus, & de Chriſto, Et ſpecie inuentus vt homo. & de patre Deo: Neque ſpeciem eius vidiſtis.

Cap. 8.

I. *Cor.* II.

Ioan. 5.

2. *Cor.* 5.

vidiſtis. Item in quarto de fide ad Gratianũ: Caro enim mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus: carnẽ audis, ſanguinẽ audis, mortis dominicę ſacramenta agnoſcis. Et paulo poſt: Nos autem quotieſcunq; ſacramẽta ſumimus, quę per ſacræ orationis myſteriũ in carnẽ transfiguran-tur & ſanguinẽ: mortẽ domini annũtiamus. Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus: Efficiemur enī ſicut ab illo ſperamus & expectamus, æquales angelis Dei: & cũ eis pariter illa trinitate perfruemur iã per ſpeciẽ, in qua nunc per fidẽ
Philip. 2. ambulamus. Apoſtolus ad Philippẽſes: In ſimilitudinẽ hominũ factus, & habitu inuẽtus vt homo.
Heb. 1. Item ad Hebræos: Qui cũ ſit ſplendor glorię & figura ſubſtãtiæ eius. Porrò ſignũ, myſterium, ſacramentũ, & ſi quid huiuſmodi eſt, Dominicæ paſsionis deſignatiua nomina ſunt: ſi tamen ſacramentũ ea ſignificatione accipiatur, qua ſacrũ eſſe ſignum in libro de ciuitate Dei à beato Auguſtino diffinitur. Vnde b. Gregorius in quarto dialogi libro. Hæc nãq; ſingulariter victima ab æterno interitu animã ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſteriũ reparat. Et paulo poſt: Hinc ergo penſemus quale pro nobis ſit hoc ſacrificiũ, quod pro abſolutione noſtra paſſionẽ vnigeniti filij ſemper imitatur. Et poſt aliqua: Qui paſsionis dominicæ myſteria celebramus: debemus imitari quod colimus. Itẽ in Homilia paſchali: In vtroq; enī poſte agni ſanguis poſitus eſt, quando ſacramentum paſsionis eius cũ ore ad redemptionẽ ſumitur, ad imitationem quoq; intentã mente cogitatur. Sacramentũ ſanè in diuinis codicibus non vna tantum ſignificatione poſitum reperitur. Deniq; ſanctus Ambroſius in

ſius in libro ad Gratianum apparuiſſe dicit hominibus vnigenitū patris per ſacramētū aſſumpti hominis. Quod tantundem ſignificat, quantum ſi diceret apparuiſſe eum per hominē quem aſſumpſit, & quem diuinitati ſuæ dignū habitaculū cōſecrauit. Habet autem & alias ſignificationes, de quibus ſatis ſuperius dictū eſt. Quòd verò panis dicitur, cōſueto ſacrorū codicum more id fit: qui res quaſlibet ſæpe vocant nominibus illarum rerū ex quibus fiunt, ſeu quæ eſſe putantur & non ſunt, ſiue quibus aliquo modo ſimiles exiſtunt. Vnde b. Hieronymus in ſecundo explanationū libro in Oſee, Poſtquā autē reuerſa fuerit terra in terram ſuā, & tam nos qui ſcribimus quàm eos qui de nobis iudicāt pallida mors ſubtraxerit. Et ſuperbo homini à viro ſapiente dicitur. Quid ſuperbis terra & cinis? Et Abrahā tres viros vidiſſe legitur, cū eſſent angeli. De qua re b. Auguſtinus in ſecūdo libro de trinitate dicit: Sub ilice Mambre tres viros vidit Abrahā, quibus & inuitatis hoſpitioq́ꝫ ſuſceptis, & epulātibus miniſtrauit. Et in libro Iudicū, mulier ſterilis ad virum ſuū de angelo dicit: Vir Dei venit ad me: Et paulo poſt, Ecce apparuit mihi vir quem viderā ante. Et poſt aliqua: Et neſciebat Manoë quòd angelus Dei eſſet. Et beatus Hieronymus in eodem explanationum libro ſuper Oſee prophetā de Deo dicit, Quaſi tinea efficitur & putredo: Nō quòd Deus tinea ſit vel putredo, ſed quòd ſuſtinentibus pœnas hæc vniuerſa videantur. Et in Euangelio ſecundum Ioannem: Maledixerūt ei & dixerunt: Tu diſcipulus eius ſis: cū non maledictio ſit, ſed benedictio eſſe diſcipulum Chriſti. Vnde beatus Auguſtinus in expoſitione eiuſdem

Eccle.10. *Gen.18.* *Iud.13.* *Ioan.9.*

Euangelij dicit: Tale maledictũ ſuper nos, & ſuper filios noſtros: Maledictũ eſt enĩ ſi cor diſcutias, non ſi verba perpendas. Et in Euãgelio ſe-
Math. 7. cundum Matthęũ, & ſimiliter ſecundũ Lucam: Si
Luc. 11. ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris. De qua ſententia b. Auguſtinus in ſecundo libro de ſermone Domini in monte ſic diſputat: Quomodo mali dant bona? Sed malos appellauit dilectores ſeculi huius & peccatores. Bona verò quę dant, ſecundũ eorũ ſenſum bona dicenda ſunt, quia hæc pro bonis habent. Et dominus Ieſus Chriſtus propter quaſdã ſimilitudines in ijſdem literis vocatur Leo, agnus, vermis, lignũ, petra, lapis angularis, multáq; in hũc mo-
Panis. dũ. Sic & corpus Chriſti vocatur panis, vel quia ex pane cõficitur, ſeu quia intuentiũ oculis cùm caro ſit panis videtur: ſeu quòd corporali & viſibili pani ſimilitudine quadã cõiungitur. Nã ſicut iſte materialis panis diſcretè ſumpt⁹ humanã carnẽ nutrit & ſuſtẽtat: ſic ſpirituale & inuiſibile corpus Chriſti animã digne ſumẽtis alit & vegetat.

Ad huc obijcis, & autoritate Ambroſij ipſum Ambroſiũ infirmare moliris, dicens: Ambroſius in libro de ſacramentis ait: Sicut enim mortis ſimilitudinẽ ſumpſiſti: ita etiã ſimilitudinem præcioſi ſanguinis bibis. Hæc verba exponens, Quid cõparatius inquis, quid ſimilius? Negari non poteſt, beatũ Ambroſiũ ſacramẽto baptiſmi ſacramenta cõparauiſſe altaris. Nõ eſt autẽ vera Chriſti mors in baptiſmo: igitur nec verus eius ſanguis in hoc ſacramento. Pace tua dictũ ſit, multũ falleris in hac verborũ intelligentia. Neq; enim
Similitudinis ad- ſimilitudinis aduerbia identitatẽ ſeu æqualitatẽ vbiq; poſita ſignificant. In Euãgelio nãq; Saluator dicit:

tor dicit: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt, Non tamẽ eadem, ſeu æqualis miſericordia poteſt ineſſe Deo & hominibus. Et in Euangelio ſecundũ Ioannẽ: Et ego inquit, claritatem quã dediſti mihi dedi eis: vt ſint vnũ ſicut & nos vnũ ſumus. Et alibi. Dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Vnde & beatus Auguſt. in expoſitione eiuſdem Euãgelij ait: Neq; enĩ ſemper æqualitatem ſignificat qui dicit, ſicut illud, ita & illud: ſed aliquãdo tantũ, quia eſt illud, eſt & illud, aut quia eſt illud, vt ſit & illud. Eſt aliud quod obijcitis, quod cõceſſa loquendi facultate multis in locis clamatis & dicitis, Si panis in veram Chriſti carnẽ cõuertitur, aut panis ſuſtollitur in cœlũ, vt illic in Chriſti carnẽ trãsferatur, aut caro Chriſti ad terrã defertur, vt iſtic in eã panis cõmutetur. Atqui nec panis ſuſtollitur, nec caro defertur. Nõ eſt igitur vera caro in quã panis conuertitur. Hæc vos colligitis ſecundũ humanã ſapientiam non ſecundũ diuinã. Humana autẽ ſapientia perquiri diuina opera prohibet Apoſtolus ad Romanos, dicens: Nõ plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ. Et ad Corinthios: Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominũ, ſed in virtute Dei. Et ad Coloſſenſes: Videte ne quis vos decipiat per philoſophiã, & inanẽ fallaciã: ſecundũ traditionẽ hominũ ſecundũ elementa mundi. Et beatus Gregorius in Homilia paſchali, Sciẽdum, inquit, nobis eſt, quòd diuina operatio ſi ratione cõprehẽditur, non eſt admirabilis, nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.

uerbia nõ ſemper æqualitatem ſignificant.

Ioan. 17.

Ibidem.

Trac. 10.

Rom. 12.

1. Cor. 2.

Coloſſ. 2.

Propterea in tanta rerũ profunditate magis oportuit te orare Deũ, vt aut intelligeres quę pro humana capacitate intelligi poſſunt, aut patienter & humiliter ferres & tũc crederes quæ in tãto arcano humani ingenij vires excedunt, & in hac vita intelligi minime poſſunt: quã litẽ mouere, ab vniuerſali eccleſia diſſentire, nouum ſchiſma verbis & ſcriptis cõtra ſanctorũ patrũ præcepta inferre. Profectò hoc modo ageres, quod agi oportere præcipit legis lator dicens: Ne tranſgrediaris terminos patrũ: Et b. Auguſtinus in primo libro de ſermone Domini in mõte. Quòd verò, inquit, aut obſcurum aut abſurdum illi ſonat, nõ inde concitet cõtradictionũ certamina: ſed oret vt intelligat. Et in libro tertio de Trinitate: Mihi autẽ, ait, vtile eſt vt meminerim viriũ mearũ, fratréſq; meos admoneã, vt meminerint ſuarum: ne vltra quàm tutũ eſt humana progrediatur infirmitas. Et in libro cõtra Felicianũ hæreticum: Scripturarũ autoritate cõtẽtus ſimplicitati obedire potius ſtudeo q̃ tumori. Et paulo poſt: Quã rationẽ afferre potes, ſi partũ prædicas virginis? ſi redditos oculos non negas cæcis? ſi ſepultos oſtẽdis rediſſe à mortuis? Si ergo horum & incõprehenſibilis eſt ratio & veritas prõpta eſt: facilius in negotijs fidei teſtimonijs creditur, quàm ratio veſtigatur. ¶ Probatis quæ probari oportebat, & excluſis quæ excludi ratio ſuadebat: iam tãdem quid tu credas, & credulitatẽ tuã quid ſequatur videamus. Tu credis panẽ vinũq; Dominicæ menſæ inter conſecrandũ quantũ ad ſubſtantiã immobilia permanere, hoc eſt, panem & vinũ extitiſſe ante conſecrationem, & panẽ vinũq; exiſtere poſt conſecrationem, Chriſti carnẽ ac ſan-

Prou. 22. (margin, beside "portere præcipit legis lator")

Cap. 2. (margin, beside "Scripturarũ autoritate")

ac ſanguinẽ propterea vocari, quod in memoriã crucifixæ carnis & de latere effuſi ſanguinis in eccleſia celebrentur, vt dominicam paſsionem per hoc admoniti ſemper recolamus, & recolẽtes carnem noſtrã cum vitijs & cõcupiſcentijs inceſſanter crucifigamus. Quæ ſi vera ſunt, præſtãtiora & diuiniora fuerunt ſacramenta Iudæorũ ſacramẽtis Chriſtianorũ. Quis enim neſciat mãna quod de cœlo pluebat Dominus, ſeu animatas & ſenſibiles creaturas quas populus ille ſacrificare cõſueuerat, parua buccella panis modicóque vini præſtãtiores extitiſſe? Rurſus quis nõ intelligat diuinius fuiſſe prænũtiare futura, quã narrare prçterita: cum illud nõ poſsit facere niſi ſpiritu Dei plenus, Hoc autẽ ſæpe faciat idiota etiã vel quilibet imperitus? Sed abſit hoc à fidelium corde & Chriſtiana intelligẽtia. Chriſti nãque miles Ambroſius illa inferiora, hçc potiora & digniora eſſe in libro de myſterijs cõfirmat, dicens: Sũmo ſtudio volumus cõprobare, quia & antiquiora ſunt ſacramẽta eccleſiæ quàm ſynagogæ, & præſtantiora quàm manna eſt. Et paulo poſt: Probatũ eſt antiquiora eſſe eccleſiæ ſacramẽta, nũc cognoſce potiora. Et poſt aliqua: Cognouiſti præſtãtiora. Potior eſt enim lux quàm vmbra, veritas quàm figura. Itẽ in quarto de ſacramentis: Accipe quæ dico diuiniora eſſe ſacramenta Chriſtianorũ quàm Iudæorũ, Ergo falſa ſunt quæ proponis. ¶ Amplius: Si verũ eſt quod de corpore Chriſti tu credis & aſtruis: falſum eſt quod ab eccleſia vbique gentiũ de eadẽ re creditur & aſtruitur. Omnes enĩ qui Chriſtianos ſe & eſſe & dici lætãtur, verã Chriſti carnẽ, verũque eius ſanguinẽ vtraque ſumpta de virgine, in hoc ſacramẽto ſe percipere gloriantur. In-

Cap. 8.

Cap. 9.

Cap. 3.

terroga vniuerſos qui Latinę linguę noſtrárũ ve literarũ notitiã perceperũt: Interroga Græcos, Armenios, ſeu cuiuſlibet nationis quoſcunque Chriſtianos homines, vno ore hanc fidem ſe teſtabũtur habere. Porrò ſi vniuerſalis Eccleſiæ fides falſa exiſtit: aut nunq̃ fuit catholica Eccleſia, aut perijt. Nihil namq; efficacius ad interitũ animarũ, quàm pernicioſus error. Sed nõ fuiſſe, aut perijſſe Eccleſiã, catholicus nemo cõſenſerit.

Gen.22. Alioqui non eſt verũ quod Abrahę veritas pro-
Pſal.2. miſit, dicens: In ſemine tuo benedicẽtur omnes
Pſal. 21. gentes. Item in pſalmo: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionẽ tuã
Pſal.106. terminos terræ. Item: Reminiſcentur & conuertentur ad Dominũ vniuerſi fines terræ. Et alibi:
In pſal.21 Quos redemit de manu inimici de regionibus congregauit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab aqui-
Tract.2. lone & mari. Item beatus Anguſtinus in prima expoſitionis pſalmorum parte: Eccleſia magna quid eſt fratres? Nunquid exigua pars orbis terrarum eccleſia magna eſt? Eccleſia magna, totus orbis eſt. Item in eadẽ: Annũciaui iuſtitiã tuam in eccleſia magna. Quàm magna? Toto orbe terrarũ, Quàm magna? In omnibus gẽtibus. Quare in omnibus gentibus? Quia in omnẽ terrã exiuit ſonus eorum. Item in tertia eiuſdẽ operis parte: Corpus Chriſti conſtat ex multis credentibus in toto orbe terrarũ. Item in eadem: Tabernaculũ Domini eſt ipſa ſancta Eccleſia in toto orbe terrarum diffuſa. Et alibi: Chorus Chriſti iam totus mundus eſt: Chorus Chriſti ab oriente in occidentẽ conſonat. Item in libro de agone Chriſtiano: Nec eos audiamus, qui ſanctã Eccleſiã, quæ vna catholica eſt, negãt per orbem eſſe diffuſam.

Et quibuſdã intermiſsis, Populus autẽ ipſius, inquit, quando non audit Prophetas & Euangelium, in quibus apertiſsimè ſcriptum eſt, eccleſiã Chriſti per omnes gentes eſſe diffuſam, & audit ſchiſmaticos, non Dei gloriam quærentes, ſed ſuam: ſatis ſignificat ſe ſeruum eſſe non liberum. Et Dominus in euangelio: Ager eſt hic mundus. *Math.ult.* Et paulo poſt: Simile eſt regnum cœlorũ ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium cõgreganti: Et ad diſcipulos: Ite in orbem terrarum *Mar.ult.* prædicate Euangelium omni creaturæ.

Aduerſus tã clara ipſius Domini & ſancti ſpiritus eius de eccleſia, & de ſtatu eccleſiæ teſtimonia, obijcis tu, & obijciunt qui à te decepti alios decipere moliuntur. Itaq; dicitis: Prædicatum eſt Euangelium in omnibus gentibus, credidit mũdus, facta eſt eccleſia, creuit, fructificauit, ſed imperitia male intelligẽtiũ poſtea errauit & perijt: In nobis ſolis, & in ijs qui nos ſequuntur ſancta in terris eccleſia remãſit. Hanc ſacrilegã vanitatẽ euertit euãgelica veritas, & Prophetarũ atq; ſanctorũ patrũ nõ violãda autoritas. Vnde Eccleſiæ ſuæ ſanctæ in Euãgelio ſuo Dominus pollicetur dicens: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus *Math. 13.* vſq; ad cõſummationẽ ſeculi. Quod minimè diceret, ſi eccleſiam ſuã ante conſummationẽ ſeculi perituram eſſe prænoſceret. Et alibi: Tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Auguſtinus in ſecũda Pſalmorũ expoſitionis parte. Corpus autem eſt eccleſia, nõ iſta aut illa, ſed toto orbe diffuſa. Item in eadem: Spes omniũ finiũ terræ, nõ ſpes vnius anguli, nõ ſpes vnius Iudeæ, nõ ſpes ſolius Africæ, non ſpes Pannoniæ, non ſpes orientis aut occi-

In pſal. 71 dentis:ſed ſpes omnium finium terræ,& in mari longe.In eadẽ: Hæc prophetia propter eos præmiſſa eſt,qui putans religionẽ nominis Chriſtiani vſq; ad certum tẽpus in hoc ſeculo victuram, & poſtea non futurã.Permanebit autẽ cum ſole, quàm diu ſol oritur & occidit:hoc eſt, quàm diu tempora iſta voluuntur,nõ deerit eccleſia, id eſt, *In pſal. 93.* Chriſti corpus in terris.Item in eadẽ: Domũ tuã domine decet ſanctitudo. domum tuam totam, domum tuã non hic,aut hic,aut ibi,ſed domum tuam totam per totum orbem terrarum.Quare per totũ orbem terrarũ?Quia correxit orbẽ terrę qui non commouebitur. Domus Dñi fortis erit: per totum orbem terrarũ erit. Item in extrema eiuſdem operis parte:Quid eſt quod dicis hæretice iam periiſſe eccleſiam de omnibus gentibus: quando ad hoc prædicatur Euangelium vt poſſit eſſe in omnibus gẽtibus? Ergo vſque in finem ſeculi eccleſia eſt in omnibus gẽtibus. In eadem: Vbi ſunt qui dicunt periiſſe de mundo eccleſiam, quando nec inclinari poteſt? Item in eadem: Quiſquis putauerit eccleſiam in vna parte eſſe, & non cognouerit eam diffuſam toto orbe terrarũ,& crediderit eis qui dicũt:ecce hic eſt Chriſtus,& ecce illic, ſicut modo audiſtis cùm Euangelium legeretur,cùm ille totum orbem emerit, quia tãtum precium dedit:ille tãquam in proximo ſcandalizatur,à luna vritur.Falſum eſt igitur *Cõcluſio.* quod de corpore Chriſti à te creditur & aſtruitur.Ergo vera eſt eius càro quam accipimus, & verus eſt eius ſanguis quem potamus.

FINIS.

D. GVIT-

D. GVITMVNDI
vita ex Ioanne Tritemio.

GVitmundus Archiepiſcopus Auerſanus, ex monacho cœnobij De cruce ſancti Leufredi, ordinis ſacratiſsimi patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & valde peritus, ſeculariũ quoque literarum non ignarus, ſcripſit ad Rogerium monachum contra errores Berengarij Thuronenſis, de corpore & ſanguine libros tres: Ad rem his temporibus. Et quædam alia nobis inuiſa. Claruit ſub Henrico Imperatore tertio, Anno Domini M. LX.

GVITMVNDI ARCHIEPISCOPI AVERSANI,

de corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritate, Liber primus: Interlocutoribus ipſo Guitmundo & Rogerio, Benedictini inſtituti confratribus.

GVITMVNDVS.

AD rem his tēporibus neceſſariam quidē, ſed meliori, quàm ego ſum iniungendam, dilectiſsime frater Rogeri me vocas: ſcilicet, vt de veritate Dominici corporis cōtra quæſtiones huius temporis diſſerā, ac Berēgarij Turonēſis nugas pro meo captu ſcribēdo refellā. Sed quāuis ad alias animæ vtilitates me voluntas, imò neceſsitas mea ducat: tuis tamē deſiderijs & precibus, quē mihi valde charū intueor, deeſſe nō poſſum, cū etiā nouerim communi cōmodo religioſam deſeruire petitionem tuā. Tu verò hoc vnum exolueris quęſo, quod in hac re obedienti certe debes: vt orādo propēſius Dn̄m, mihi ſubuenire nō ceſſes. In manu quippe eius ſumus & nos & ſermones noſtri. ROGER.

Sapien.7. Omnino quòd poſtulas æquiſsimū eſt, nec de tātis ſacramētis niſi comitātibus ſemper precibus diſputari decet. Proinde adiuuante Dn̄o ita fiet. Tu verò hunc mihi obſecro morē gere, vt meis obiectionibus auditis, quęcūq; inſuper, ſeu ex ipſius Berēgarij libris, ſeu ex multorū interrogationibus, quibus de hac re multoties interrogatus es, ſeu ex teipſo iure tibi opponi poſſe perpēderis: nō reticeſcas. GVITMVN. Quæ mihi ſuper

his ſacramẽtis,& queẽadmodũ corã Deo cõſciẽtia loquitur: quãtũ ſatis eſſe videbitur, iuuãte Domino propalabo. Sed vt totius erroris cauſam exortũq́ꝫ plenius noueris, primũ de viri moribus & doctrina ꝑpauca dicamus. ROGER. Rẽ profectò cõgruã dicis: Nã quoddã veluti pondus, neſcio cuiuſmodi grauitatis eius, & antiquæ doctrinæ faſtũ, nõnulli attendentes: eũ imitari maluerũt. GVITM. Is ergo cũ iuueniles adhuc in ſcholis ageret annos (vt aiũt qui eũ tũc nouerũt) elatus ingenij leuitate, ipſius magiſtri ſenſum nõ adeò curabat, cõdiſcipulorum pro nihilo reputabat, libros inſuper artiũ cõtẽnebat. Sed cũ per ſe attingere Philoſophię altioris ſecreta nõ poſſet: neq́ꝫ enim homo ita acutus erat: ſed & tũc tẽporis liberales artes intra Gallias penè obſoleuerãt: nouis ſaltẽ verborũ interpretationibus quibus etiã nũc nimiũ gaudet, ſingularis ſciẽtiæ laudem ſibi arrogare, & cuiuſdã excellẽtiæ gloriam venari qualitercunq́ꝫ poterat, affectabat: Factũq́ꝫ eſt vt põpatico inceſſu, ſublimi prę cęteris ſuggeſtu, dignitatẽ magiſtri potius ſimulans, quã rebus oſtendẽs, profunda quoq́ꝫ incluſione inter cucullum, ac ſimulatione lõgę meditationis, & vix tãdem ſatis deſideratæ diu vocis, lentiſsimo quodã quaſi plangore incautos decipiens, doctorẽ ſeſe artiũ penè inſcius profiteretur. Sed poſtquã à D. LANFRANCO in Dialectica de re ſatis parua turpiter eſt cõfuſus, cũq́ꝫ per ipſum D. Lanfrancũ virũ æque doctiſsimũ liberales artes Deus recaleſcere, atq́ꝫ optime reuiuiſcere feciſſet: deſertũ ſe iſte à diſcipulis dolens, ad eructuanda impudenter diuinarum ſcripturarum ſacramenta, vbi ille adhuc adoleſcens, & alijs eatenus detentus ſtudijs

Vita Berengarij.

Artes in Gallia abolitæ.

Lanfrancus artiũ inſtaurator.

ſtudijs nondũ adeo intenderat, ſeſe couertit. Sed
Sapien. 1. & ibi inſipiens, quippe in maleuolam animã nõ introibit ſapientia, & ea quorũ nouitate omniũ corda permoueret, atq; ad ſe omniũ oculos traheret, ſtudioſe perquirens: maluit eſſe ſub aliqua admiratione hominũ hæreticus, quàm ſub oculis Dei priuatè viuere Catholicus. Tunc illa quibus mũdanis hominibus, & ſi inulte liceat ſemper peccare cupientibus placeret, aperuit: legitima videlicet coniugia, quantum in ipſo erat deſtruẽs, & paruulorũ baptiſma euertens: Ita vt in altero peſsimis hominibus diabolus per os eius licite omnibus fœminis abutendũ eſſe: In altero caſſato baptiſmate infantiæ in profundũ omniũ malorũ, vtpote poſtmodũ baptizandis, impune ruere ſuaderet. Lege epiſtolã Leodiẽſis Epiſcopi contra Berengariũ ad Henricũ regem Francorũ: & eiſdem penè verbis eadem ipſa ibi ſcripta reperies. Illis ſanè diebus & hanc quoq; (cõtra quã Deo propitio acturi ſumus) eſt auſus demẽtiſsime propinare blaſphemiã, ad hoc etiam hic diabolo militãs, vt ablata veritate Dominici corporis, peccare volentes, nulla reuerentia, nullus metus percipiendæ ſacræ communionis ab aliquo ſcelere reuocaret. De cæteris ſanè impietatibus, quas ſatis multas per id tẽporis euomuit, nũc te remorari nolo. Ita igitur huius initium peſtis accepimus. Nũc autẽ qualiter, & per quos tãtiſper retẽta ſit, qualiter etiã & per quos expugnata & dãnata ſit: vt ortu atq; proceſſu, caſu quoq; cognito, quid de illa ſentias melius noris, niſi longum putes, aperiã. ROGER. Imò verò ſitibũdus hęc audiã. Multũ enim ad rẽ propoſitã exiſtimo profutura. GVIT. Cũ igitur ſuperiores

periores blaſphemias, primam quidem propter iniurias matrum, cæterorũq; effectuũ, ſecundam verò propter damnationẽ paruulorũ ſuorũ, nec aures etiam peſsimorum ſuſtinere poſſent: ipſe verò in ſcripturis ſacris locum tuendi eas nullũ penitus inueniret, maxime diſputante cõtra eas copioſiſsime beato Auguſtino, in hanc ſe defenſandã totum contulit: vbi & quodam velut teſtimonio ſenſuum niti videbatur: nec tam copioſiſsime ab aliquo ſanctiſsimorũ patrum (quippe nõ indigẽte adeo temporibus illorũ Eccleſia, cũ tamen quid inde tenerent, perſpicue & luciduſsime ſapientiſsimi eorum multi ſcripſerunt) cõtra hanc diſputatum ſentiebat. Aucupatis ergo nõnullis velut ratiunculis (neq; enim vlla vnquam hæreſis ſine aliqua veriſimilitudine rationis inualeſcere potuit) adhibitis quoq; paucis male intellectis à ſe capitulis ſcripturæ ſacræ quę multis errãtibus laqueus eſt mortis, per egenos ſcholaſticos iã per alimoniã qua ſuſtentabat eos, & per ſuos dulces ſermones corruptos, quaquauerſum potuit clãculo huius tãti mali nefandiſsimũ virus effudit. Si qui autẽ prætereà aliquo modo receperint eum: hi ſunt qui ex Apoſtolica ſententia territi (qua dicitur, qui mãducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit) cõmunionẽ ſacrã, quã ꝓ Eccleſiaſtico more ſumere cogũtur, mallẽt aut nullam, aut non tantam eſſe, quàm eius metu ſe à flagitijs aliquatenus temperare. Ita igitur & per tales execranda peſtis paululũ adoleuit. Mox ergo incipientibus his palam audiri, catholici viri grauiter cõmoti, atq; intolerabiliter ferentes, præſidẽte per ſemetipſum beatiſsimæ memorię domino Papa Leone, Vercellis conciliũ ponũt:

Aug. pro nuptiis, et de bapt. paruulorum.

Quales crediderint Berengario.

1. Cor. 11.

Vercelléſe cõcilium.

In quo

In quo poſt diligentiſsimam de corpore & ſanguine Domini rationẽ, Berẽgariũ & omnes eius in hac hæreſi fautores perpetuo anathemate, niſi reſipiſcerent, damnauerũt. Cum'q; iam defunctũ ſanctum Leonẽ Papam, & ſanctos viros qui interfuere Concilio, maledicis verbis & ſcriptis

*lacerare *laceſſere non deſineret, ſanctiſsimũ illud ac Reuerendiſsimum Eccleſiæ Dei ſpeculũ, ſummum, nõ Pontificẽ, ſed pompificẽ atq; pulpificẽ vocans, eum'q; infatuatione Lanfranci infatuatum, cõciliũ vanitatis adunaſſe blaſphemãs: Turonis item generali aggregato concilio, præſenti venerabili nunc Papa Gregorio, Romano tũc Archidiacono, panem & vinum in ſacrificio Domini non vmbratice, ſed verè Chriſti carnem & ſanguinem fieri, dato propriæ manus ſacramẽto, confirmauit. Inde poſtmodum deſipiſcens itidem Romæ in generali Cõcilio cõflictu rationis reuictus, libellos ſuos propria manu ſub præſentia felicis memoriæ Papæ Nicolai, coram omni Synodo cremauit, errorẽ anathematizauit, confeſsionẽ'q; bonã, quã Turonis fecerat, præſtito identidem propriȩ manus ſacramẽto, renouauit his verbis.

Conciliũ Turonẽſe — *Conciliũ Romanũ.*

Palinodia Berẽgarij De. Cõ. di. Ego.

Ego Berengarius indignus Diaconus eccleſiæ ſancti Mauritij Andegauenſis, cognoſcens verã, catholicã, & Apoſtolicã fidẽ, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum: quæ aſtruere conatur, panẽ & vinũ quȩ in altari ponũtur, poſt cõſecrationẽ ſolũmodo Sacramentũ & non verũ corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: nec poſſe ſenſualiter niſi in ſolo Sacramento manibus ſacerdotũ tractari, vel frãgi, aut fideliũ dentibus atteri. Cõſentio autẽ ſanctæ Romanȩ Eccleſiæ & Apoſto-

licæ

licæ ſedi,& ore & corde profiteor, de ſacramentis Dominicæ menſæ, eā fidē me tenere, quā dominus & venerabilis Papa NICOLAVS & hæc ſancta Synodus autoritate Euangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihiq́ firmauit: ſcilicet, panē & vinū quę in altari ponuntur, poſt cōſecrationē non ſolū ſacramentū, ſed etiam verū corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fideliū dentibus atteri, iurans per ſanctam & homoouſion trinitatē, & per hæc ſacroſancta Chriſti Euangelia. Eos verò qui cōtra hāc fidē venerint cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis ęterno anathemate dignos eſſe pronuncio. Quòd ſi ego ipſe aliquando aliquid cōtra hæc ſentire ac prædicare præſumpſero, ſubiaceam canonum ſeueritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi.

Qualiter ergo & à quibus publicè confutatus ſit, huc vſq ſit dictum. Nam quoties à Catholicis viris priuatim ſuperatus ſit, enarrare quis poſsit? Si quis igitur hæreſeos iſtius prędicta principia, ſuper hæc & mala intolerabilia quæ ſimul orta ſunt (deſtructionem videlicet legitimorū coniugiorum, & baptiſmatis paruulorū) digne cōſideret: ſi quis etiā qualitatē vel flagitioſam vitā eorū per quos vtcunq pullulauit aſpiciat, ſi quis nullum ſynceræ vitæ hominē, nullū penitus ſapientem fautorē eius attēdat, ſi autoris eius periuria, ſi deniq nō ſolùm Cōcilia ſupradicta, ſed etiam totum orbem terrarum contradicentem penſet: tacente noſtra diſputatione, quid magis tenendum ſit, ſatis vt arbitror, iudicabit. Sed quando tu, vt nihil Berengarianæ fecis tibi reſideat, *Berē. hæreſeos mala.*

etiam

etiam per nos aliqua dici cupis: iam nũc quæ tibi proponenda videntur expone. ROGER. Berengarius & qui eum ſequuntur, aſſeuerant Euchariſtiã Domini, non eſſe verè ſubſtantialiterq́ corpus & ſanguinẽ Domini: ſed ſola voce ſic appellari, pro eo quòd tanquã vmbra & figura ſignificatiua ſit corporis & ſanguinis Domini. Nec de hoc mouerer adeo, ſi carnaliter ſapientes, ſecundũ ſenſus fallerentur, niſi quòd nõnullas (vt ſupra memoraſti) ratiunculas obtẽdere, & eas ex quibuſdã b. Auguſtini ſententijs munire vidẽtur. Aliqua etiam verba Domini ſaluatoris iactitant, ex quibus infirmi ſcandalizari forſitan poſsint. Ac primũ ipſas ratiunculas, deinde autoritates ponã. Natura, inquiũt, hãc mutationẽ non patitur. Cumq́ affertur eis ſcriptũ, quia omnia quæcunq́ voluit Dominus fecit, Sed hanc, inquiunt, mutationẽ noluit. Abſit enim vt fas ſit Chriſtũ dentibus atteri, aut partibus diſsipari, ſicut iſta dentibus atteruntur, & in partes diſsipantur. Ad hæc ſi placet, interim reſponde, poſtmodũ verò cætera proponam, quo diligentius opere diſtributo, ſingulis à me propoſitis reſpõſa tua comparando, mihi ad vnguem de omnibus intelligã ſatisfactum. GVITMVND. Quoniam quidẽ ſuperius poſtulaſti vt tuis inquiſitionibus, ſi qua mihi viderentur addẽda, ſuperadderẽ: cognoſce primum, quia non omnes qui de iſtis ſacramẽtis errant; vna incedunt via erroris, Nam Berengariani omnes quidem in hoc cõueniunt, quia panis & vinũ eſſentialiter non mutantur, ſed vt extorquere à quibuſdam potui, multum in hoc differũt, quòd alij nihil omnino de corpore & ſanguine Domini ſacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodo

Pſal. 134.

Quot genera Berẽgarianæ hæreſis.

tummodo vmbras hæc, & figuras eſſe dicũt.

Aliȷ verò rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, vt quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi corpus & ſanguinem Domini reuera, ſed latenter contineri, & vt ſumi poſsint quodãmodo (vt ita dixerim) impanari. Et hanc ipſius Berengarȷ ſubtiliorẽ eſſe ſententiã aiũt. Aliȷ verò nõ quidẽ iã Berẽgariani, ſed acerrime Berẽgario repugnãtes, argumẽtis tamẽ eius, & quibuſdã verbis Dñi pauliſper offenſi (quòd ſuo loco dicemus vberius) ſolebant olim putare quòd panis & vinũ ex parte mutẽtur, & ex parte remaneant. Aliȷs verò irrationabilẽ iſtorũ ſenſum lõgè horrẽtibus, ſed eadem verba Domini, quibus iſti mouentur, nõ ſatis aptè intelligẽtibus, videbatur panẽ & vinũ ex toto quidem mutari, ſed cũ indigni accedunt ad cõmunicãdũ carnem Domini & ſanguinem, iterũ in panẽ & vinũ reuerti. Quorũ omniũ erroribus, ſicut dominus dederit, obuiare tẽtabimus.

Impanatio.

Hanc uidetur ſequi Lutherus.

Nunc primũ Berengarianis vtriſq; reſpondeamus. Iſti etenim, licet inter ſe diuerſi ſint, contra nos tamẽ vnã habent pene ſententiã, & argumẽtis nituntur eiſdem. Vtriq; enim nihil de pane & vino mutari eſſentialiter aſſerunt. Nũc argumẽta eorũ videamus: ac primum quid de natura aſſerant diſcutiamus. Nã cum dicunt, non poteſt hãc mutationẽ natura pati: aut abſolutè & abſq; vlla exceptione dicere hoc habent vt nullatenus ſcilicet, nec volente Deo hoc poſsit, aut cũ aliqua exceptione. At ſi abſolutè & abſq; vlla exceptione dicunt, Primũ quidem voluntatis Dei manifeſtos aduerſarios ſe eſſe declarant: dũ ei aliquid impoſsibile eſſe confirmant. Ipſi deniq; ſeipſos

Primum argu. hære. de natura.

deſtruunt, quoties illũ (quem dixiſti) pſalmi verſiculũ canũt: Omnia quæcunq; voluit dominus fecit. Nã ſi verſum hũc nõ recipiũt, fruſtra eũ canunt, nec iam dominũ omnipotentẽ credũt, cui volenti, naturã aliquã reſiſtere poſſe contendũt. Si autẽ omnipotentẽ nõ credũt, nec Deũ credũt. Non enim vere Deus eſt, qui quod vult non poteſt. Sed Deum ipſi (vt puto) credere ſe nõ negãt. Recipiant igitur, quia omnia quæcunq; voluit Dominus fecit. Simul ergo neceſſario recipiant quoniam hanc mutationẽ vt poſsit natura pati, ſi voluit Dominus fecit. Si enim ipſa omniũ rerum natura, cũ omnino nihil eſſet, volente Deo factum eſt vt eſſet, & in tot rerum varias ſpecies formaretur: quomodo panis & vini natura iam exiſtens, volenti Deo reſiſtet, vt vel in vnũ aliud non transferatur? Perridiculi homines, qui dum ſe defenſitare naturam exiſtimant, vim naturæ ſe potius ignorare demonſtrant. Nã ſicut tuipſe teſtaris, qui per artem medicinæ ciborũ naturas & hominũ noſti, quotidie natura panis quẽ comedimus, & vini quod bibimus, naturaliter in noſtrã carnẽ & noſtrũ ſanguinẽ trãſmutatur. Quòd ſi tantũ poteſt venter hominis ſeu etiã cuiuſcũq; animalis, vt panem & vinũ, vel quoſcunq; cibos intra ſe clauſos, in viuã carnẽ, & viuum ſanguinẽ quotidie mutet: nonne tantundem, ſi vult, poterit præſentia ſuæ maieſtatis, & virtute verbi ſui Deus vt videlicet in carnẽ & ſanguinem ſuum, panem vinumq; trãsformet? Quòd ſi vel tãtum volunt Chriſtiani concedere Deo quantũ cõceſſit paganorum magnus philoſophus Plato, qui rerum naturã dixit eſſe id quod vult Deus: quid vnquam erit abſurdius, quàm id quod vult Deus, Deo vo-

Pſal.134. (margin, beside "ſiculũ canũt")

Quid Platoni natura. (margin)

Deo volenti contraire? Quapropter iſti, niſi omnino careant corde, nunquã ita abſolute dicent, naturam mutationem hanc non poſſe pati, vt non excipiant vel Dei voluntatem. Si autem excipiunt tanquam ſi dicerent: Natura non poteſt hanc mutationem pati, niſi Deus velit: fruſtra ergo hoc quaſi magnũ aliquid contra nos aſſerũt. Nihil enim prorſus per hoc cõtra nos agũt. Nemo enim Chriſtianorũ credit hanc fieri mutationem, niſi per Dei voluntatem. Deſinant igitur inaniter dicere: natura non patitur: & id tantũmodo an Deus hanc mutationem velit, requiramus. ¶ Sed abſit, inquiũt, vt vnquam hoc Deus velit. Non enim fas eſt Chriſtũ dentibus atteri. Ego verò in primis quæro quid dicant ſignificare atteri. Si enim intelligũt atteri, velut preſsius tangi, aut fortius premi: quæro quare non ſit fas Chriſtum dentibus atteri? Nam ſi idcirco hoc ipſum non eſt fas, quia non poſsit fieri: eadem ratio eſt, quam de natura dicunt, ſcilicet quia natura non poteſt pati. Et nimiũ vana ratio. Nulla quippe rerũ impoſsibilitas poteſt impedire voluntatẽ Dei. Deinde quare nõ poſsit dẽtibus premi, qui manibus Thomæ, & poſt reſurrectionem potuit attrectari? Et ſanctę mulieres, quibus occurrit poſt reſurrectionẽ, ſcriptũ eſt, quia tenuerũt pedes eius. Nulla nãq; ratio eſt, vt non poſsit tãgere dẽs, quod tãgit manus: Nã ſicut ad manus, ita & ad totũ corpus ꝑtinet tactus. Quare quicq̃d tãgit manus, poteſt & toto corpore tangi: poteſt igitur & dẽtibus tãgi. Porrò ꝙ poteſt vel leuiter tãgi, cũ ſolidũ corpus ſit: cur nõ poſsit etiã fortiuſcule tãgi, quod eſt atteri? Si ergo corpus Domini poſt reſurrectionẽ manibus Thomæ Apo- *Ioan. 20. Math. 28.*

 ſtoli &

ſtoli & ſanctarũ mulierũ potuit tãgi: cur hodieq́ à credentiũ dentibus non poſsit vel leuius, vel preſsius tãgi, id eſt atteri, nulla obſtare ratio videtur. Porrò autem ſi idcirco dicunt non eſſe fas Chriſtum dentibus atteri, non quia impoſsibile eſt, ſed eo quòd indignũ videatur: quæro iterum quare indignum debeat videri? An quia nimium Chriſtus humiliari videatur? Sed qui dedignatus non eſt ob ſalutem fideliũ, virgis infideliũ, corona ſpinea, cruce, clauis, lancea, nimis irreligioſiſſime, quantũ in ipſis erat, atteri, ſicut ſcriptũ eſt, Attritus eſt propter ſcelera noſtra: is pro ſalute eorundem fidelium dentibus ipſorũ dedignatur religioſiſsime inquãtũ poſſunt atteri? Si enim id quod erat indignius, pro nobis pertulit, quomodo quod minus indignum eſt dedignabitur pati? maxime cũ ſicut oportuit Dominũ Ieſum Chriſtũ in ligno ſuſpendi, vt mors quæ per lignũ venerat, per lignum crucis vinceretur: ita oporteat reuera Chriſtũ mãducari: vt quia veteres homines nõ vmbrã fructus, ſed ipſum fructũ ligni vetiti verè comedẽdo mortẽ ſuſceperunt: noui homines nõ vmbram, ſed ipſum qui in ligno pepẽdit obediẽtiæ, id eſt, crucis, verè comedẽdo mortẽ euadant & vitã ſumant. Quod myſteriũ Eſaias prophetaſſe videtur, vbi ait: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc cõuiuium pinguiũ, conuiuiũ vindemiæ, pinguiũ medullatorũ, vindemiæ defecatæ, & præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & præcipitabit mortem in ſempiternũ. Propheta in Hieruſalẽ erat. Quid eſt ergo dicere, in monte hoc: niſi vbi crucifixus eſt Chriſtus? Et quid eſt, cõuiuiũ faciet omnibus populis: niſi quia

Eſa. 53. *Comparatio.* *Eſa. 25.*

niſi quia illud quod pependit ibi,manducãt omnes populi? Quid in pinguibus iſtis medullatis, *Col. 2.*
niſi carnem gratia ſpiritus ſancti pinguiſsimam, in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter? Quid in vindemia defecata, niſi ſanguinẽ ſanctũ,qui in ſpecie vini bibitur ſignat? Et quid nobis per iſtud cõuiuiũ fiet? Præcipitabit,inqt,mortẽ in ſempiternũ. At fortaſſe immũdi ſunt dẽtes. Sed Apoſtolus ait: Omnia munda mundis. Igitur *Tit.1.*
neq; dens, neq; aliud quicquã immũdũ eſt Chriſto. Certe ſordidiores vidẽtur manus eſſe quàm dentes. Manibus quippe multas ſordes tãgimus, quas admouere dentibus horremus. Qui ergo ſe palpandũ & poſt reſurrectionem manibus obtulit: dẽtes propter immunditiã nõ vitabit. At fortaſſe metuũt iſti ſaluatorẽ ledere, dentibus attrectando: quẽ lædere non metuunt procaciter mẽtiendo. O deſtruat Deus ad ſalutem inimicos defenſores, ſi hoc ſcire neſciunt, quia caro Domini reſurgentis, quod naturæ erat retinuit, quod infirmatis amiſit. Tangi nãq; naturale eſt carni, lædi autem infirmitatis eſt. Ita ergo poteſt Chriſtus etiã dentibus tangi, vt quacunq; preſſura dẽtiũ iã nõ valeat lædi. Quare quoniã nec vlla obſiſtit impoſsibilitas, nec Chriſti abhorret humilitas (ſiquidem id nobis quoq; ita expedit ad vitam) cùm neq; per hoc vlla immunditia ſaluatori, vel læſura timenda ſit, nullaq́; occurrat alia ratio cur nephas ſit Chriſtum dentibus atteri. (Si atteri accipitur quaſi preſsius tangi) nihil prorſus cõtra nos valet, quod vaniſsime iactitant, dicẽtes: nõ eſt fas Chriſtũ dẽtibus atteri. Porrò ſi atteri intelligũt quaſi cõminui vel frangi: tũc iã nõ duæ, ſed vna ſola ratio eſt, quod dicunt dentibus

atteri,& partibus diſsipari, niſi quia plus eſt partibus diſsipari quàm dentibus atteri:& ita intelligendũ eſt tanquã ſi dicerent: Non eſt fas Chriſtum per partes diſsipari, vel dentibus atterẽdo, id eſt, cõminuẽdo, vel vllo alio modo. Hoc equidem & nos confitemur: ſcilicet, quia non eſt fas Chriſtũ vlla quidem violẽtia, ſiue dẽtibus, ſiue alio modo per partes diſsipari. Si verò illi cui omnia poſsibilia ſunt, altiſsima & inſcrutabili cõſilij ſui ratione placet, vt corpus ſuũ per partes ipſe diuidere poſsit, ita dũtaxat, vt iã vltra nõ moriatur, neq; lædatur, neq; vllã corruptionem patiatur (nullam enim miſeriã amplius ſuſtinebit) quis impoſsibile hoc audeat æſtimare? Quòd igitur inferũt quia iſta ſacramẽta dẽtibus atterũtur, & in partes diſsipãtur: li atterũtur ponãt quidẽ quaſi diminuuntur: reſpondemus, quoniam ſi ei, cui nihil impoſsibile eſt, & qui de omnibus rebus quicquid vult facere poteſt ſicut dictũ eſt, placet, vt nõ quidem per noſtrã violẽtiã, ſed per ſuã in noſtro miniſterio voluntatẽ, corpus ſuum ſine morte vel læſione, vel aliquo ſui incommodo in iſtis ſacramẽtis diuidatur, & per partes diſtribuatur: ſi & nos ita credimus, nemo ſuper hoc incõueniẽs aliquod valeat annotare. Eius quippe hic (vt ſanctus Gregorius ait) caro in populi ſalutẽ partitur. Si autẽ ei nõ placet, vt ſine aliquo ſui incõmodo, caro eius poſsit per partes diuiſa diſtribui: tunc nos iſta neq; dentibus minui, neq; per partes aliquo modo credimus diſsipari. Et tunc nobis intelligendum eſt hoc quod dicitur, Eius caro in populi ſalutẽ partitur: dictũ eſſe, nõ quia partiendo minuatur, ſed propter ſimilitudinẽ fractionis, ſicut immolari quotidie dicitur

Gregori⁹.

Quomodo diuidatur Chriſtus.

Chriſtus

Chriſtus propter ſimilitudinē paſsionis. Licet enim hæc magni cauſa myſterij, ſacerdos quaſi diuidere videatur, nos tamen Dominū & ſaluatorē noſtrum, quando corpus eius venerabile fidelibus diſtribuitur, nō ſe per ſingulos diuidentē, ſed participatione ſui diuerſos credere debemus vnientē. Poſſumus quoq; dicere tantūdē eſſe in vna quaſi portiūcula, quātū erat in hoſtia tota. Sicut de māna legitur, quia nec qui plus collegerat habuit amplius: nec q minus collegerat habuit minus. Ita ergo tota hoſtia eſt corpus Chriſti, vt nihilominus vnaquæq; particula ſeparata ſit totum corpus Chriſti: Nec tamen tres particulæ ſeparatæ ſunt tria corpora, ſed vnum corpus. Nec ipſæ etiā particulæ à ſe tanq̄ plures differūt, quia quod corporis totius vna eſt, hoc et cęterę ſunt. Itaq; iā nec plures particulę dicendæ ſunt, ſed vna potius hoſtia integra & indiuiſa, licet officio ſacerdotis videatur quaſi diuidi, propter magnū (vt dixi) myſteriū, quod ita oportuit celebrari. Similiter & ſi dentibus, vel aliquo alio modo hæc frāgi vidētur, intelligimus nō hęc frāgi: quia nihil aliud in toto, q̄ in qualibet velut particula ſeparata credimus cōtineri. Ne autē me quis exiſtimet hāc ſententiā ex meo ſenſu cōmētatum: præfationē iſtā, quæ per totū penè orbē Latinū, inter Epiphaniā & Septuageſimam, in quadā die Dominica habetur, hic ſuppoſui hæc continentē: Æterne Deus, & tibi hanc immolationis hoſtiā offerre, quæ eſt ſalutifera, & ineffabile Diuinæ gratiæ ſacramentum: quæ offertur à plurimis, & vnum corpus Chriſti ſancti ſpiritus infuſione perficitur. Singuli accipiunt Chriſtum dominū, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec

Exod. 16.

Tota hoſtia Chriſtus in qualibet particula totus.

Præfatio Miſſæ.

Ambroſiana præfatio.

per ſingulos minuitur, ſed integrũ ſe præbet in ſingulis. Propterea ipſi qui ſumimus cõmunionẽ huius ſancti panis & calicis, vnũ Chriſti corpus
Exod. 16. efficimur. Euſebius Emiſenus ita dicit: Vetus narrat hiſtoria: nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: eo quòd Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute conſiſtat. Quòd corpus ſacerdote diſpenſante, tantũ eſt in exiguo, quãtũ eſſe cõſtat in toto: quod dũ Eccleſia fideliũ ſumit, ſicut plenũ in vniuerſis, ita integrũ eſſe probatur in ſingulis. De quo ſenſu Apoſtolica ſentẽtia de-
2. Cor. 8. riuata eſt, dicẽs: Qui multũ habuit nõ abũdauit, & qui modicũ nõ minorauit. Si forte eſum panis eſurientibus apponeremus, nõ ex toto perueniret ad ſingulos, quia particulatim & minuatim pro portione ſua vnuſquiſq; prẹſumeret. De hoc verò pane cũ aſſumitur, nihil minus habẽt ſinguli, quàm vniuerſi: Totũ vnus, totũ duo, totũ plures, ſine diminutione percipiũt: quia benedictio huius ſacramẽti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione cõſumi. Idem quoq; dicimus, & ſimile Miſſæ eodẽ tẽpore celebrẽtur. Nam ita in ſingulis totũ credimus eſſe Chriſtum: vt nec plures Chriſtos, nec diuiſum Chriſtũ faciat, aut ſacerdotũ diuerſitas aut locorum. In quo quidẽ illi contra nos eſſe non poſſunt, qui corpus Domini in omni Miſſa adeſſe inuiſibiliter credunt. Nã cùm ſimul mille celebrentur Miſſæ, & ſicut ipſi cõſentiũt, in omni Miſſa eſt totũ corpus Chriſti (diuidi enim poſſe corpus Domini & ipſi negãt) aut mille tũc erunt Chriſti corpora, aut fatebuntur nobiſcum vno eodemq; tẽpore mille in locis vnũ idemq; Chriſti corpus totum & indiuiſum poſſe haberi.

Sed mille

Sed mille Chriſti corpora nec ipſi dicunt. Reſtat ergo, vt in mille Miſsis eodem tempore, vnum idemq́ꝫ corpus Chriſti & indiuiſum eſſe credere debeant. Similiter igitur & in vna hoſtia, & ſi videatur quaſi in plures partes diuidi: nullã tamen in eis diuiſionem attendimus, quia quòd omnes ſimul iunctæ, idipſum ſingulæ ſeparatæ ſunt, totum Chriſti corpus. Nec cuiquam incredibile id debet videri. Quotidiano enim experiméto cognoſcimus, quia intellectus noſter, id eſt, verbum cordis noſtri, cùm illum quodammodo voce veſtimus, vt qui in corde noſtro latens nobis ſolus cognitus erat, per vocem aliȷs etiam manifeſtari poſsit, eodem tempore & totus in corde noſtro remanet, & totus æque mille hominibus cũ aſſumpta voce ſua quantũ in ſe eſt, ita apparere poteſt, vt non ſolũ ipſe ſimul omniũ corda colluſtret, ſed aures etiã cunctorũ ipſa qua veſtitus eſt voce eodẽ tẽpore tota & indiuiſa perſtringat. Si igitur humano verbo Deus tantũ præſtitit, vt nõ ſolũ ipſum, ſed etiã vox, qua quodãmodo veſtitur, ad mille homines eadẽ ſimul totaq́ꝫ pertingere valeat: nemo hoc ipſum de omnipotentis Dei vnico & coomnipotẽte & coæterno verbo, & de carne eius, quã ſimiliter vt nobis ipſum verbum appareret, veſtiuit, & ſi capere nõ poſsit, habere incredibile debet, quod de fragiliſsimo & tranſitorio verbo hominis, & momentaneis vocibus vixq́ꝫ exiſtẽtibus, & nunq̃ præualet capere, & tamẽ pene ſemper experiméto habet. Ipſam certe animã noſtrã corpore quod corrũpitur aggrauatã nõ particulatim per ſingula corporis membra diuidi, ſed in ſingulis portiunculis totã atq́ꝫ integrã contineri, b. Auguſtinus validiſsime probat.

 Qui ergo

Qui ergo hanc noſtræ animæ potentiam præbuit, vt vna eademq́ & indiuiſa in ſingulis quibúſq; particulis ſui corporis eodē tempore tota cōſiſtat: quare ſuæ propriæ carni id dignitatis ſi vult dare, non valeat, vt & ipſa in diuerſis, ſui cuiuſdā corporis, quod eſt Eccleſia, partibus, tota ſimul & indiuiſa poſsit haberi: Cùm ſicut anima noſtra vita eſt corporis, ita ſit eccleſiæ (imò multo melius per Dei gratiā) vita caro ſaluatoris? Per animā quippe fit, vt corpus vtcūq; tēporaliter viuat: per carnē verò ſaluatoris agitur, vt Eccleſia nō quomodocūq; ſed beatè in æternū viuat. Cū verò ſapientiſsimus Salomon cūctas res eſſe difficiles dixerit, ita vt explicare eas homo nō poſſit, nónne inſaniēti quàm ſimillimus eſt, qui hæc diuina arcana diſcutere ad oculū violenter quærit? Omnes enim Creaturæ Dei miracula nobis implicabilia ſunt: Chriſtus verò inter oīa, aut præ omnibus miraculū ſingulare. Si igitur poteſt Chriſtus efficere (ſicut diximus) vt vnaquæq; ſeparata particula ſit totū Chriſti corpus, & tamen omnes ſeparatę, nō plura ſint corpora, ſed vnum corpus: quēadmodū vox mille hominū percutit aures, & apud vnumquēq; tota eſt, nec tamen plures dicuntur, ſed vna ſola: & quēadmodū tota anima mille corporis humani replet particulas, & cū ſe totā præbeat ſingulis, non plures tamen, ſed vna eſt anima: ita iā nulla ratio propter huiuſcemodi quaſi partitiones obſtare videtur, vt nō poſsit, aut velle non debeat Chriſtus, Panē & vinū, ſicut ipſe docuit & Eccleſia credidit, trāſferre in corpus & ſanguinē ſuum. ROG. De mille Miſsis, quæ eodem tēpore celebrari poſſunt videris mihi rem quidem valde difficilē, ſufficiēter

Caro Chriſti, vita Eccleſiæ.

Eccleſ. 1.

& ſatis

& ſatis idoneè declaraſſe: Veruntamen in partitione vnius hoſtiæ adhuc pauliſper hæreo, quoniã quod prius vnũ tantũmodo video, id me partiẽte, ita in plura diuidi cernitur, vt vnaquęq; portio minor, q̃ illud, quod erat integrũ, videatur. Si enim non mea vi, ſed ſua ſponte hoſtia diuideretur, aut poſt diuiſionem magnitudo integrè non videretur immutata: iam ſatis factum mihi eſſe crederem, quòd & vnaquæque portio & omnes ſimul abſque vlla diuiſione vnum integrum corpus eſſe poſſent. GVITMVNDVS. Si de mille Miſsis, quæ vno tẽpore celebrãtur ſatis æſtimas declaratũ: mirũ eſt quod de vna hoſtia ita poſsis moueri. Nam ſicut hic priuſquam partiaris hoſtiã, tantũmodo vnã vides: ita prius quã mille celebrentur Miſſæ vnũ tantũ Chriſti corpus in cœlis, & ſi nõ oculis, mente tamẽ vel fide cernis. Et ſicut opere tuo putas hoſtiã diuidi: ſic putari poteſt ſacerdotum opere fieri, vt corpus Chriſti quod in cęlis vnũ eſt, mille in locis ſimul teneatur. Sed abſit hoc, vt vel illorum opere, vel tuo, vnus Chriſtus per plures locos vel partes diuidatur: quia ipſe eſt qui in opere veſtro, nõ quod veſter viſus æſtimat, ſed quod ipſe vult operatur. Nã ſic violẽtia Iudæorũ videbatur mori, & tamẽ ipſe dicit: Nemo tollit animã meã à me, ſed ego pono eã à meipſo. Ita ergo cuiuſlibet fortaſſe violẽtia putatur frãgi: nec tamẽ quod carnalis æſtimat ſenſus, ſed quod ipſe vult Chriſtus credendus eſt operari. Sicut ſanè poſt partitionẽ hoſtiæ ſingula tibi minora videntur q̃ hoſtia integra: ita in omnibus Miſsis minus apparet corpus Dñi quã in cœlis eſſe credatur. Sed hoc *tãtũ ſecũdum ſenſus: q ſicut in multis reb⁹ aliȷs ſæpe, ita in hac re ſemper

De hoſtia diuiſa.

Quis operetur hæc mirabilia, ſacerdos, Chriſtus.

Ioan. 10.

**totum*

re ſemper falluntur. Sed nũquid ſi hoc capere nõ poteſt oculus carnis, extinguendus ideo eſt ocu-
Ioan. 20. lus mentis? Cùm enim Maria Magdalenę ad monumentũ Domini plorans, ipſum Dominũ cerneret: nunquid nõ ipſe reuera Ieſus erat, quia illa ſecundũ oculos decepta hortulanũ ſe videre pu-
Luc. 24. tabat? Aut cùm ipſa die reſurrectionis ſuæ, duobus diſcipulis ambulãtibus in via ſcripturas tanq̃ peregrinus exponeret: nũquid aliud q̃ ipſe erat: quia ſcriptũ eſt, oculi eorũ tenebantur, ne eũ agnoſcerent? Aut cũ diſcipuli in mari laborantes, eũ ſuper vndas cernerẽt ambulantẽ: quis audeat dicere nonipſum vere fuiſſe, quia ipſi deceptis
Mat. 4. oculis phantaſma eſſe putauerunt? Sed & ſecum in naui iam poſitũ, videntes, & miraculũ eius in ſedato mari admirantes, ſicut ex Euangelio poteſt conijci, non cognouerunt eũ donec ad terrã venirent. Sic enim ſcriptũ eſt: Cumq́ egreſsi eſſent de naui, continuo cognouerũt eum. Quibus ex verbis poteſt (vt diximus) conijci, quòd in naui fortaſsis obſtupefacti adhuc recenti miraculo, aliqui non cognouerunt eum. Quid igitur? Nunquid putãdus eſt eos iocularitec deluſiſſe? Abſit. Ipſe enĩ vbiq; idẽ erat, Ipſe vbiq; veritas erat, Ipſe
Ioan. 20. vbiq; ſapientia erat. Sed nobis per hæc oporte-
1. Cor. 11. bat oſtendi, quoniam quãdiu cũ Maria flente, ve-
2. Cor. 5. lut ad monumentũ Domini ſtamus, noſmetipſos
Colloſ. 3. mortificando, & mortem Domini donec veniat annunciando, quàm diu in via poſiti peregrinamur à Domino, quãdiu in mari huius ſeculi laboramus, & ventus nobis tentationũ contrarius eſt, quàm diu ambulamus per fidẽ, & nõ per ſpeciẽ: quãuis plorantes ad monumentũ ſuũ ſemper
1. Cor. 13. dominus cõſoletur: quãuis in via poſitis ſemper

ſcripturas

ſcripturas exponat, quãuis turbatos in mari trãquillet, quãuis præſens nobiſcũ ſit ſemper in naui ſanctæ Eccleſiæ vſq; ad cõſummationẽ ſeculi: non tamen habemus eũ cernere niſi in peregrina ſpecie, maxime oculis carnis, licet nõ aliud quàm ipſum habeamus in his ſacramentis. Et merito. Nã quia fructus mortiferæ arboris antiquis hominibus ſpirituales veracéſque oculos clauſerat, carnales, fallacéſq; aperuerat: iuſtũ eſt, vt fructus viuificæ crucis nouis hominibus ipſos carnis oculos claudat, & veraces mentis oculos, quibus veritas videtur, aperiat. Quẽadmodũ igitur ęgrotanti palato amara cẽſenti quæ ſano dulcia ſunt, nemo ſanus credit: ita infirmis carnalibus oculis contra ſanatos mentis oculos, de ipſa medicina interioris luminis iudicãtibus, nemo niſi inſanus conſentit. Nã & res hæc tanta eſt, vt infirmo viſu nõ valeat cõprehendi, & fidẽ noſtram ita vtilius eſt interim exerceri: vt per hoc videlicet quod cõtra viſum carnis in hoc tã neceſſario ſacramẽto agitur, diſcamus viſibilia tranſcendere, ad inuiſibilia feſtinare, & tenere certius occulta, quæ nunq̃ mentiens veritas docuit, quàm quæ nobis coram fallax oculus pandit. Quapropter quoniã tibi oſtenſum eſt, idem eſſe in particulis vnius hoſtiæ, quod eſt in pluribus Miſsis, quę ſimul celebrantur, de quibus ſatis declaratum eſſe dixiſti, nec ſecundum viſionẽ oculorum carnalium debere te iudicare euangelicis exemplis & ratione monſtratum eſt: vtrum ſatis adhuc dictum arbitraris expone. ROG. Videris equidem mihi, fateor, ſynceræ fidei veritatẽ congrua proſequi ratione: veruntamen illud, quod me aliquo modo adhuc rodit, nõ tacebo. Superius quippe dixiſti, quia

Math. ult.

quia ſacerdos videtur quaſi diuidere hoſtiã propter myſteriũ, quod ita celebrari oportet. Si ergo viderẽ quòd hoſtia poſtq̃ eſt cõſecrata, iam nõ poſſet amplius diuidi, niſi ob myſterĳ gratiam, quod ſicut dixiſti, ita oportet celebrari: omnem prorſus diſputationis tuæ ſeriẽ incõcuſſa veritate ratam eſſe cõfiterer. Sed quoniam quilibet nullius cõſideratione myſterĳ prout vult ſibi eã diuidere poſſe videtur: adhuc neſcio quas hinc cogitatio mea tenebras ſuſtinet, quas & expellere geſtit, & tamen libere omnino non valet.

GVITMVND. Si plenè animo ſupradicta reuoluas nihil hinc tenebrarũ, vt æſtimo, tibi reſidere cognoſces. Nã ſenſus perſæpe falli, cùm veterũ philoſophorũ multa argumẽta, tũ quotidiana experimenta pleniſsime docẽt. Æque enim, vt ait Boetius, ſenſus & in maximis & minimis cõfundũtur. Vnde fit, vt de his in quibus cõfundũtur, merũ ſyncerumq́; iudiciũ habere nõ poſſint. De mediocribus quoq; rebus non iuxta rerũ veritatẽ, ſed pro affectu iudicant ſentientis. Sano nãq; cuiuis comedoni, ſi multũ eſuriat, etiã amara dulcia videntur: Ægroto autẽ, aut multũ ſaturo, etiam dulcia ſunt amara. Itẽ ſi quis deformis alicuius ſcorti amore depereat, nonne illa talis forma oculis eius ſumme gratiſsima eſt, cũ omniũ penè intuentiũ, quorũ mens eadem miſeria captiuata nõ eſt, non mediocriter viſus offendat? Remum in aqua, ſi interrogas oculos, fractũ aſſerunt, quem mox extractum manſiſſe integrum teſtantibus oculis ratio probat. Quid de iudicio aurium? quandoquidẽ illa quæ in auribus ſobrĳ abſurdiſsima reſonat, laſciuũ quemlibet mimũ cãtilena mollis oblectat. Sed quid in his diutius immo-

Boetius.

Diuerſitas palatorum.

Iudicium auris.

immoror? Quis enim mirari debeat ſi ſenſus exterior frequenter fallitur: cùm interior, atq; omniũ iudex ſenſuũ animus, niſi hũc Dei gratia regat toties & tantũ periclitetur? Ex quo fit, vt cõtra rationabilem ſanctæ Eccleſiæ fidem per hoc quòd infirmus & lippus oculus ſe videre putat, nullatenus debeas impediri: quãdoquidem eos, quos inobedientiæ cibus oculos aperuerat, per hunc obedientię cibũ oportere claudi credo iam retines: vt videlicet per ſpiritualem vitalemq́; cibum, reſtitutis ſpiritualibus, quos carnalis ille ac mortifer clauſerat oculis, iam non ſecũdum carnem ſapiamus ad mortem, ſed reuelata facie, quę ſunt ſpiritualia contemplemur ad vitam æternã. Atq; ita quàm diu in agone fidei certamus, quàm diu peregrinamur à Domino, fidem noſtram ſedule conuenit exerceri: quatenus exercendo erudiatur, erudiendo paſcatur, paſcendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. Quòd autem fidei id exercitiũ eſſet, vel quòd pro exercitio ſuo meritum tanti ſacramẽti fides haberet, ſi ſacram hoſtiam, nõ poſſe niſi per ſacerdotem, & in Miſſa ſolummodo diuidi, manifeſte & quorũlibet oculis pateret? Quis nõ vel infideliũ pro tam euidenti miraculo, magis quàm pro ratione fidei cõſentiret? Deniq; manifeſta miracula non propter fideles, ſed propter infideles dicit Apoſtolus fieri: hæc autem ſacramẽta nõ ſunt infidelium, ſed fideliũ. Vnde nec infidelibus fas eſt illa diſtribui, ſed nec etiã pandi. Nõ igitur infidelibus per aperta miracula pateant, ſoli verò fideles nõ carnis intuitu hæc, ſed mente cernant. Nam & ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus ſacramenta hæc, myſterium fidei appellauit. Vt quid ergo myſterium,

Gen.3. *2.Cor.3.* *2.Cor.5.* *1.Cor.14.*

myſterium, niſi quia occultum? Vt quid fidei, niſi quod hoc nõ carnis oculo, ſed intuitu fidei cõuenit cõtemplari? Nam ſicut ſanctiſsimus ait Gregorius, non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentũ. Si igitur de fallacia carnaliũ ſenſuũ, qui nec de rebus paruis, & quæ ipſis patere ſenſibus ſolẽt, nedũ de maximis & occultis contra rationẽ credendi ſunt, euidenter accepiſti, Si ſpirituales ſenſus ad ſpiritualia ſacramenta aperiri, carnales verò claudi oportere didiciſti, Si deniq; tibi de myſterio fidei ſic infidelibus occultando, fidelibus autẽ pro exercitio ſuo merito creſcẽtis fidei plurimũ profuturo, ſatisfactũ eſt: nullis, vt arbitror, hic amplius tenebris improbæ tergiuerſationis te inuolui decet. Ad ſummá, quis poſsit edicere vel mẽte capere, quãta etiã noſtræ carnis poſt reſurrectionẽ futura ſit
1.Cor.15. gloria, quãta potẽtia? Immutabimur enĩ, & cor-
1.Cor.2. ruptibile hoc induet incorruptionem, & corpus
Eſa.64. nunc animale ſurget ſpirituale, dabiturq; nobis quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit. Cũ igitur vel extremi cuiuſlibet homũculi caro, quãtã ſit habitura potentiã nulla nũc poſsit cõprehẽdere ratio: tu de corpore Saluatoris impudẽter & carnaliter iuxta ſenſus diſputas, quod præ ſe ineffabiliter omnes angeli venerãtur? Certè enimuerò quicquid humano intellectui occurrit nobis poſſe dari, minus eſt aut nihil, ad illud quod ꝑmittitur nobis. Cũ igitur nos accepturos eſſe credimus, quod nunc ſcire quomodo poſsit fieri, niſi quia Deo omnia poſsibilia ſunt nõ valemus: tu de omnipotentis Dei corpore quoniã quæcunq; agũtur præ oculis beſtialibus non habes, infantiliter garrire nõ ceſſabis?

ceſſabis?Proinde conſideratius ſupradicta retracta,& fidenter tene, aut dominũ Deum noſtrum carnẽ ſuã ſine vllo eius incommodo per partes ineffabiliter poſſe diſtribuere, aut ſi id ei nõ placet,ſacramenta ſuæ menſæ vel ſecundũ rationes quas diximus,vel ſecundũ alias, ſi Deus tibi dederit forſitã meliores, licet oculorũ carnaliũ infirmitati aliter videatur, tamen indiuiſa manere. At ſi illud quod prius dixi Domino placet: fas eſt ergo nõ per violentiã quidem noſtrã, ſed per dignationẽ ſuam Chriſtum ſecundũ carnẽ dẽtibus atteri,& per partes corpus eius fidelibus miniſtrari. Si verò non placet nihil nobis inconueniens de diuiſione ſacramentorũ & diſsipatione debet obijci,quę poſſunt,vt diximus,rationabiliter indiuiſibilia & indiſſeparabilia cõprobari. ROGE. Ita fateor, cũctis quæ oppoſui tua cõpetenter occurrit ratio,vt per omnia gaudeã,& nihil ex his reliquũ videã in quo iuſtũ putẽ, te debere à me amplius fatigari. GVIT. Illud ſanè ſcrupulũ mouet aliquibus quo minus hanc mutationẽ poſſe fieri credãt: quòd ex ſolito naturæ curſu nulla ferè ex toto ſimillima occurrit mutatio. Nã cũ aliquid ſubſtantialiter tranſmutatur in aliud,in id vtiq; trãſire ſolet, quod nõ exiſtebat prius, Verbi gratia: Virga Moyſi mutata eſt in ſerpentẽ, quæ ante non erat ſerpens, ſed tunc cœpit eſſe ſerpens:quando verò dicimus mutari panẽ,non in carnẽ quæ nondum fuerat caro,ſed in eam quę iam erat Chriſti caro,ſine vllo carnis ipſius Dominicæ cremento mutari confitemur. Et nos equidem ad intelligẽdũ nobis in hoc ſeculo difficilẽ mutationẽ hãc nõ negamus:nõ tamẽ ad credendũ. Sed quorſum id? Num enim id-

Exod. 7. Mutatio ſubſtãtiæ in ſubſtãtiam.

circo magnū hoc atq; ſaluberrimū credere non debemus, ſi in hac vita quomodo fiat, capere nō valemus: cùm neceſſariò multa fide teneamus, quibus noſtra cęcitas aut multo magis, aut certè non minus repugnare videtur? De prouidentia namq; & libero arbitrio, cū vtrunq; fideliter teneamus, & vtrunq; teneri oporteat, ita ſibi rationes humanæ vidētur altrinſecus obuiare, vt potius *vtrunq; viciſsim deſtruant, quàm vel alterū eſſe concedāt. Nulla mēs hominis poteſt capere quomodo id, quod in vno loco totū eſt, eodem tēpore totū eſſe poſsit in altero, cū de voce tamē hominis, id omnes teneant: animā quoq; ſingulis ineſſe mēbris ſimul totam, b. Auguſtinus inexpugnabili ratione confirmet. Et ecce omnium rerū creatio creditur, cū tamen ab homine non capiatur. Quis enim vt de cōpendio loquar, valeat capere illud, quod primo factū eſt, quādo habuit fieri? Quòd enim adhuc omnino nō eſt, non fit: fieri enī iam ad eſſe pertinet: poſtquā autē eſt, non fit: iam quippe eſt. Sed nec inter eſſe & non eſſe, illud quod primum factū fuit, poteſt eſſe aliquid. Nam illud aliquid quod intereſſet, primo factum eſſet, illud verò alterum poſterius. Quando ergo id quod primo factum eſt, habuit fieri? habuit tamen. Quòd enim non caret initio, nullatenus eſſet, niſi fieret: Ipſe quippe dixit & facta ſunt. O admirabile fieri quod neceſſario creditur, & nullo cogitatu cōprehenditur. At ſi quis hęc abſurdè ratiocinari me æſtimat, eiq; hæc oīa diſplicent, dicat vel ipſe quod placet: & inueniet ſe certè in omnibus verbis, in cunctis etiā cogitationibus ſuis, ſi tamen ſubtiliter aduerterit, de rerū primis initijs, deficientē. Hæc itaq; cum fidē neceſſario

*vtrinq;

Auguſtin.

neceſſario exigant,diſcuſsionem omnimodo nõ admittant:ad ipſius autoris corpus, nónne rationabiliter expetunt ſimplicem creditoré,arguũt improbum diſcuſſorem? Hic ſanè diſputationis quoq; huius recolere decet initium.Propoſueramus nẽpe ita,vt cũ dicũt naturã non poſſe mutationẽ hanc pati, vel addi paterentur, niſi Deus velit,vel non.Si nõ patiũtur hoc addi,ſed præter exceptionẽ aſſerunt id naturam non poſſe pati, etiam ſi Deus velit:non ergo credũt quia omnia quæcunq; voluit Dominus,fecit. Si autẽ nõ credunt quoniã omnia quæcunq; voluit Dominus fecit,primum quidẽ ſcripturas canonicas, quas frequentiſsimè & ipſi recitant,imò eũ cuius ſunt ſcripturæ,videlicet Deũ deſpiciunt: deinde verò ipſum Deum nec omnipotẽtẽ nec Deum credũt. Non enim verè omnipotens, aut verè Deus eſt, qui quod vult non poteſt. Sed quoniam hæc & apud ipſos nephãdiſsima ſunt:fateantur neceſſe eſt,quoniam omnia quæcunq; voluit Dominus fecit.Et hanc igitur mutationem quãlibet nobis difficilẽ:ſi facere voluit Deus, abſq; dubio fecit. Requirendũ ergo tantũmodo eſt,an id Deus voluerit.Quòd cum voluiſſe Deũ ipſo adiuuante oportuno loco monſtrauerimus, ſiue poſsit intelligi quomodo fiat,ſiue non poſsit, obtinebimus tamen neceſſaria ratione quoniã fecit. Nõ enim ſatis argumento eſt,ſi noſtræ infirmitatis cæcitas id nunq̃ in hac vita capere valet, quo minus debeas credere,ſi manifeſtę rationis neceſsitas,rem ita vt diximus,probauerit eſſe. Nõ enĩ præcepit tibi Chriſtus,intellige,ſed crede.Eius eſt curare quomodo id quod fieri vult,fiat:tuum eſt autem non diſcutere,ſed humiliter credere:qa quicquid

Non poſſe oĩa excludit omnipotẽtiã et deitatem,

omnino fieri vult, fiat. Non enim intelligẽdum prius eſt, vt poſtmodũ credas: ſed prius credendũ vt poſtmodũ intelligas. Nec propheta Eſaias dixit: Niſi intellexeritis, non credetis: ſed niſi crediderítis, non intelligetis. Vtamur igitur verbis ſancti Auguſtini contra Felicianũ dicentis: Hoc fides credat, intelligẽtia nõ requirat: ne aut non inuẽtũ putet incredibile, aut repertum nõ credat ſingulare. Idem in ſecũda epiſtola ad Voluſianũ: Hic ſi ratio quæritur, nõ erit mirabile: ſi exẽplũ poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deo aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare nõ poſſe. In talibus rebus tota ratio facti, eſt potentia facientis. Non eſt inquit beatus Hilarius, humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquẽdũ. Vnde B. Ambroſius in libro de Sacramentis de hac ipſa quæſtione agens, Quid, ait, argumentis vtimur? ſuis vtamur exẽplis, incarnationíſq; exemplo aſtruamus myſterij veritatem. Quid hic quæris naturæ ordinẽ in Chriſti corpore, cũ pręter naturã ſit ipſe Chriſtus partus ex virgine? Quoniã ergo nos ad incarnatiõis ſeu virginalis partus inuitat exẽplũ, operępretiũ reor, pauliſper hãc elucidare ſimilitudinẽ pauloq́; altius incipiẽdũ. Quadrifariã nãq; in ſcripturis ſanctis hominũ generationes accipim⁹. Vna eſt ſingularis viri, neq; de viro, neq; de fœmina, ſed de limo terrę, quę eſt Adę. Altera huic quodãmodo cõtraria, de viro & fœmina, ex qua & viri & fœminæ: quæ omniũ ferè ſolennis eſt. Alia rurſus abſq; exemplo, qua de virgine viro prodijt virgo fœmina: de Adã videlicet Eua. Quarta nihilominus ſingularis atque vnica, pro reliquis oĩbus facta, omnibúſq; melior, & vtilior reliquis, cõtraria & ipſa quodãmodo tertiæ: qua vir de

Eſaiæ 7.

Auguſtinus c. 8.

Hilarius.

Ambroſius de myſterijs initiandis c. nono.

Quadruplex hoĩm generatio

vir de fœmina virgine virgo, de Maria vtiq; Saluator omniũ Chriſtus noſtro ſeculo natus illuxit. Ex his itaq; generationibus illam qua de viro & fœmina viri naſcũtur & fœminę, quia quotidiano vſu tenetur, nemo miratur, nemo incredibilẽ iudicat. In qua tamẽ illud quidẽ extra cæteras valde mirabile eſt: quòd ex duobus corruptis nunq̃ niſi integrum, neq; integrũ vnq̃ niſi ex duobus nõ integris, tanquã ex cõtrario contrariũ naſci poſsibile eſt. Illud verò penitus incomprehẽſibile ſitu Solomon aſſerit, quomodo cõpingãtur oſſa in ventre pręgnãtis. Illã quoq; qua de nõ homine homo, Adã videlicet de limo formatus eſt, quæ & in hoc cęteris lõge videtur mirabilior, & illam qua de virgine Adã virgo Eua producta eſt: vix vnquã aliquis impugnauit, vix aliquis accuſauit. Quãdo verò de virgine Maria virgo Chriſtus prædicatus eſt natus, totus mundus innumeris contradictionibus contra infremuit: & vi & dolo, omniq; genere malitiæ, hanc generationẽ de medio prorſus auferre conatus eſt. Satis certè iniuſtè, cùm reliquis oĩbus hęc excellẽtior ſit atq; vtilior: vtpote reliquarũ omnium non ſolùm honor atque nobilitas, verumetiam medicina. Siquidẽ hæc ab alijs noſtri generis tãtum naturã trahens, nihil autem honoris inde, imò verò infirmitatũ ac tentationũ plurimũ ſumens: ad perfectam vndiq; felicitatem per virtutem diuinam ſibi ipſa ſufficeret. Cęteræ verò per hanc de ſub pedibus infelicisſimi omniũ rerum diaboli, vſq; ad cõſortium Dei omnipotẽtis ſublimatæ, vt ſimus (vt ait beatiſsimus Petrus Apoſtolus) diuinæ conſortes naturæ: niſi huius ope atq; medela vterentur, irrecuperabiliter omnes

Eccleſ.11.

2.Pet.1.

perditum irent. Tum etiam perſpecta diligenter inter tres ſingulares, vſitatiſsimæ generationi multo vicinior multóq; ſimilior, ideóq; credibilior inuenitur. Cui enĩ nõ ſatis elucet, communi generationi, quę de viro & fœmina eſt, ſimiliorẽ fore hãc quę de horũ eſt altero, q̃ illã quæ eſt de neutro? Itẽ ſi cõtemplemur illã qua de viro ſolo, fœmina prodijt: valde à cõmuni vſu, & illa remotior. Familiarius quippe & accõmodatius communi naturę eſt, vt fœmina marẽ (nã id quotidie fit) q̃ vt mas fœminam pariat. Sed neq; fortaſsis

Geneſ. 2. Euæ generationẽ, partũ quiſpiã dixerit: atq; ideo etiã à cõmuni vſu longinquor eſt. Sed quid & illud, quòd de viri latere dormiẽtis, illa, imò coſta de qua facta eſt illa, cõtra cõſuetũ naturæ curſum repẽte prorupit: hic verò ſicut cęteri homines in matris aluo nouẽ mẽſibus paulatim creuit, communiq; naſcendi lege exiuit, hoc excepto quòd mater in partu non doluit, & quòd matris ipſe, vt talẽ decebat filiũ, virginalia integerrima ſeruãs, ſingulari prærogatiua decorauit? Neq; enim fas erat, vt qui corrupta reſtauraturus, atq; inhoneſta honoraturus veniebat: integra violaret, honeſta dehoneſtaret. Multóq; decentius erat, ſi de viro virgine violatura mundũ Eua prodijt: vt de virgine fœmina reſtauraturus mundũ Chriſtus procederet. Addo etiã quòd omnes aliæ ſeruorũ ſunt, hęc Domini. Ex alijs homines, ex hac Deus. Alias omnes Deus fecit ex ſolo, vt ita dixerim, præcepto: hanc quaſi ex magno ſtudio faciens, & verbis & rebus geſtis, & miraculorum nouitate promittere ab initio & pręfigurare non deſtitit.

Modus generationis Chriſti.

Prouer. 9 Vnde tanq̃ de opere ſpeciali ſcriptũ eſt: Sapiẽtia ædificauit ſibi domũ. Quibus oĩbus aliiſq; permultis

multis dignè conſideratis: ſatis hæc credibilior cariorq́ꝫ q̃ primæ duæ debuit iudicari. Sed quid attineát hęc ad rẽ de qua loquimur dignũ eſt intueri. Quatuor enim nihilominus rerũ mutationes ſubſtãtiuas ſiue efficiẽtias nobis ſcriptura diuina cõmendat. Vnã qua de omnino nihil in id quod ſunt, facta ſunt oĩa. Alterã huic cõtrariam, quã tametſi experimẽto non ita ſcimus, ratione tamẽ colligimus: qua videlicet de eo quod ſunt, quantũ in ipſis eſt, redire in nihilũ poſſunt. Nam ſi hoc ſolo, quia vult Deus, omnia ſunt: ſi voluntatẽ ſuã qua præſtat vt ſint, vel modicè ſubſtrahat, ilico in nihilũ ſuum omnia remeabunt. Ita deniqꝫ b. Auguſtinus cõtra Felicianũ, Creatura, inquit, ex nihilo prolata eſt: & propterea quantũ ad ſe pertinet, ex eo quod eſt in id quod nõ eſt, id eſt in nihilũ niſi perpetua gratia fecerit, naturæ ſuæ qualitate vertẽda eſt: Quãuis de accidẽtibus ſingulis, quæ ſuperueniẽtibus alijs cedunt nõ appareat verè poſſe aliud dici q̃ quòd omnino nihil fiunt. Nã ſi aliquid eſſent, in ſubiecto eſſent. Sed cõtrarijs ſuperueniẽtibus, nec in ſuo poſſunt remanere ſubiecto, nec ad alia trãſmeare. Omnino igitur nihil fiũt, niſi quis forte illa dicat in ea quæ ſuperueniunt trãſmutari. Quòd ſi ita eſt: innumera nobis exempla occurrent earũ rerũ quæ eſſentialiter in eas, quæ ſimiliter exiſtunt, tranſmutantur. Age enim verbi cauſa, atramento nigerrimo membrana albiſsimã inficiatur: albedo nigredini continuo cedit. Si igitur albedo in nigredinẽ verſa eſt, in id vtique verſa eſt quod iam erat. Neqꝫ enim dici poteſt tũc ibi augeri nigredinẽ in quã transferatur albedo, quãdoquidẽ nec atramentũ nigrius eſt q̃ prius erat, neqꝫ aliquid

Quatuor genera mutationum.

Auguſtin. Cap. 7.

Accidẽtia abeuntia an in nihilum refluant.

membranæ præter atramẽtum occupauit nigredo. Idem quoq; in alijs ſępenumero inueniri poteſt. Vnde fit vt accidentia recedentia, ſicut diximus, aut pęnitus nihil fiant: aut ſi permutãtur in aduenięntia, quod noſtrę cauſę nõ parũ accederet, in ea vtiq; multoties permutentur, quæ iá erant. Tertia autẽ mutationẽ ſolenniter cernimus, qua videlicet ſubſtãtiæ in eas quę nõ erãt ſubſtantias vel naturali vſu, vel per miracula tranſeunt: ſicut nucleus in arborẽ, ſemen in herbã, eſca & potus in carnẽ & ſanguinẽ: vel ſicut virga in ſerpẽtem, ſerpens in virgam, & cætera huiuſmodi.

Quarta verò mutatio eſt, qua id quod eſt, tranſit in id quod nihilominus eſt: ſicut panẽ & vinum, virtute diuina, in corpus Chriſti propriũ ſingulari quadã potentia credimus cõmutari. Et hæc quidem tribus alijs longe melior, lõgeq; vtilior à credẽtibus facile iudicatur. Melior quidẽ, quoniã in diuinã carnẽ, quæ rerũ eſt omniũ optima, id quod mutatur trãſit. Vtilior autem, quoniam hanc propter alias factã, ſingularem nobis medicinã Chriſtus conſtituit. De nihilo quippe primo facta ſunt elementa, è quibus non felices facti ſumus. Sed & alię duę mutationes nihil nobis profuerãt, quin ad ſummas traduceremur miſerias: niſi quarta medicinaliter ſuperueniẽs, ſubueniret. Cũ itaq; cæteris omnibus hæc honorabilior ſit atq; vtilior, tũ etiã illi quæ vſitatiſsima eſt, multo vicinior atq; ſimilior: ideo multo credibilior, quàm duæ reliquæ reperitur. Cui enim non luce clarius pateat, ei mutationi, quæ vſitatiſsime de aliquo in aliquid fit, eã quę etiã ipſa de aliquo fit in aliquid, licet aliquanto mirabilius, propinquiorẽ admodũ ac ſimiliorem eſſe: quàm

illam,

illam, quæ de nihilo fit in aliquid, aut illa quæ de aliquo fit in nihil? Illæ enim duo aliqua habent, iſtæ vnũ tantũ: Adeoq́ꝫ à capacitate intelligentiæ noſtræ remotæ ſunt, vt neqꝫ mutationes eas quis fortaſſe vocauerit: difficillimeq́ꝫ verbũ reperiat, ſi tamen vel difficillime, quo eas aliquatenus propriè exprimere poſsit. Et cæteræ quidẽ mutationes rerum ſubiectarũ ſunt, hæc Domini, illæ creaturarũ cæterarũ: hanc ſuo proprio corpori author ipſe retinuit. Et cæteras quidem ſemel in principio iuſsit eſſe Deus, & factæ ſunt: hanc autẽ & propheticis oraculis, & rebus geſtis, maximeq́ꝫ ſacrificijs & miraculorũ nouitate promittere & præfigurare ab initio nõ ceſſauit: cùm etiam magna inſuper precũ ſolennitate & ſtudio, per verba quæ ad hoc ipſum propria Deus ipſe, ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus dictauit, quotidie repetita præbet effectũ. Quibus omnibus, alijsq́ꝫ permultis digne perſpectis: valde credibilior hæc, chariorq́ꝫ, quàm illæ duæ poteſt & debet iudicari. Si enim Deus id quòd difficilius, & ab intellectu noſtro remotius eſt, quia voluit fecit: quomodo nõ id quod videtur aliquo modo facilius & intelligibilius, ſi voluit fecit? Atqui difficilius illud Deum feciſſe nemo dubitat: Iſtud igitur facilius Deũ facere, ſi vult, nemo dubitare debet. Aut quare hanc quartã mutationẽ nõ deberet addere Deus ob medelã hominũ, qui quartam generationẽ (vt oſtẽdimus) addidit ob reparationẽ ſalutis ipſorũ: vt ſicut ille ſumme bonus cuncta bona in creaturis, quę fore in eis decebat, ſine inuidia eſſe voluit: ita quoqꝫ mira varietatis pulchritudine nullus generationis modus decẽs deeſſet hominibus, nullus mutãdi modus cõpe-

tẽs deeſſet rebus? Quoniã igitur ſatis de propoſitione, vt arbitror conſtitit (ſcilicet quoniã mutationẽ hanc Deus, ſi voluit fecit) probanda, tantũ reſtat aſſumptio, ſcilicet quia voluit. Sed quoniã multa adhuc exhaurienda venena ſuperſunt, oportunius id ſuo loco ſeruamus. Nũc igitur prioribus aduerſariorũ calũnijs diſcuſsis, hic ſi placet, aliquantulũ quieſcamus: vt & quæ dicta ſunt diligentius recolas, & dũ nouo initio in ea quæ ſequuntur aſſurgimus, animus tuus noua intentione reparetur.

LIBER II.

GVITMVNDVS.

DVm tuis obiectionibus reſpondeo, prudẽter aduertat ſi quis hęc legerit, non me laborare nunc ad expugnandũ noſtris argumentis penitus hoſtẽ: ſed ad muniẽdã interim cõtra hoſtilia argumẽta catholicã fidẽ. Et illud quidẽ Deo auxiliãte poſtmodũ fiet. Nunc verò rẽ ita diſtinguere volumus, vt primo hoſtilẽ diſputationẽ debilem eſſe, & nihil cõtra fidẽ noſtrã conficere poſſe monſtremus: vt cũ in ſuis inimicus vbiq; defecerit, noſtris ad vltimũ (Deo fauente) plenius ſubruatur. Ex qua re puto fieri, vt hæretica fallacia citius ſileat, & catholica veritas clarius eluceſcat. Sed hęc propter eos dicta ſint, qui feſtinãtius q̃ res poſtulat ſatiſfieri ſibi omnino volẽtes, quia nõ omnia noſtra hic ex-

hic expendimus, apud ſe nos forſitan de ineffi-
caci operę reprehendāt. Iam verò cætera proſe- *Ex corruptis ſpeciebus arguit corruptionē corporis.*
quamur. ROGE. Berengarius dicit: Caro Chriſti
incorruptibilis eſt, ſacramēta verò altaris, ſi diu-
tius ſeruētur, poſſunt corrūpi. Videntur enim pu-
trefieri. GVITMVN. O calūnioſa lingua, ô lin-
gua blaſphemijs aſſueta: prōptior ad extorquen-
dam ſuperbè de ſcripturis Dei ſuā perditionem,
quàm ad percipiendā cū fidelibus ſalubrē refe-
ctionē. Credidit ſcripturis ſanctis dicētibus Chri
ſtū eſſe incorruptibilē, & nō credidit Chriſto di-
centi: Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro
ſeculi vita, ſed cōtra hoc ponit corruptionē. Vi-
deatur itaq; male ſanis corruptíſq; hominibus,
iuxta infidelitatē ſuā, corruptibilis & putribilis
panis diuinus, & ſicut ſcriptū eſt, tollatur impius *Eſa. 26.*
ne vnquā videat gloriā Dei: ſed ſemper ignomi-
nioſa de Deo ſomniet, ſemper ſcandala medite-
tur, ſitq; ei Chriſtus ſemper lapis offenſionis, &
petra ſcādali. Nobis enim panis ille Dei cœleſtis,
illa Euchariſtia, diuinū illud māna, quod imma-
culati agni carnē impaſsibilē factā, de ſacris alta-
ribus ſumimus, per quod & viuimus, & à corru-
ptione ſanamur, nunquā corrūpitur, nunquā pu-
treſcit: quia cū de die in diem nos renouet, ipſum
veteraſcere nunquā nouit. Cui ſententiæ beatus *Cap. 9.*
Ambroſius aſtipulatur in libro de ſacramentis
his verbis: Conſidera nunc vtrū præſtantior ſit
panis angelorū, an caro Chriſti, quæ vtiq; cor-
pus eſt vitę. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlū.
Illud cœli, hoc Domini cœlorū. Illud corruptio-
ni obnoxiū ſi in diem alterū ſeruaretur: hoc alie-
num ab omni corruptione, Quod quicunque
religioſe guſtauerit, corruptionem ſentire non
poterit.

Duo genera uidentium eucharistiæ ſpecies. poterit. Si ergo fortè cuipiam vetuſtate corruptũ & putridum aliquando videatur, ſi is non credit hoc quod videt, eſſe corpus Domini, iuxta cor ſuũ, cùm eo credimus agi: (vt quemadmodum de Chriſto peregrino, & duobus diſcipulis cũ ipſo in via loquẽtibus beatus ait Gregorius) tale illi foris appareat, quale intus in corde videlicet creditur. Si autẽ credit, hoc quod videt eſſe corpus Domini: id cũ eo fieri credimꝰ, vt aut aliqua eius negligẽtia corrigenda, vel punienda declaretur, pro eo videlicet, quòd Domini ſui corpus, quãtũ in ſe eſt, indigne tractauerit, vel contra eccleſiaſticas regulas diutius retinẽdo inobediẽter egerit: aut certę fidei eius ſoliditas copioſius remuneranda cõprobetur, qui cõtra id etiã quod oculus cernit de verbis ac potẽtia Domini ſui, & cõmuni Eccleſiæ fide nõ dubitarit. Ad hæc quæ dicimus, ex Diuinis libris exẽpla nobis in prõptu

Ioan. 20. ſunt. Maria nãq; Magdalenæ nõdum reſurrexiſſe Dominũ credẽs, iuxta incredulitatẽ ſuã quaſi hor

Luc. 24. tulanũ vidit. Diſcipulis quoq; dubitantibus, ipſa reſurrectionis die tanq̃ peregrinus apparuit. Vbi etiã quomodo credentium negligentia puniatur vel corrigatur videri poteſt. Nam quoniam prophetias de Chriſto minus diligẽter attenderãt, de negligentia primũ quidem puniri, dum ſtulti vocantur: deinde corrigi, dum ſcripturæ eis aperiuntur, meruerunt. Quomodo autem ad cõprobandos remunerandóſq; fideles incorruptibilis Chriſtus quaſi corruptibilis videri dignatus ſit, beatus Gregorius declarat de quodã Martyrio monacho narrans, qui dominũ Ieſum in ſpecie leproſi ſibi apparẽtem proprijs meruit humeris baiulare. Cũq; is, inquit, qui quaſi leproſus videbatur,

batur, de collo eius euanuiſſet, ab ipſo mox ſententiã remunerationis accepit: Quoniã, inquit, nõ erubuiſti me in terra ô martyr, nec ego erubeſcã te in cœlo. Sicut igitur ad cõprobandam & munerandã Martyrij humilitaté ſiue dilectioné, in terra deformi horrendaq́ꝫ ſpecie dominus noſter Ieſus Chriſtus apparuit: ita ad cõprobãdam & remunerandã ſeruorum ſuorum fidem, ſi nulla incredulitas eſt, vel negligẽtia punienda vel corrigenda, in ſpecie corrupti illius panis ſi quando hoc cõtingat, credẽdus eſt videri. Et ſicut nõ aliũ leproſum illũ deformiſsimũ fuiſſe niſi ſeipſum de collo Martyrij euaneſcẽs Chriſtus oſtẽdit: ita non aliud quàm Chriſti carné & ſanguiné in Diuinis ſacramentis, etiam ſi ſub ſpecie quaſi putrefacti panis & vini aliquando videãtur, orthodoxorum prudentia credere nouit. Quòd ſi obijcias (vt dici aſſolet) quia Berẽgarius vitas ſanctorum pro autoritate non recepit, ſcias, quia tametſi quaſdam ſanctorũ vitas non recipit: beati Gregorij tamẽ libros nunq̃ eũ reſpuiſſe prout recordor, accepi. Quapropter & dialogũ beati Gregorij pro autoritate aſſumpſimus, in quo de Martyrio memorãtur iſta quę diximus. Tantus enim autor nõ ea ſcriberet, niſi & ipſe vera eſſe crederet, & digna credi à poſteris iudicaret. Poſtremo, totã ipſam diſpenſationem humanitatis Dominicæ animo percurramus. Tota quippe talis extitit, de qua & inimicorum incredulitas magis excęcanda, proptereaq́ꝫ dãnanda, ſcãdalizaretur: & credentiũ fides magis augmentãda, & propterea coronãda probaretur. Quid enim hoc ipſum, quod de Virgine deſpõſata Ioſeph naſci voluit? Nónne & inimicis ad augmentũ mortiferæ impietatis

Quid tota humanitatis Chriſti diſpẽſatio intẽderit.

Math. 1.
Luc. 1.

Math.13. pietatis ſcãdali cauſa fuit, vt appellarẽt eũ filium
Mar.6. fabri:& credenti Petro ad augmentũ remunerã-
Luc.4. dæ fidei profuit, qui in nullo per hoc impeditus
Math.16. dixit, Tu es Chriſtus filius Dei viui? Quid deniq;
Mar.8. tota carnis eius infirmitas? Nónne & ipſum dia-
Luc.9. bolũ vſq; adeo excæcauit, vt nec miracula inaudita prius attendẽs, vſq; ad occidendũ eũ inſurgeret, nec dãna irreſtaurabilia ſibi exinde prouẽtura præuideret? Ex eadẽ tamen infirmitate tantiſper illuminatur per fidẽ hodieq; fideles, vt nõ ſolũ valeant ipſius adiutorio fidei in ſuis infirmitatibus non deficere: ſed eiuſdem inſuper Domini ſui auxiliũ credentes charitati qua pro ipſis infirmatus eſt, vſquequaq; fiducialius audeãt implorare. De morte autẽ eius quid dicam? Nónne
1.Cor.1. dicit Apoſtolus, quia per ipſam Chriſtus Iudæis eſt ſcandalũ, gẽtibus autem ſtultitia: Chriſtianus veró Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia? Sicut igitur tunc cùm inter homines mortalis adhuc Chriſtus viueret, circa eius carnem agebatur: ita etiã quàm diu Eccleſia eius vſq; ad cõſummationem ſeculi mortalis erit, pro eadem vtilitate Eccleſiæ, qua illa tũc fiebant circa ipſam eandẽ carnẽ, ſalua incorruptione eius, tale quid ſpecietenus apparere poteſt vnde ſcandalizentur & contenebrẽtur ſemper increduli, exerceantur autẽ & illuminentur magis electi. Quapropter deſinant homines mẽte corrupti & putridi, corruptelã & putredinẽ opponere ſacramentis Dei: quia ſicut aſſumpta peregrini vel hortulani vel leproſi ſpe-
Luc.24. cies, fideliũ negligentiã vel increpuit, vel corri-
Ioan.20. puit, vel fidẽ dilectionemq; probauit, veritatem tamen eſſentiæ Chriſti nõ euacuauit: ita ſi quãdo putredo, vel aliud ſimile indecens quid in Eccle-

ſiæ ſacra-

ſiæ ſacramentis appareat, ad negligentiã miniſtrorũ puniendã vel corrigendam, vel certe ad fidem dilectionémve probãdã, vt diximus, valet: veritatẽ tamen eſſentiæ dominicæ carnis & ſanguinis euacuare nõ poteſt. Proinde ergo nec iſtas Eccleſia Dei hæreticorũ verſutias metuat: quæ ipſam etiam totã carnalem in terris diſpenſationem Domini ſui ſibi quidẽ ſalutẽ, ſcandalũ autẽ ſemper fuiſſe reprobis non ignorat. ROGE. A muribus quoq́ꝫ, vel huiuſcemodi quibuſlibet animalibus corrodi vel conſumi hæc ſacramenta poſſe obĳciũt. GVITMVN. Mihi equidẽ ſacramenta hæc nequaquã à muribus, vel aliquibus brutis animalibus videntur poſſe corrodi. Quòd ſi aliquando velut corroſa videantur, quòd nunc de hortulano, de peregrino, vel leproſo diximus, reſponderi poteſt, id eſt, nõ eſſe corroſa: ſed vel ad puniendã ſeu corrigendã miniſtrorum negligentiã, vel ad probandam eorũ qui hoc viderint, fidẽ, in tali ſpecie poſſe videri. Ad hoc verò quòd à brutis animalibus cõſumi poſſe dicũtur, reſpondere poſſumus ob prædictas cauſas, id eſt probandæ fidei, aut damnandæ ſeu corrigendæ cuſtodũ negligentiæ, bruta animalia eotenus ad corpus Chriſti poſſe accedere, quouſque poteſt humanus viſus aſpicere: Deinde aut mox inuiſibiliter angelorũ ſibi ſemper aſsiſtẽtium miniſterio, vel ſuapte virtute raptum iri, in cœlíſq́ꝫ conſtitui. Cuius ſententiæ martyr glorioſus Tarſitius nobis idoneus teſtis occurrit. Qui cùm venerãda dominici corporis ſacramẽta portaret, à paganis fortè ſuperueniẽtibus, & quidnã ferret exquirentibus cõprehenſus eſt. At ille mori potius quàm ſanctũ dare canibus eligẽs, palmã precioſę

Obiectio de muribus corrodẽtibus ſpecies.

S. Tarſitius martyr.

mortis

mortis emeruit. Illi verò curioſiſsime oĩa ſcrutãtes, rapto cœlitus dominico corpore, nihil penitus, niſi ſola linteamina repererunt. Porrò verò ſi quis ſe vidiſſe dicat (nam iſti contra quos agimus non curant quid proferant, dũ tamẽ aliquid ne recte credãt ſemper obījciãt) hæc à brutis animalibus deuorari, & intra eorũdẽ corpora inueniri, licet tale teſtimonium nõ facile recipiendũ, dignúmve reſponſione videatur: tamen ne quid neglexiſſe vel euitaſſe putemur, reſpõderi poteſt, quoniam ſi placet Chriſto, vel propter eas quas modo diximus, vel propter alias quaſlibet, quas ipſe nouerit cauſas, vt hæc ſacramenta abſq; ſui corruptione à beſtījs ſiue auibus comedi poſsint: quid hoc ad veritatem, quam credimus, dominici corporis obſtat? Certè enim non magis beſtiarum vel auium, quàm noſtro læditur guſtu. Sed nec pro vtilitate beſtiarum ora vel auium roſtra refugit, qui in lapide ſepulchri iacuit, qui poſt reſurrectionis etiã gloriam, terram calcauit. Manifeſtiſsimũ quippe eſt ex ordine Dei, animata corpora inanimitatis, ſenſibilia inſenſibilibus meliora eſſe: Neq; huic ſententiæ vllum vel tenuiter ſciolũ refragaturũ credo. Quę autẽ meliora ſunt, apud optimũ Dominũ chariora, ideóq; honorabiliora ſunt: Quo fit vt corpus cuiuſlibet viui animalis nõ ſit apud Deũ vilius quàm terra & lapis. Sed ipſum Chriſti corpus, ſicut iam diximus, in lapide iacuit, & terram calcauit: nõ igitur propter aliquã vilitatem cuiuſcunq; animalis corpus horreſcit. Quapropter, etiam ſi aliquo diuino iudicio bruta quælibet animalia non ſolũ ſacroſancta myſteria tãgere, ſed etiã valeãt deuorare: nulla tamen ex hoc nobis ratio obuiat quæ

veritatem Dominicæ carnis & ſanguinis,quã tenem⁹ in ſacris myſterijs nõ negare cõpellat. Quo circa ſufficienter excuſſa & hac blaſphemia, cætera videamus. De igne grandis quoque quæſtio oritur: pro eo quòd in quibuſdã, vt aiunt, canonibus igni, tanquã abſumẽda, ſacra myſteria tradi iubentur. Veruntamẽ non vt cõbuſtione conſumantur, id præcipitur, ſed tanquàm omniũ elementorum purgatiſsimo, ac mũdiſsimo digniſſimoq́ꝫ, quòd omnia reliqua elemẽta purgat, ipſum verò ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter cõmitti iubentur. Satis tamen mihi placeret, vt quando aliqua negligentia vel certè miraculũ nouum de tãtis myſterijs accidit, id inde fieret, quod mihi magiſter meus, vir eximius ſine dubitatione credẽdus, D. Lanfrancus ſe puero in Italia factum eſſe narrauit: Nam cũ presbyter quidã miſſam celebrans, inuentã ſuper altare veram carnẽ & verũ in calice ſanguinem, ſecundũ propriã carnis & ſanguinis ſpeciem, ſumere trepidaret: rem protinus ſuo Epiſcopo cõſiliũ quæſiturus aperuit. Epiſcopus autem cũ multis coepiſcopis ad hoc conuocatis, calicem illũ cum eadem carne & ſanguine Domini diligenter opertum ac ſigillatum in medio altaris incluſit, pro ſummis reliquijs perpetuo reſeruandũ. Si tamen ſacra myſteria ignibus imponuntur: nõ tradũtur equidẽ ignibus cremanda, ſed mundiſsimo, vt dixi, elemẽto fideliter cõmittuntur, nobis occultãda, & ſupernis ſedibus ilico reponenda. Quòd ſi fortè cuiuis curioſo videantur comburi, certiſsimè nouerit, quòd Dominici ſacramenti ſubſtantia quidem nullatenus crematur, ſed à nobis, vt dictum eſt, cœleſtia

Lãfrãcus. *Mira de ſacramẽto altaris hiſtoria.*

petens abripitur: qualitates verò ſenſuales, quas ibidem poſt immutationem ſubſtantię Deus remanere altiſsimo conſilio voluit, oſtendunt quod ſuum eſt. Vnde fit vt color & ſapor, odor quoque, & ſi qua huiuſmodi accidentia prioris eſſentiæ videlicet panis ſeruata ſunt, quēadmodum in pane vel vſtulato vel nimis diu ſeruato ſolet fieri: Simili modo hic quoq; ſalua omnino Dominici corporis ſubſtantia, corruptioni exterius ipſa accidentia aliquatenus videntur obnoxia: quatenus cœleſtis altitudo myſterij, retētis velata accidentibus, nec paſsim reueletur incredulis, & probatæ fidei merito, vberius & gratius commendetur iuſtis. ROGER. Si panis & vinum in Chriſti carnem & ſanguinem verterētur, iam toties, inquiunt, talia deuorata ſunt: vt ſi Chriſti corpus tam magnum vt ingentiſsimus mons fuiſſet, iam totum deuoratum cōſumptūq; fuiſſet. GVITMVN. Ita equidem videretur cōſequens, ſi nos concederemus corpus Domini membratim diſcerpi: atque ita particulatim à fidelibus manducari, vt iam ſine vllo ſui damno totum apud ſe remanere non poſſet. Sed quoniam ad inſtar vocis, quæ inter mille homines (vt ſupradictum eſt) ab vno prolata, ad ſingulos tota peruenit, & apud dicētem tota remanet: ita Dominicum corpus à ſingulis comedi credimus, vt tamen apud ſe totum, integrumq; remanere fateamur, iam nos in nullo impediens hæc obiectio vana conticeat: quia ſicut beatus Auguſtinus & Euſebius Emiſenus dixerunt, hæc gratia Dei ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi. ROGER. Corpus Domini inconueniens eſt in ſeceſſum mitti, Omne autem quod intrat in os,

alias infulato.

Auguſtin.
Euſebius.

in os,vt Saluator ait, in ventrem vadit,& in ſe- *Matth.15.*
ceſſum emittitur. Denique de ſacramentis iſtis ſi multi panes,vt inquiunt,& multa vina ſacrentur: poteſt quis longo tempore viuere, nihil aliud comedens aut bibens: vnde igitur habebit ſeceſſum illo tempore, niſi iſta in ſeceſſum vadant? Hæc ſunt interim quæ mihi de rationibus Berengarij occurrunt: quibus poſtquàm reſponderis, authoritates apponam. GVITMVNDVS. Corpus domini quidem nullo modo in ſeceſſum mitti, & nos credimus, Sed non omnia quæ in os intrant in ſeceſſum ire concedimus: Non enim ſententia illa Dominica, niſi de cibis qui ad ſuſtentandam huius mortalis corporis vitam ingeruntur, competenter intelligi poteſt. Nemo eſt enim qui de eo, quòd Saluator poſt reſurrectionem ſuam comedit, ſicut nec de angelis qui apud Abraham comede- *Gen.19.*
runt, id vel audeat ſuſpicari. Sicut igitur cibus corruptibilis, cùm ab immortalibus ſumitur, hac ſeceſſus lege congrue creditur non teneri: Ita cibum incorruptibilem, quòd eſt corpus Domini, cùm à mortalibus editur, ſeceſſus neceſsitatem pati nephas eſt arbitrari. Abſit enim vt inhoneſtam corporis egeſtionem cibus ille ſuſtineat: qui corpus & animam ad æternam honeſtatem parat. Sed ſi cui hoc quòd diximus fortaſſe non ſufficit: audiat quod de ipſis noſtris corruptibilibus cibis Phiſici, & medici maxime, certiſsima ratione doceant: dicentes, partem ciborum & potuum eam videlicet quæ corpulentior & corruptior eſt, per ſeceſſum egeri: partẽ autem ſubtiliorem & vtiliorem, vi naturæ per diuerſas corporis partes diſtrahi, & in carnis

naturam ac ſanguinis verſum iri: partẽ verò aliã, ſubtilem quidẽ, ſed minus vtilẽ, per partes corporis ſimiliter transfuſam, per poros euaporari: partem autem reſiduam, neq; tãtiſper ſubtilem, neq; adeò vt prima eſt, corpulentam, per fluxum nariũ aut per ſputa, vel quolibet ſimili modo iactari. Quę ſi ita ſunt, imò quia ita ſunt: non igitur cibus qui in ventrem vadit, omnis in ſeceſſum emittitur. Sed neq; dominus hoc in Euãgelio dixit. Illud quidem ex ſententia Domini intelligimus, quòd omnis cibus & potus, qui ad ſuſtentãdum corpus in os intrat in ventrẽ naturaliter vadit: nõ tamen dixit, & omnis in ſeceſſum emittitur, ſed tantũ dixit, & in ſeceſſum emittitur, de parte videlicet omnibus notiſsima loquens. Et hæc quidem quantum ad hunc locum attinet, de hac ſententia Euangelica dixiſſe ſufficiat. Cæterũ ſi quis hãc Domini ſententiã enucleatius ſibi exponi deſiderat, expoſitiones Euangeliorũ ſtudioſus legat: Nobis enim in præſentiarũ hoc tãtum dixiſſe ſufficit, nẽ quis nos exiſtimet dominicæ ſententię contraire. Siue autem hoc modo, ſiue quolibet alio, prædicta quæſtio de ſententia Domini cõueniẽtius ſoluatur: hoc interim quod ad ſuſceptã diſputationẽ ſatis eſt, cõſtat: ſcilicet, quia non omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur. Fruſtra igitur & hæc nobis offertur obiectio: quia nullo modo per eã impedimur, quod de mẽſa Domini ſumimus, corpus & ſanguinem Domini credere, cum tã multa alia ſciamus, quæ in os intrant, in ſeceſſum non ire.

Illud nunc quòd addunt ex ſe, videamus. De iſtis, inquiunt, ſacramẽtis, ſi multi panes & multa vina ſacrentur, poteſt quis longo tempore viuere nihil

uere nihil aliud comedens aut bibens: vnde igitur ſeceſſum habebit tempore illo, ſi non iſta ſeceſſum petant? Illud equidem ego cõfiteor, quoniam ex virtute ſacroſancti corporis, ſi placet ita Deo, propter aliquam quã ipſe nouerit cauſam: non dico ex multitudine panũ, ſed vel ex modica portiuncula poteſt quis lõgo tempore melius, q̃ ex omnibus huius mundi epulis ſuſtentari. Nam ſi Helias, ex virtute refectionis illius quã ex duobus ſubcineritijs panibus & modico aquę, angelo miniſtrãte perceperat, quadraginta diebus totidemq́ noctibus vixit: quanto magis ex virtute huius cœleſtis diuiniq́ conuiuij, in quo non iam ſubcineritios panes, & aquam de manu angeli, ſed ipſius verbi Dei propriam carnem & ſanguinem de manu eiuſdem ſumimus Chriſti, poteſt quiſpiam nullo alio cibo vtens, ſi quãdo ita voluntas Dei eſt, optime ſuſtẽtari? Deniq; & hoc de quibuſdam ſanctis patribus legimus, qui nullum aliud ſumentes prorſus edulium, ſola communione Dominica, diebus tantum Dominicis ſaginati, multis annis vixerunt.

Helias. 3. Reg. 16

Solo ſacramento poſſe quẽ ſuſtẽtari.

Hoc igitur concedere poſſumus, poſſe videlicet aliquem ex virtute dominici corporis per diuinum miraculũ lõgo tempore viuere: ſeceſſum autem ei poſſe fieri exinde, omnino denegamus. Si quid ſanè interim habet ſeceſſus: aut ex reliquijs præteritorũ ciborũ, aut ex defectu ſui corporis id eſſe neceſſe eſt. Sed hoc, inquit Berengarius, iã manifeſtè probatũ eſt (ita enĩ nõnulli pro eo nobis reſponderunt) neq; ex reliquijs pręteritorũ ciborũ, quippe propter diuturnitatẽ longi tẽporis iam cõſumptis, neq; ex defectu propriæ carnis, quippe cõſueta corporis pinguedine permanente,

manẽte, Euchariſtia paſtos habuiſſe ſeceſſum. O hæretica malicia, hoccine experimento auſa es probare? hoc te probaſſe auſa es dicere? hoc manifeſte auſa es propalare? Quàm immaniſsima audacia, nec præſentis Dei tremendam maieſtatem in experiẽdo pertimuiſti, nec Chriſtiani populi pro tanto ſcelere digne ſæuiturã indignationem in referẽdo formidaſti? Hic ego tamẽ quæro, quãdo vel à quo iſtud probatũ eſt. Si enim antiquis tẽporibus id probatũ eſſe dicat: cũ nullus hoc autorũ probabiliũ referat, nullo modo credendũ eſt. At ſi propinquis tẽporibus probatum eſt, quis probauit? catholicę partis equidẽ nullus. Quis enim hũc ſacratũ panẽ Chriſti corpus verè eſſe credens, de experiendo tam nephandiſsimo ſcelere cogitaret? Quòd ſi ipſe, vel ſuæ partis quiſpiã panes multos, aut per grãdem vnũ, tale quid probaturus ſacrauit: nos de Miſſa infideliũ & maxime tantũ nephas probare volentiũ, quicquid eis contigerit, non magnopere iã curamus. Nõ enĩ niſi apud eos, qui verba Chriſti per virtutẽ diuinã tantæ rei operatoria eſſe credũt, panẽ & vinũ in carnẽ & ſanguinẽ Domini tranſire neceſſario credimus. Apud eos autẽ qui fidẽ huius rei tenent, hanc mutationẽ per verba Chriſti neceſſario fieri & credimus, & confirmamus. At ſi fortè aliquando quemlibet ſimplicem, catholicũ presbyterũ ignorantẽ ad quid hoc fieret, vt plures ſibi panes, aut vnũ maximum ſacraret, ob id ipſum experimentum decepit: aut ſuæ partis quiſpiã forte cũ catholicis Miſſam celebrans itidem fecit: corpus equidem Chriſti, quod ſacratũ eſt credimus, ſed aut nunquã in ſeceſſum iſſe, aut eodem tẽpore Domini inuiſibiliter abſumpto,

Nõ omnes cõſecrãt, qui id attentãt nõ debito modo.

dignum

dignũ fallendis refellendíſq; hæreticis qui ſeceſſum faceret panẽ ab angelis ſiue à malignis ſpiritibus repoſitũ reſpondemus. Nam in Vitis Patrũ (quas & ſi Berengarius recipere non vult, ad inſtructionem tamẽ aliorũ hoc profera) legitur, quòd aſpiciente quodã ſanctiſsimo patre, cuius ad id cernendũ Deus oculos aperuerat, quibuſdã indignis cõmunicaturis corpus Domini inuiſibiliter angelus ſubtrahens, carbonẽ porrigebat, contra hanc de ſeceſſu quęſtionem poſteros fortaſſe præmuniens. Nõ quòd id ſemper indignis cõmunicaturis faciat, ſicut de hac re volente Deo poſterius oſtendemus. Sed & beatus Auguſtinus, quẽ ſaltem Berengarius nunquã reſpuit, in libro de Ciuitate Dei, ſimilem ſubtractionem per apoſtatas ſpiritus factam de Ephigenia virgine, regis Agamennonis filia, dicit, aſſerens, quòd cũ à patre dijs immolãda eſſet, vt miraculi nouitate miſeros homines altius falleret, diabolus eam ſubtraxerit, pro qua interim alicubi ſumptã ceruam ſuppoſuerit. De quodã etiã ſuis temporibus magna cõtigiſſe mirabilia refert, qui inter iumenta videbatur in ſpecie caballi frumenta ſubuehere, cũ ipſe interim grauiſsimo ſterteret velut ſomno oppreſſus, & eius ſpecie aſſumpta diabolus, ac deinde corã hominibus in caballũ trãsformatus frumẽta portaret. Quocirca, quoniã vel in Miſſa nõ credentiũ virtutẽ verbi dominici, corpus domini nõ fit, vel certe corpore Dñi diuina virtute, vel angelico miniſterio inuiſibiliter ablato, poteſt hęreticis ſeceſſui cõgru⁹ panis, aut ab angelis, aut à dęmonib⁹ ſubijci: Iã de tali experimẽto Berẽgarius, & ſequaces eius cõtra eccleſiã Dei deſinãt oblatrare, cũ ſalua vſq; quaq; in ſacroſanctis

Auguſtin. Lib. 18. cap. 18.

Eodẽ lib. & cap.

myſterijs Dominici corporis veritate, magis ipſi altius in ſua ſtultiſsima curioſitate conuincantur errare. ROGE. Reuera Dei gladio armatus multiplicē ſerpentē quęſtionis huius mira viuacitate concidiſti. Et ego gratias ago Deo: quia de quo vehementer angebar, ſufficiēter mihi ſatiſfactũ eſſe cōſpicio. GVIT. Nónne & illud audiſti, in quo vel maxime deridēdo catholicos, gloriatur? ROG. Quid nā illud? GVIT. Chriſtús, inquit, nunquā fuit ſeminatus, neq; collectus in agris, Sed iſta fuerũt ſeminata in agris & collęcta: quomodo ergo poſſunt eſſe corpus Chriſti? ROGER. Hoc profectò argumentũ vel nunquā audieram, vel mente exceſſerat: cui quid reſponderi congruè debeat, abs te conſequenter exponi deſidero. GVIT. Irridēda planè hęretici inſana deriſio. Quis eſt enim hominũ, in cuius carnē manducata non mutētur ea quæ fuerunt ſeminata & collecta in agris? Quo fit vt omnes homines, qui veſcuntur his, quæ in agris ſeminata & collecta ſunt, ſeminati & collecti in agris poſsint dici. Et ſic falſum eſt quòd ait Berēgarius, Chriſtus nunq̃ ſeminatus eſt neq; collectus in agris. Aut ſi propter hanc cauſam nullus homo ſeminatus vel collectus in agris creditur, quid ergo impoſsibile eſt, ſi in Chriſti corpus neq; ſeminatũ in agris, neq; collectum, ea quæ in agris ſeminata & collecta ſunt conuertantur? Sed neq; ea, quæ fuerunt in agris ſeminata & collecta, conuerti hic dicimus. Panem enim in carnē cōuerti dicimus: panis verò nunq̃ in agris ſeminatur vel colligitur, ſed grana ex quibus cōficitur. Quòd ſi ita eſt, falſum ergo & illud eſt, quod ait Berengarius, iſta fuerunt ſeminata & collecta in agris. Rideatur

igitur & in his,nec timeatur vanus irriſor: cùm omnia firmamenta oppoſitionũ eius, velut aranearũ telæ, conatu facili diſrumpantur. ROGE. Recipiẽda dignißime & toto corde amplectenda videntur mihi cuncta quæ dicis. GVIT. Hæc igitur ſunt omnia, inquãtum adhuc audiuimus, quibus tanq̃ rationibus Berengarius, & fautores ſui cõtra eccleſiã Dei hactenus cauillati ſunt. Quibus vt arbitror ſufficienter exploſis, iam nunc ad ea quæ de ſcripturis ſanctorũ patrũ ſibi videntur ſumere patrocinia veniamus. ROGE. Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana, cibũ Dominici altaris ſignũ & figurã, vt ipſi aſſerunt, nominat, dicens: Hoc verò tempore poſteaquã per reſurrectionẽ Domini noſtri manifeſtißimũ indiciũ noſtrę libertatis illuxit, nec eorũ quidem ſignorũ quæ iã intelligimus operatione graui onerati ſumus: ſed quędã pauca pro multis, eademq; factu facillima & intellectu auguſtißima & obſeruatione caſtißima, ipſe dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina. Sicuti eſt baptiſmi ſacramẽtũ, & celebratio corporis & ſanguinis Domini. Quę vnuſquiſq; cũ percipit, quo referãtur imbutus agnoſcit: vt ea nõ carnali ſeruitute, ſed ſpirituali potius libertate veneretur. Vt autẽ literã ſequi, & ſigna pro rebus quæ his ſignificãtur accipere, ſeruilis infirmitatis eſt: ita inutiliter ſigna interpretari, male vagãtis erroris eſt. Audiſti igitur, inquiũt, quòd ſacramenta altaris ſigna dicit? Deinde infert: Quæ vnuſquiſq; cũ pcipit, quo referãtur imbutus agnoſcit: vt ea nõ carnali ſeruitute, ſed ſpirituali poti⁹ libertate veneretur. Audiſti quia non carnali ſeruitute, ſed ſpirituali potius libertate veneranda eſſe iſta dicit? Et quaſi

Auguſtinus de doctri. Chriſtana lib. 3. c. 9.

quæreres, quid eſt carnali ſeruitute ſigna venerari, literam inquit ſequi, & ſigna pro rebus quæ his ſignificãtur accipere, ſeruilis infirmitatis eſt.
Lib.3. cap.16. Item in ſequentibus: Si autẽ flagitiũ aut facinus iubere, aut vtilitatẽ & beneficentiã videtur vetare: figurata locutio eſt. Niſi mãducaueritis, inquit carnem filij hominis & ſanguinẽ biberitis, non habebitis vitã in vobis, facinus vel flagitiũ videtur iubere, figura ergo eſt præcipiens paſsioni Domini eſſe cõmunicandũ, & ſuauiter atq; vtiliter recondendũ in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit. Audiſti ergo, aiunt, figuram? Quid amplius requiris? Adde tamẽ quod apud omnes eccleſiaſticos autores, ſed & in collectis miſſarum quas vbiq; eccleſia celebrat, panis altaris dicitur ſacramentum: quod eſt ſacrum ſignum. GVITMVN. O viri inſipienter ſapientes, nec Auguſtinum, nec cæteros autores ſanctos, nec cõſueta eccleſiæ verba intelligentes, aut certe male peruertentes præclara diligentia. Nuſquã etenim Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana, cibũ altaris Domini, ſignũ vel figurã vocauit: ſed celebrationẽ Dominici corporis ſignum dixit, quod idem & nos credimus. Nam quoties celebratio corporis & ſanguinis Domini agitur, non equidẽ Chriſtum iterũ occidimus, ſed mortem eius in ipſa, & per ipſam celebrationem memoramus: Eſtq; ipſa celebratio paſsionis Chriſti quædam commemoratio. Cõmemoratio autẽ paſsionis Chriſti ipſam paſsionẽ ſignificat. Celebratio igitur corporis & ſanguinis Domini, paſsionis Chriſti eſt ſignum. Et hoc eſt quod ait b. Auguſtinus: Hoc verò tempore poſteaquã per reſurrectionẽ Domini noſtri manife-

ſtiſsimum

ſtiſsimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorũ quidẽ ſignorũ quæ iam intelligimus operatione graui onerati ſumus, ſed quædam pauca pro multis, eademq́ꝫ factu facillima, & intellectu auguſtiſsima & obſeruatione caſtiſsima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum & celebratio corporis & ſanguinis domini. Quòd verò addidit, quia ſequi literã, & ſigna pro rebus quæ his ſignificãtur accipere ſeruilis infirmitatis eſt: de ſignis veteris teſtamenti, de quibus tunc loquebatur hoc dicit. Reuera enim ſeruile erat & infirmũ, ſecundũ literã tantum circuncidi, pecudes immolare, neomenias & ſabbata celebrare, agnũ, petram, & cætera huiuſmodi quæ Chriſtum ſignificabant, pro Chriſto accipere. Quòd ſi etiam de celebratione Dominici corporis, quã ſignũ vocauit, hoc Auguſtinus dixit, & nos vltro ſequimur. Nam cum dicimus in celebratiõe Dominici corporis Chriſtus immolatur, nemo carnaliter hac ſecũdũ literã debet accipere. Chriſtus enim ſemel mortuus, Rom. 6. iam nõ moritur, mors ei vltra nõ dominabitur. Sed dum paſsionem eius, miſſas celebrando memoramus, pro nobis olim mortuus deſignatur. Deniqꝫ ſi quis dicat: Celebratio dominici corporis eſt dominica paſsio tanq̃ carnaliter ſentiens à nobis repellitur. Non eſt enim celebratio ipſa dominica paſsio: ſed dominicæ paſsionis iã peractæ ſignificatiua cõmemoratio. Vbi autẽ ſequitur Auguſtinus dicens: Si autem flagitiũ aut facinus iubere, aut vtilitatem & beneficentiã videtur vetare, figurata locutio eſt: niſi manducaueritis carnẽ filĳ hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium

videtur iubere, Figura ergo eſt, præcipiẽs paſsioni domini eſſe cõmunicandũ, & ſuauiter atque vtiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata ſit. In qua re facimus vel flagitiũ videatur præcipere, ipſe Auguſtinus in alio loco ſatis diligẽter exponit. Nõ noſtrã opinionẽ in verbis Auguſtini ſequamur: ſed ipſum ſe diligẽtiſsime exponentẽ audiamus.

Aug. in pſal. 98.

Exponens enim Pſalmum nonageſimũ octauũ, ſic dicit. Durũ illis viſum eſt quod ait, Niſi quis manducauerit carnẽ meã, non habebit vitã æternam. Acceperunt ſtulte, carnaliter illud cogitauerunt: & putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt, durus eſt hic ſermo. Sed & ſuper Euangeliũ ſecundũ Ioannem, vbi hæc eadem verba copioſius tractauit, hoc ipſum flagitiũ vel facinus quod eũ præcipere putabant, latiſsima expoſitione proſecutus eſt dicens: Hoc vos ſcandalizat, quia dixi carnẽ meã do vobis mãducare, & ſanguinẽ meũ bibere? Hoc vos nẽpe ſcãdalizat. Si ergo videritis filiũ hominis aſcendentem vbi erat prius. Quid eſt hoc? Hic ſoluit quod illos mouerat, hic aperuit vnde fuerant ſcandalizati: Hic planè ſi intelligerent. Illi enim putabãt erogaturũ corpus ſuum, ille autem dixit ſe aſcẽſurũ in cœlũ vtique integrũ. Cùm videritis filium hominis aſcendentẽ vbi erat prius, certè vel tũc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus ſuum: certe vel tũc intelligetis, quia gratia eius non cõſumitur morſibus. Et iterum: Iſti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Ieſu. Non crediderunt aliquid magnũ dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem:

Tract. 27

ſed prout

ſed prout voluerunt ita intellexerunt, & more hominũ, quia poterat Ieſus aut hoc diſponebat Ieſus, carnẽ qua indutũ erat verbum, veluti conciſam diſtribuere credẽtibus in ſe. Et paulo poſt: Quid ergo? Non prodeſt quicquã caro? Non prodeſt quicquam: ſed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, nõ quomodo ſpiritu vegetatur. Et iterũ: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nõ prodeſt quicquam: ſicut illi intellexerunt carnem, non ſicut ego do ad manducãdum meam carnem. Certè ergo ſatis in his verbis declarauit ſanctus Auguſtinus quod flagitiũ vel facinus videbatur Dominus iubere: hoc videlicet, quod eis qui audiebant, durum viſum eſt. Vnde & ſcãdalizati ſunt, quia acceperũt, inquit, ſtultè & carnaliter. Sed quare ſtultè & carnaliter? Quia putauerunt, inquit, quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo & daturus illis: putauerũt quod gratia eius conſumeretur morſibus, & carnem qua indutũ erat verbum veluti conciſam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello vẽditur, diſtribueret credentibus, non ſicut ſpiritu vegetatur. Hoc eſt ergo facinus vel flagitiũ, quod, vt ait b. Auguſtinus, videbatur Dominus iubere, nõ quia facinus aut flagitiũ iuberet, iubendo manducari carnem ſuam: ſed videtur, inquit, iubere, illis videlicet, qui putauerunt, quòd hoc iubẽdo, neceſſario etiam ſe iuberet occidi, & membratim cõſcindi, atq; ita demũ carnem eius crudam vel coctam manducari. Proinde ergo figura eſt, inquit, in hac locutione. Hic iam adgaudet fortaſsis vmbraticus, hic iam obſtrepit. Noli prępoſtere Vmbratice,

bratice, noli præcipitanter gloriari: Cuius rei figura dicatur hic eſſe, patienter & diligenter aduerte. Figura ergo eſt, ait Auguſtinus, præcipiēs. Quid præcipiens? Quid figurans? Hoc enim figurat, quod præcipit, Paſsioni Domini, inquit cōmunicādū, & ſuauiter atq; vtiliter recōdendū in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata ſit. Deo gratias. Quicquid igitur illud eſt, quod Auguſtinus hic figurā appellat (nā quid figurā dicat in his eius verbis agnoſci nō tā facile poteſt) non vtiq; corporis domini, ſed crucifixionis eius & vulnerationis, hoc eſt, occiſionis noſtræq; cōmunicationis cum ea, id eſt, vt imitetur Chriſtū, & cōmunicemus paſsioni eius, cōpatiēdo, manifeſtiſsime figurā eſſe demōſtrat, Paulo quoq; Apoſtolo concordante, qui ait: Quotieſcunq; panem hūc māducabitis, & calicē Domini bibetis, mortē Dñi annunciabitis donec veniat. Quòd ſi quæramus quid hic figuram Auguſtinus dixerit, nihil vtiq; tam congrue videtur occurrere, quàm id quod paulò ſuperius doctor idē iam dixerat, id eſt, celebratio ipſa corporis & ſanguinis Domini. Quas ob res, ſtultè & inſipientiſsime Berengariani librū de Doctrina Chriſtiana nobis obijciunt, cum cibus altaris Domini nuſquā ibi figura, nuſquā ibi ſignū dicatur: & quicquid illud ſit, quod ſignū ibi & figura dicitur, nō vtiq; ſignū & figura corporis & ſanguinis Domini, ſed paſſionis domini & noſtræ cōmunicationis cum ea, certiſsime demōſtretur. Porrò autē ſi ipſam Euchariſtiam contentioſe aſſerunt ab Eccleſia vocari ſignū & figurā (vocatur enim ſacramentū, id eſt, ſacrū ſignū) quid ſibi quęſo in hoc conferent? *Quomodo* quid nobis oberunt? Nos quippe illam non veremur

remur dicere figuram & ſacramentũ. Hic fortaſſe reſpondebit vmbraticus, quòd & dicere ſolitus eſt: Si figura eſt, quomodo veritas? Si ſacramẽtũ, quomodo veritas? O male cordati hominis inſulſiſsima ratio. Non legiſti in Euangelio ipſum Chriſtũ ſignũ appellari? dicente Symeone: Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionẽ multorũ in Iſrael, & in ſignũ cui contradicetur. Et in Canticis canticorum ipſe ad ſponſam ſuã dicit: Pone me vt ſignaculũ ſuper cor tuum. In Eſaia quoq; legitur: Erit radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum. Quapropter ſi Chriſtus, & verus Chriſtus eſt, & ſignum: nihil nos impedit, ſi hoc quod de altari Domini ſumimus, cum ſit verum Chriſti corpus, dicatur & ſignũ. Sed cuius rei forſitan inquies, niſi Dominici corporis eſt ſignum? Et ego viciſsim abs te requiro, cuius rei Chriſtus eſt ſignum? Si mihi reſpõdes, tu ipſe quod interrogas ſoluis. Si illud mihi non reſpõdes, nec me reſpondere hoc cogis. Ad inſtructionem tamen fideliũ, de hac re ſicut dominus dederit aliqua dicam. Chriſtus enim, quoniam ſeipſum pro nobis obtulit, factus eſt nobis ſignũ redẽptionis. Omne enim preciũ trãſlationis, eius rei cuius eſt precium, ſignũ eſt, Chriſtus igitur quoniãquidẽ redemptor noſter eſt, de morte ad vitam ipſe nos tranſtulit: & quoniã ipſe eſt & precium noſtrum, huius nobis tranſlationis, id eſt, noſtrę redẽptionis eſt ſignum. Non abſurdè ergo credimus, ſi ſimili quoque ratione cibum altaris Dominici, & propter virtutẽ diuinitatis in eo pleniſsime habitantis, noſtræ ſalutis effectiuum, & quoniam precium noſtrũ eſt, eiuſdem ſalutis noſtræ credimus ſignificatiuum. Chriſtus deniq; inter Deum & homi-

eucharistia ſit figura.

Luc. 2.

Cant. 8.

Eſa. 11.

1.Tim.2. & homines mediator, dum nobis ſemper velut arcus in nubibus, ex diuina conſiſtens & humana ſubſtantia, fulget in prædicatoribus, cumq; pater pro nobis interpellātē ſemper aſpicit, inter Deū & homines ſignum eſt fœderis ſempiterni, Iuxta
Geneſ.9. quod ſcriptū eſt: Ponam arcū meū in nubibus, & erit ſignū fœderis mei inter me & inter terrā. Huius quoq; diuini fœderis, huius tam ſaluberrimæ pacis, ſacroſancta altaris oblatio, à nobis creditur ſignū. Sed & illud quod de virgine natus eſt Chriſtus, nobis eſt ſignum quod & nos de matre virgine in Chriſto renaſcimur, quam deſpondit Apoſtolus vni viro virginem caſtam exhibere
2.Cor.11. Chriſto, quæ eſt Eccleſia. In Chriſto creſcente
Ephe.4. profectū noſtrum donec occurramus omnes in
Luc.13. virū perfectum, præſignatū attendimus. Ipſe dæmonia eijcit, ſanitates perficit, tertia die cōſummatur: Et nos primo quidē vitia expellim⁹, virtutes deinde nutrimus, tertio pficimur. Et quid amplius referā? cū tota eius in hoc mūdo carnalis conuerſatio, omnisq; ſecūdū carnē diſpenſatio, noſtræ vitę Chriſtianę proponatur in ſignū?
1.Ioan.2. Si enī dicimus nos in Chriſto manere, debemus ſicut ipſe ambulauit & nos ambulare. Vt tamē & de fine aliquid memorē, idē crucifixus, mortuus, ſepultus & reſurgens, & ad patris dextrā demum
Luc.9. aſcendens: nónne iuxta Apoſtolū hoc nobis deſignat, vt quotidie ſicut ipſe præcipit, crucē noſtrā baiulemus, quotidie huic mūdo moriamur, conſepulti quoq; ei iā non attendamus præſentia, ſed ſicut filij reſurrectiōis ambulemus in no-
Rom.8. ua vita, vt poſt labores huius ſeculi cōſcendamus
Colloſ.3. & nos ad cœleſtia regna? Si enim, ait Apoſtolus, complantati fuerimus ſimilitudini mortis eius,

ſimul

ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſciẽtes, quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum illo, vt deſtruatur corpus peccati. Et quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu: in mortẽ ipſius baptizati ſumus, conſepulti ei per baptiſmũ in mortẽ, vt quemadmodũ Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam quòd poſt hanc vitã bene geſtam cœleſtia petamus, omniũ chriſtianorũ orthodoxorũ teſtis eſt fides. Scimus enĩ iuxta beatũ Apoſtolũ, quoniã ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur: quòd habitationẽ habemus ex Deo, domũ non manufactam in cœlis. In his igitur omnibus ſuæ ſanctæ Eccleſiæ ſignum nobis Chriſtus occurrit, quod in cruce pendens ſanctiſsima ſua authoritate ipſe confirmauit, dicẽs: Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Vbi enim pater eũ, aut quando dereliquit, cũ ipſe dixerit: Nõ ſum ſolus, quia pater mecũ eſt, Et iterũ: Pater, ſcio quia ſemper me audis? In ſe ergo Eccleſiã ſuã quõdam in Adam derelictã ſine dubio figurabat. Cunq; ſicut nos b. Apoſtolus Paulus docuit, ipſe caput Eccleſiæ ſit, & Eccleſia corpus eius: ipſum ſuũ propriũ, quod de beata Virgine ſumpſerat corpus, corporis ſui, quod eſt Eccleſia, ſignũ eſt, & figura, & ſacramentũ. Quod videlicet Eccleſiæ corpus adinſtar capitis ſui, de Spiritu ſancto & Eccleſia virgine corde naſcitur: & ex omnibus gentibus, tanq̃ ex diuerſis mẽbris in vnũ nouũ hominem cõgregatur. Oĩa porrò hęc, per id quoq; quod de altari Dominico ſumitur, non incongrue credimus figurari. Nam vt inde facili cõpendio ſatisfaciam, neq; tamen rationes altiſsimas diuinorũ myſteriorũ paſsim prodam:

2. Cor. 5.

Matth. 28

Ioan. 8.

Ioan. 11.

Coloſſ. 1.

de hoc certè vniuerſalis Eccleſia teſtis eſt, quia quotieſcunq; id ſumimus, nos vtiq; chriſtianos eſſe, id eſt, ſpiritualiter natos oſtendimus. Cõſequenter ergo & cõcrucifixos, & conmortuos, & conſepultos domino noſtro per baptiſmum in mortẽ, ſed & cõreſurrexiſſe nos declaramus. Per hãc quoq; vitia expellimus, per hãc nos in noua vita cõfirmari cõfidimus: per hãc poſtmodũ perfectos, ad regnũ æternũ nos aſcẽſuros ſperamus. Iã verò quòd vnitatẽ corporis Eccleſiæ ſacra figuret oblatio, nõ eſt neceſſe vt hoc probãdo laborẽ: Paulus enim id ſufficienter declarat Apoſt. dicens: Panis quẽ frangimus, & calix cui benedicimus, nónne participatio corporis & ſanguinis Domini eſt? quia multi vnum ſumus in Chriſto. Quod b. Cyprianus intelligẽs in epiſtola ad Magnum quendam ita proſequitur, Deniq; vnanimitate chriſtianos firma ſibi atque inſeparabili charitate connexos, ipſa etiam Dominica ſacrificia declarant. Nã quando Dominus corpus ſuũ panem vocat, de multorũ granorũ adunatione congeſtum, populũ noſtrũ quẽ portabat indicat adunatum: Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atq; acinis plurimis expreſſum atq; in vnũ coactum, gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Vnde & b. Auguſtinus ſuper Ioannẽ dicit: Hunc itaq; cibum & potũ, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia. Et paulo poſt. Propterea quippe, ſicut ante nos intellexerũt, ait, homines ſancti Dei, dominus noſter Ieſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quę ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Nanque aliud in

Virtus eucharistiæ

1. Cor. 10.

Cyprianus lib. 1. epiſtol. 6.

Tract. 26

aliud in vnum ex multis granis conficitur: aliud in vnum ex multis acinis.

Aptiſsimè igitur & rationabiliter, ſacra oblatio, cũ aliorum multorũ bonorũ, tum etiam corporis Domini, id eſt, Eccleſiæ ex multis hominibus vel populis velut granis, inter duo teſtamẽta, tanq̃ ſuperiorẽ & inferiorẽ molã contritis. i. humiliatis: per aquam baptiſmi, & ignem ſpiritus ſancti in vnum collectæ atq; compactæ, dicitur ſignũ. Ipſius verò corporis quo diuinitas ſaluatoris propriè induta eſt, apud quempiã autorum, aut nuſquã, aut vix ſignum apertè dici reperies. Vbi ſanè inuenitur Euchariſtia dici ſacramentũ corporis Domini, aut conſtructionẽ verborũ ſic reſoluimus: Euchariſtia eſt ſacramẽtum quod eſt corpus domini, vt ipſa quidem ſit vere corpus domini: ſacramentũ verò ſit aliarũ rerũ, prædictorum videlicet bonorũ, ſicut ſolemus dicere: Deus eſt fons bonitatis, id eſt, fons qui eſt bonitas, & plenitudo diuinitatis. i. plenitudo quæ eſt diuinitas, & multa huiuſmodi alia. Aut certè intelligimus, quod ipſa quidem ſit corpus dñi, ipſius videlicet verbi Dei propriũ, & corporis domini, quod eſt Eccleſia, ſicut b. Apoſtolus docuit, ſacramẽtũ. Quòd ſi vſpiã inueniretur etiam ipſius corporis quo verbũ Dei indutũ eſt (quod tamen nuſquam aut vix clarè occurrit) ſacramẽtum dici: quid nobis officeret, in quo fidem noſtram labefactaret? Nunquid enim nullum ſacramentũ eſt, id cuius eſt ſacramentũ? Aut nulla figura eſt id cuius eſt figura? Quid ergo de filio Dei in epiſtola ad Hebræos Paulus dicit: qui cùm ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtãtiæ eius, id eſt, patris? Nunquid non eſt filius id quod pater? Abſit. Heb. 1.

Filius enim id omnino quod pater eſt: & nihil aliud q̃ id quod pater eſt. Falſum eſt igitur dicere, quod nulla figura ſit id cuius eſt figura. Deniq; & Chriſtus olim docens, miracula faciēs, iuſtiſsime inter homines viuēs, mãducans, bibens, dormiens, cæteráſq; noſtræ humanitatis proprietates in ſe oſtēdēs: quid nobis aliud quàm ſeipſum Deũ hominéq; deſignabat? Sed & nũc quoq; pro nobis interpellãs, hodiéq; corpus ſuum cũ cicatricibus vultui patris oſtēdens: ſe pro nobis natũ, paſſum, ac reſurrexiſſe, atq; ad cœlos aſcendiſſe deſignat. Idem igitur Chriſtus ſui ipſius eſt ſacrũ ſignũ, id eſt, ſacramentũ. Hæc eadem quoq; diuina nobis oblatio, ſine fidei noſtræ periculo ſignare poteſt. Cùm hæc igitur ita ſint, eadē nobis per omnia, quæ & Chriſtus, Euchariſtia noſtra ſignificare inuenitur: Et quarũ rerũ illa, earũdem & Chriſtus ſacramētũ. Quę cũ ita ſint, nemo tamen idcirco dicit Chriſtũ vmbrã Chriſti, & nõ verũ Chriſtũ eſſe: nec corpus eius quoniã corporis ſui, quod eſt Eccleſia, & ſui ipſius vt nũc oſtēdimus, ſignificatiuũ eſt: vmbraticũ & nõ verum corpus exiſtere. Nemo igitur dicat euchariſtiam noſtram propter prædictas ſignificantias, vmbrã illius Dominici corporis, quod diuinitas ſaluatoris ſibi proprie induit, & non ipſum verum & propriũ ſaluatoris corpus exiſtere. Nã ſi ob prædictas ſignificãtias ipſa non eſt verum Chriſti & propriũ corpus: propter eaſdem ſignificationes nec Chriſtus erit verus Chriſtus. Sed abſit ab omniũ mentibus hoc, vt quoniã tot tantorumq; bonorũ nobis eſt ſacramētum Chriſtus, idcirco eius veritas vllatenus euacuetur. Abſit ergo pariter ab omniũ cordibus, vt Euchariſtia noſtra, quoniam

quoniã nobis eadem bona ſignificat, idcirco verum Chriſti & propriũ corpus eſſe negetur. Quapropter ſatis, vt arbitror, abundeq́; mõſtratũ eſt, quicquid ex prædicta b. Auguſtini ſcriptura, aut ex nominibus, ſacramenti videlicet, & figuræ, & ſigni, quę in vſu tenet Eccleſia, aduerſarius obijcit, noſtræ fidei nihil obeſſe: verum quàm pueriliter etiam in alijs deſipiat, ex his patere. ROGERIVS. Conſtat equidem, ſatiſq; probatũ eſt nũc abs te, quia ſui ipſius Chriſtus eſt ſignum: verum tamen id quomodo eſſe poſsit, deſidero plenius declarari. GVITMVN. Quid ſuper hoc miraris? Res enim ita ſolennis eſt, vt neminẽ deceat dubitare. Quis enim hominũ eſt (verbi cauſa) qui operans quidlibet, vel etiam ſolo ſuo motu ſpõtaneo, non ſignificet ſe viuentẽ? Itaq; fit, vt vnus homo in ſubſtantia ſemper idem, ſecundum diuerſa opera ſeipſum ſignificare poſsit. Ita ergo Chriſtus ſubſtantialiter ſemper idẽ, tamẽ viſibilia operans, ſe ipſum ſignificat inuiſibilia operãtem. Sed & verbo & habitudine, ſeu ſpecie corporis his quibus aliquando apparuit, ſignificauit ſe propitiũ vel iratum. Ad hunc quoq; modũ ſacri altaris oblatio, cũ ſubſtãtia corporis Chriſti veraciter ſit: ſecũdum viſibilem ſpeciẽ & viſibilia myſteria, vel de ipſo Domino, vel de eius Eccleſia, abſq; fidei noſtræ periculo aliqua ſignificare poteſt. ROGERIVS. Perge quo intenderas, nam de his inſaniſsimum eſt amplius dubitare. GVIT. Illud ſane Berẽgarium mouere permaxime ſolet, quod in expoſitione ſupradicti nonageſimi octaui Pſalmi b. Auguſtinus de verbis Domini ad diſcipulos ita dicit: Cùm remãſiſſent cum illo diſcipuli duodecim, inſtruxit illos, & ait *Pſal.98.*

illis: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Verba quę locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quē fuſuri ſunt qui me crucifigent. Si ergo, ait Berengarius, non hoc corpus, neq; illum ſanguinem: reſtat vt quod de altari ſumitur, vmbra tantum ſit corporis & ſanguinis, & figura.

Quòd ſi ſuperiora Auguſtini verba in expoſitione eiuſdē pſalmi, vel certè in expoſitione euāgelij vbi hæc eadem verba Domini tractātur diligenter aduertiſſet: nunquā ex his forſitan erroris huius calumniā perſtruxiſſet. Sed infelix homo, diu in peſte hęretica inueteratus ſuadēte diabolo, cuius retibus penè inexplicabiliter implexus eſt, libētius oēs ingenij ſui vires ad aucupādū vnū verbū, quo male intellecto, propagatā ſtultitiā munire videatur accōmodat, quàm diuinarū ſcripturarū prouidentiſsimā vigilantiā cōtra ſe validè reclamantem, vel tenuiter attendat. In eodem quippe Pſal. hæc prædixerat b. Auguſtinus. Suſcepit Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnē accepit, & in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis mānducandā ad ſalutē dedit. Si ergo ipſam carnē, quā de carne Mariæ accepit, in qua hic ambulauit nobis mānducandam ad ſalutē dedit: quomodo nō hoc corpus, niſi quia ipſam carnē dat nobis manducandam in eadem ſubſtantia, non hoc autem corpus, id eſt, in eadem forma? Ac ſi diceret: Corpus quidē meum, ſicut audiſtis, dabo vobis, ſed non ſecundū hoc quod videtis, id eſt, non tale quale videtis: non in hac forma, non in hac ſpecie quam videtis. Alioquin cur addidit quod

videtis,

videtis, cùm ſufficeret dixiſſe non hoc: niſi quia hoc ſecundũ eſſentiam, non hoc, ſecundũ quod videtis? Deniq; vt hoc quod dicimus Auguſtinũ ſenſiſſe cognoſcas, recenſe attentius quid in eis qui ſcandalizati ſunt in expoſitione huius Pſalmi vel euangelij culpauerat. Certè enim ſubſtantiam illam quam cernebant oculis, datum iri ſibi ad manducandum putabant: non panem, non aliud quicpiam. Auguſtinus autem hoc ſtultè & carnaliter dicit eos accepiſſe.

Putauerũt enim, inquit, quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis. Putauerũt, quòd gratia eius conſumeretur morſibus, & carnẽ qua indutũ erat verbũ, non integram ſicut aſcendit in cœlũ, ſed veluti cõciſam, vel quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, diſtribueret credẽtibus: non quomodo ſpiritu vegetatur, id eſt, non viuã. Nã ſi ſpiritu vegetatur, viua eſt. Quid ergo ſi putaſſent ſe accepturos carnẽ integram, non per particulas cõciſam, nõ mortuã, ſed viuã, nõ ſicut in macello vẽditur, ſed viuã ſicut ſpiritu vegetatur? nũquid erraſſent? Vtiq; nõ erraſſent. Dũ enim culpantur, non ideo, quia illam carnẽ, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ ſe manducaturos putabant: ſed hoc ſolo, quia nõ integram, nõ viuã: atq; conſequẽter abſq; culpa fuiſſent, ſi eandem, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ carnem ſe manducaturos putaſſent integram & viuam. Quòd ſi cõſequitur, imò quia conſequitur: vide quàm efficaciter Berẽgarij ſententiã, omnemq; vmbraticorũ errorem prorſus interimit. Quare ſi hoc modo, quo diximus, conuenientiſsime prædicta Auguſtini verba, nulla circunſtante parte ſcripturæ reclamante,

imò tota ſerie diligenter inſpecta,& Euágelij expoſitione ſuadente,imò neceſſario cogente, intelligi poſſunt:quid ſibi in his præſidij Berengarius contra nos collocat?quæ,vt indulgẽtius loquar,etiam ſi in ambiguo eſſent: non magis ſuæ parti,quàm noſtræ opitularentur. Nunc autẽ cũ & ipſius ſcripturæ circunſtãtia, & tractatus Euãgelij tam perſpicua ratio,'& vniuerſalis Eccleſiæ autoritas,noſtro ſeſe intellectui conferant: nihil hic loci vlterius habẽs hæreticę corruptionis infectio cõticeſcat. Aut certe,ſi quo pacto noſtram ſe cõfidit reprobare poſſe ſentẽtiam,aut ſuã oſtẽdere meliorẽ: æquo animo audire parati ſumus. Nõ enim quicquã ſubterfugere volumus, quòd non diligenter auxiliante Chriſto diſcutiamus. Hoc idcirco dico, quóniam me audiſſe exiſtimo, quòd Berengarius de pronomine Hoc, ad hunc modum ratiocinetur. Hoc inquit,pronomen eſt, Pronomina autem ſubſtãtiam ſine qualitatibus ſignificant. Cùm igitur dicit, non hoc corpus,de ſubſtantia corporis,nõ de qualitatibus dicit. Hîc exclamare compellor iuxta Prophetam & Apoſtolũ: Vbi eſt literatus? Vbi trutinator verborũ? Vbi legis verba ponderans? Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Verè ſtultã dixerim hanc ſapientiam. Nam idem ipſi Grammatici,qui huiuſmodi proprietatẽ partiũ orationis dixerunt,figuras etiã loquendi,quibus à ſua proprietate partes orationis decentiſsime plerunq; deficiunt tradiderũt,& mirifice laudauerũt. Quis deniq; eſt,qui quotidiano vſu loqués, aut dictás reprehendatur, ſi ita dicat: non ſum ego ille qui quondam fui,tu non es is vel ille qui ſolebas,cũ eadem ſubſtantia ſit,ſed qualitates diuerſæ? Sed

Argumẽtum ſuper pronomine Hoc.

1.Cor.1. *Eſa.29.*

& Dialecti-

& Dialectici, qui pernimium verba appendunt, quotidie res differre,& eaſdem eſſe, non tantum ſecundũ ſubſtãtiã,ſed etiam ſecundũ qualitates, & dicũt & legunt. Quòd ſi ille & is & idem,pronomina ſunt,& nõ ſemper ſubſtantiã, ſed etiam qualitates apud doctiſsimos etiam perſæpe ſignificant:cur & (hoc)pronomen non poſsit idem pati? An quia Berengario non habenti vnde ſuã aliter muniat hæreſim,id non placet? Placuit tamen ſummæ autoritatis quibuſdam autoribus Grammaticæ artis, non ſolũ figuratè qualitates in pronominibus poſſe accipi: ſed etiam talis & qualis,quę propriæ qualitatis ſignificatiua ſunt, inter pronomina numerari. Sed viderit ille peritiſsimus grammaticus Donatus,qui qualis & talis pronomina eſſe voluit qui dixerit. Ego enim de autoribus Grãmaticę artis iudicare nũc opus nõ habeo,cũ ipſa argumentatione aduerſarij cõmodiſsime mihi vti poſsim dicẽs:Ipſa pronomẽ eſt,Pronomina autẽ ſubſtãtiã ſignificãt ſine qualitatibus:Cũ igitur Auguſtinus dicit:In ipſa carne ambulauit, & ipſam nobis mãducandã ad ſalutem dedit,ſubſtantiã carnis Chriſti,non figurã nos manducare dicit. Idem, hoc, pronomen eſt. Cũ igitur idẽ Auguſtinus dixerit in ſermone ad Neophitos,hoc accipite in pane quod pependit in cruce,& hoc accipite in calice quod effuſum eſt de Chriſti latere:ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti,non figuram nos mãducare & bibere declarauit. Hæc igitur argumentatio tua ô quiſqs ea niteris,ſi quidẽ infirma eſt:nobis adeo curãda nõ eſt. Si autẽ firma,plus nobis quàm tibi prodeſt:cũ eam tu non niſi in vno loco habeas, nos verò in multis. Cunq; ſibi Auguſtinus ita

Talis Qualis pronomina.

contrarius ſit, aut non eſt iam recipiendus, aut in pluribus teſtimonijs magis, quàm in vno credẽdus. Facilius quippe in vno quàm in pluribus vel ipſe errare, vel codices eius ab aliquo falſatore corrumpi potuerũt. Elige igitur quod placet, aut infirma eſt hæc tua ratiocinatio, & nihil cõficit: aut firma, & nobis plurimũ proficit. Nã ſi infirma eſt, vbi dicitur, nõ hoc corpus, nõ de ſubſtantia dictũ eſſe cõprobat. Si autẽ firma, vbi dicitur, ipſam carnem nobis manducandũ dedit, & hoc accipite, & cætera ſimilia, de ſubſtantia intelligenda eſſe cõfirmat. Aut ſi forſitã dicas, ego ſic illa pronomina reſoluã: Ipſam carnem nobis mãducandã ad ſalutem dedit, id eſt, ipſius carnis figuram: & hoc accipite in pane, id eſt, huius corporis figuram accipite in pane, & ad hunc modũ cætera. Si hoc, inquã, dicas: & nos eodem modo tuũ pronomen reſoluimus dicẽtes, Nõ hoc corpus quod videtis dabo vobis, id eſt, nõ huius corporis figuram: nõ vmbrã, ſed veritatẽ dabo vobis. Illas enim tuas reſolutiones, talis reſolutio ſequitur. Si ergo reſoluẽdi figuras in pronominibus cõtra nos ſuſcipis, qua frõte eaſdẽ cõtra te recuſare poſsis? Aut igitur eas adhibe, & tuas tibi vmbras auferũt: aut reſpue, & nobis plurimũ cõferunt. Nã ſi prędictas reſolutiones pronominũ cõtra nos proponis: quod nobis oppoſueras capitulũ, cõtra te & vmbras tuas manifeſtè conuertis. Si autẽ reſpuis, & ſubſtãtiuã ſignificãtiam ſemper in ꝓnominibus obſtinatè requiris: Auguſtinũ in multis alijs, vt dixi, huic vni capitulo aduerſantẽ, tibiq; & ſibi cõtrariũ aut non recipimus, aut pluribus teſtimonijs magis credentes q̃ vni, concludimus quod optabamus, ſcilicet quia

ſubſtantiuè non vmbraticè corpus Domini mã-
ducamus. Quaquauerſum igitur fugias, ex his
palàm eſt, quia ſi doctorẽ præcipuũ Auguſtinũ,
quo maximè nitebaris, diligẽter aduertis: huius
erroris ſcilicet vmbratici peſtem abſq; vlla reſpi-
ratione prorſus euertis. Proinde hac diſſoluta ca
lũnia, ad illud etiã quod de epiſtola ſancti Augu-
ſtini ad Bonifaciũ Berẽgarius obijcit, trãſeamus.
Qua in re cõtentionis amore magis quàm rati-
one aliqua, laborare ſatis apertè videtur. Quòd
enim ait ſanctus Auguſt. Sicut ſacramẽtum cor-
poris Chriſti, ſecũdũ quendã modũ corpus Chri
ſti eſt: & ſacramentũ ſanguinis Chriſti, ſecũdum
quendã modũ ſanguis Chriſti eſt, ita ſacramen-
tum fidei, fides eſt: non id de ſacramentis noſtri
altaris eſt neceſſe intelligi. Generaliter enim de
ſacramentis dixerat. Si enim ſacramenta quandã
ſimilitudinẽ earum rerũ, quarũ ſacramenta ſunt,
non haberent: omnino ſacramẽta non eſſent. Ex
hac enim ſimilitudine plerũq; iam ſacramẽta ip-
ſarum rerũ nomina accipiunt. Deinde à genere
ad partẽ deſcendens, per ſimile id quod intende-
rat concluſit, dicens: Sicut ergo ſecundũ quendã
modum ſacramentũ corporis Chriſti, eſt corpus
Chriſti, & cætera, quod libera facultate intelli-
gere poſſumus dictũ eſſe de mãna, vel de pane &
vino Melchiſedech, vel de aliquo veterũ ſacrifi- *Gen. 14.*
ciorum, quæ ſacramenta corporis & ſanguinis
Chriſti fuerunt. Poſſunt enim quodammodo per
figurã corporis & ſanguinis Chriſti appellari, ſi-
cut petra vocatur Chriſtus, Et ideo nõ ſatis attẽ- *Matth. 16*
dit homo quid opponat. Nã & ſi ex abũdanti de
ſacramentis quoq; altaris noſtri dictum id veli-
mus accipere, fidelis & facilis intelligẽtia patet.

Cùm

Cũ enim ſacramenta noſtra ſint ſubſtantiue corpus illud quod eſt filij Dei propriũ, ſunt quodãmodo per figurã ipſum corpus Chriſti, cuius ſacramenta ſunt:id eſt, Eccleſia. Quòd in expoſitione ſuper Ioannẽ cõfirmat Auguſtinus his ver-
Trac.26. bis: Hunc itaq; cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & mẽbrorũ ſuorum, quod eſt ſancta eccleſia. Huius rei ſacramentũ, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierũ in Dominica mẽſa præparatur, & de Dominica mẽſa ſumitur. Idem in quodã ſermone de ſacramẽtis: Quia paſſus eſt, inquit, pro nobis, commendauit nobis in iſto ſacramẽto ſanguinẽ ſuũ & corpus, quod etiã fecit & nos ipſos. Nã & nos ipſius corpus facti ſumus, & per miſericordiã ipſius quod accipimus, nos ſumus: Ecce quomodo cibũ & potũ altaris dixit eſſe quodãmodo ſocietatẽ corporis, quòd eſt Eccleſia. Nõ quòd ipſe cibus & potus ſit ipſa ſocietas, ſed ipſius ſocietatis ſacramẽtum: & hoc quod accipimus, dixit quodãmodo eſſe nos, quia noſtri eſt ſacramẽtũ. Ita ergo corpus Chriſti propriũ eſt quodammodo per figuram illud corpus Chriſti cuius eſt ſacramẽtũ, quod eſt Eccleſia. Nec
Eſa.61. mirũ cũ ipſe Dominus per prophetã dicat: Indumento iuſtitiæ circũdedit me, quaſi ſponſum decoratũ corona, & quaſi ſpõſam ornatam monilibus ſuis. Se dicit ſpõſum, quia ipſe ſponſus eſt: Se dicit ſpõſam, quia ipſe eſt quodãmodo illud corpus ſuũ, quod eſt Eccleſia, cuius ipſe eſt ſacramẽtũ. Hanc intelligentiã nobis aptiſsime ſimilitudo ſecuta cõmendat. Sicut enim dicimus propriũ corpus Domini, alterius ſui corporis quod eſt Eccleſia, ſacramentũ: ſic baptiſmum viſibilẽ, al-

terius,

terius,inuiſibilis ſcilicet baptiſmi, cognoſcimus ſacramentũ. Eſt namq; baptiſmus exterior aqua viſibilis, carnẽ abluens: Eſt baptiſmus interior, fides inuiſibilis, animã ſimili modo purificãs, teſte beato Apoſt. qui ait: Fide mundans corda eorum. Et iterum, Sic & vos ſaluos facit baptiſma, nõ carnis depoſitio ſordiũ, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deũ. Proinde ſatis cõuenienter, & ſana fide intelligere poſſumus dixiſſe Auguſtinũ, ſicut ſacramẽtũ corporis Chriſti .i. ſicut illud propriũ filij Dei corpus, quod eſt ſacramẽtũ corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia, ſecundum quendã modũ corpus Chriſti eſt, illud ſcilicet cuius eſt ſacramentum, quod eſt Eccleſia. Ipſe enim ſponſus, ipſe ſecũdũ quendã modum & ſponſa: ita ſacramẽtũ fidei, id eſt, exterior baptiſmus, pro eo quod fidei ſignũ eſt, ſecundũ quendã modum fides eſt. Offendit adhuc Berẽgarium ſanctus Petrus de Domino dicens: Quem oportet cœlum ſuſcipere vſq; in tẽpora reſtitutionis omnium. Si vſq; in finem, ait Berẽgarius, cœlo ſuſcipi debet: nunquã de cœlo exit, vt in terris aliquãdo teneri poſsit. Nos credebamus Chriſtũ in cœlo regnare: iſte verò ita incarcerari, vt etiã ſi velit corporaliter vſq; in finẽ miſeras nõ poſsit terras viſere. Et Auguſtinus in libro de Ciuit. Dei dicit, vnumquẽq; ſanctorũ ad tãtam gloriã peruenturũ, vt vbicunq; volet ſuus ſpiritus, cõtinuo ſit & corpus: Et Berengarius aſſerit, Chriſtum ad tantam impotentiam deueniſſe, vt qui de terra ſuum corpus eleuauit ad cœlũ, non poſsit illud vſq; in finem vel ad horam reddere terris. O nimiũ cæca vanitas, & vana cæcitas: Quis enim quotidiano vſu loquens, dicere metuat: Tot mẽſibus, vel

Act.15.

1.Pet.3.

Act.3.

Lib.22. ult.cap.

tot annis

tot annis in ciuitate illa manſit ille, etiã ſi quotidie ad opus ſuũ de ambitu exeat ciuitatis? In euãgelio de Anna ſcriptum eſt, quia non diſcedebat de tẽplo, cùm tamen ſæpius illam corporalis neceſsitas auocaret. Quapropter ſi ad terras Chriſtũ quotidie corporaliter deſcendere diceremus, beati Petri oppoſita nobis ſententia nõ obeſſet. Sed abſit hoc à Chriſtianorũ prudentia, vt ſic dicamus Chriſtũ in terris ſacrificari, vel manducari, vt neceſſario interim deſerat cœlos. Ipſe nãq; in cœlis totus eſt, dum totum corpus eius verè manducatur in terris. Quod non eſſe habendum incredibile ex virtute diuinæ potentiæ, & ex ſupradictis exemplis, ſcilicet vocis & animæ, ſatis facilè comprobari poteſt. Quis verò riſum tenere iam valeat, audiens Berengariũ ipſa Domini verba de ſacramentis interpretantem? Hoc, inquit, neceſſario panis, eſt corpus meũ, & hic calix neceſſario vinũ. O impudẽtiſsima ſtultitia, & nimium patens, nec quid dicat, nec quorſum tẽdat aſpiciens. Quæ eſt enim hic neceſsitas, vt ſubaudiatur tam neceſſario panis & vinũ, cùm poſsit econtra congruę dici: hoc, ſubaudis corpus iam nõ panis, eſt corpus meũ: & hic ſubaudiatur, potus, iam nõ vinũ, eſt calix ſanguinis mei? Vel certè ſic: Hoc, ſubaudiatur hactenus panis, ex hoc iã eſt corpus meũ, non panis: Et hic calix, ſubaudiatur, hactenus vinũ, ex hoc iam eſt ſanguis meus, nõ vinũ. Vel certè ſic abſq; iſtis ſubauditionibus: Hoc, ſcilicet quod vobis do, eſt corpus meũ. Hoc enim pronomen non eſt ad ſupradicta relatiuũ, ſed tantummodo demonſtratiuũ: Et ideo panis & vinũ quæ ſupra in Euangelio nominata ſunt, nulla hic neceſsitate ſubaudiuntur. Iam miſeret me

Pulchra uerborũ conſecrationis interpretatio.

me illius,& erubeſco pro illo. Quis enim niſi ſe ipſe ita proderet, eius nominis virũ tam pueriliter garrire,& tã friuolè deſipere, credere poſſet? Sed videamus per has tam neceſſarias ſubauditiones, tantus hic ratiocinator, quo peruenerit, quid confecerit, quid obtinuerit. Hoc, inquiet, vt ſacramenta altaris panis dicantur & vinũ. Huccine igitur totus labor ille tendebat. Ad hoc ſolũ ita te profudiſti, vt nec tuæ ſenectuti parceres, quin te pro diſputatore egregio, calumnioſiſsimum cauillatorem: pro cõſtructore perito, qualiumcunq; panniculorũ inertiſsimũ & ineptiſsimum aſſutorem demonſtrares? Quis enim id negat? Quis non id libenter fatetur, quòd ſacramẽta dominicæ menſæ rectè panis & vinũ vocãtur: vel quia panis & vinũ prius fuerunt, vel quia panis & vini ſimilitudinẽ ſubſtantialiter tranſmutata ſeruant? Sic nãq; ſerpens, qui de virga factus eſt, virga dicitur. Scriptum quippe eſt: Deuorauit virga Aaron virgas eorum: id eſt, ſerpens qui de virga Aaron factus fuerat, ſerpẽtes eorũ. Sic homo qua inde factus eſt, ſæpe terra, & puluis, & lutũ vocatur. Sic etiam propter ſimilitudinẽ dicit Apoſtolus: Petra erat Chriſtus, Et in Pſal. canitur: Ego ſum vermis & non homo, cùm ſubſtantialiter eſſet homo, ſola ſimilitudine vermis. Sic vltra numerũ alia multa. Si igitur multæ res propter harum cauſarũ alteram, rectè aliarũ rerum longè diuerſarum vocabulis nuncupantur: quanto magis ſacramenta noſtra propter vtrãq; hanc cauſam, rectè panis & vinum dici poſſunt, rerũ videlicet quæ fuerunt multam retinentia ſimilitudinem, cùm ſubſtantialiter propriè Dominici corporis & ſanguinis teneant veritatem?

Exod. 7.

Pſal. 21.

Iam

Iam nũc illud quod eccleſiaſticę orationis autoritate ſe cõficere Berẽgarius iactitat, videamus. Eccleſia, inquit, in miſſa quadam ita orat: Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramẽta quod continent: vt quod nũc ſpecie gerimus: rerũ veritate capiamus. Hic ergo oſtendit ſe non habere rerum veritatem, ſed ſpeciem. Heus bone intellector, quarum inquam rerum ſpeciem, non veritatem? Corporis inquies & ſanguinis domini. Bene. Conſidera ergo diligẽter quod dicitur, ac mihi reſponde.

Quid eſt quòd nũc ſpecie gerimus? Corpus inquies, Domini ſpecie, non ſubſtantiue manducamus. Adde ſequentia. Rerum veritate capiamus. Quid? In futuro ergo ſeculo corpus & ſanguinẽ Domini verè & ſubſtantiue mãducabimus? Hoc quippe oratur, vt id quod nunc ſpecie gerimus, quicquid illud ſit, illud idẽ in veritate capiamus. Quare ſi ſemper in hoc ſeculo corpus Chriſti vt tu deliras, ſpecie, id eſt, vmbratice comedimus: reſtat vt illud in altero ſeculo ſubſtantiue comedamus. Quòd ſi ſentire abſurdiſsimũ eſt, q̃ ſtultiſſime interpretis orationem prædictã, iam nec teipſum latere puto. A capite igitur oratiõis quid velit ſcriptura dicere, diligentiſsime videamus. Perficiant in nobis quæſumus Domine tua ſacramẽta quod continent. Supra iam diximus, & beati Apoſtoli Pauli verbis approbauimus, ꝙ diuina ſacramenta vnitatẽ corporis Chriſti, quæ eſt Eccleſia, deſignarent: & hoc eſt quod ſignificãdo continent. Hoc igitur rogat Eccleſia dicens, Perficiãt in nobis quæſumus Domine tua ſacramenta quod continent, id eſt, perficiãt vt nos vere ſimus vnũ Chriſti corpus, vna Eccleſia, quod videli-

videlicet ſignificant: vt quod nunc, id eſt, dum mãducamus corpus filiȷ tui ſpecie gerimus, id eſt, figura tanti ſacramenti ſignificamus: hoc rerum veritate capiamus, id eſt, reuera vnũ Chriſti corpus & vna Eccleſia ſimus. Iſte credo intellectus poſsibilis eſt, iſte & ſcripturæ eſt conuenientiſsimus, & nobis vtiliſsimus, hunc beatus Paulus Apoſtolus comprobat, huic totius Eccleſię fides cõcordat: aduerſariȷ porrò veſaniam nullius autoritas munit, ſed Eccleſia tota vt venenũ mortiferum fugit: Non eum vlla prorſus vtilitas, nõ oratio ipſa commendat: ſed abſurditas intolerabilis, quæ illum ſequitur, omnino recuſat. Quis igitur pro beſtiali, pro ſtultiſsimo, imò impoſsibili ſenſu, vllatenus debeat impediri: cũ habeat rationabilẽ & congruentiſsimũ intellectũ, ac ſapientibus omnibus amplectendum? Vtrum ergo iam hæc ſufficere æſtimas, an adhuc plura requiris? ROGE. Mihi planè ad cumulũ iſta ſufficiunt: miror'que hæreticum ſuis obiectionibus proſtratum, ac propriȷs retibus irretitum. GVIT. Hæc quidem ſunt, quæ ex libris beati Auguſtini vel ex nomine ſacramenti ſeu ex oratione nunc diſcuſſa, Berengarium fidei noſtræ obiȷcere ſolere cõperimus. Si qua verò alia ex b. Auguſtino obȷcit, in virtute Chriſti cõfidens dico, quia diligẽter animaduerſa, aut pro nobis, aut non contra nos erunt. Proinde diſputationis huius hic terminũ faciamus: ea quæ reſtant alio initio, ſi voluerit Dominus, aggreſſuri.

LIBER III.

HActenus oratio ea, quibus aduerſarius & ſecũdũ rationes, & ſecũdũ ſcripturas cõtra eccleſiã nitebatur, argumenta diſſoluit. Quo circa hoſtiũ machinis, Deo auxiliãte, copioſe fruſtratis: etiã ſi nil amplius adderemus, ſola tibi catholicæ fidei ſufficere generalis conſuetudo deberet. Illa enim ſola firmiſsimè tenenda eſt fides, etiã ſi valde impugnetur, quæ catholica eſt. Quicũq; enim vult ſaluus eſſe, ſicut ſancti patres ſanxerũt, & totus cõcinit mũdus: neceſſe eſt vt teneat catholicã fidẽ. Quòd ſi impugnata fortiſsimè retinẽda eſt: quanto magis ſi omnia quæ ſibi opponũtur expugnãs, pater ipſa inexpugnabilis, nullatenus relinquẽda eſt? Sed quoniam & valde multa ad roborãdas adhuc partes noſtras, & aduerſariorũ diruẽdas, Deo iuuante addi poſſunt, & te ſitienter ea deſiderare certè ſcio: tuis orationibus Domino nobis fauẽte, de ſanctis ſcripturis adhuc aliqua proferemus, quibus & hoſtis lubricus plenius proſternatur, & noſtræ partis robur inuincibile per propria argumenta noſtra amplius demõſtretur. Ac primo quidẽ iuxta ordinẽ queſtionum, quod corpus Chriſti verum in ſubſtantia ſua, non in ymbra Berengariana comedimus, approbemus: Deinde contra impanatores Dominici corporis vigilabit oratio.

Eccleſiæ quãta autoritas.

In principio ergo diſputationis noſtræ quoniã ex b. Auguſtino ſcandali penè totius videtur eſſe principiũ, quid nobiliſsimus idem doctor de

Auguſtin.

ſacrificio eccleſiæ in expoſitione tituli triceſimi tertij Pſal. ſentiat videamus. Tractans enim quomodo Dauid in manibus ſuis ferebatur corã Abimelech, ait: Hoc verò fratres quomodo poſsit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Aliorũ poteſt portari homo in manibus, ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecũdũ literã nõ inuenimus, in Chriſto autẽ inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quãdo cõmẽdãs ipſum corpus ſuũ ait: Hoc eſt corpus meũ. Ferebat enĩ illud corpus in manibus ſuis. O ſententia lucidiſsima, O ſententia fideliſsima, O ſententia verè beatiſsimo & excellẽtiſsimo doctore Auguſt. digniſsima: A qua nulli eſt recedẽdũ, Cui ab omnibus eſt reuerẽtiſsimè cõcedẽdũ. Quod in Dauid inquit, & in alijs hominibus ſecũdũ literã nõ inuenitur, in Chriſto inuenitur. Quid illud? Ferebatur enĩ, inquit, Chriſtus in manibus ſuis, quãdo cõmendans ipſum corpus ſuũ ait: Hoc eſt corpus meũ. Si ſecũdũ literã, id eſt, ſicut litera ſonat, hoc in Chriſto inuenitur: nõ igitur vmbraticè, nõ figuratiuè, ſed ſubſtãtiuè Chriſti corpus erat quod ferebatur. Si enĩ in Chriſto accipitur hoc, vt iſti volũt, ſecundũ figurã, non ſecundũ corporis ſui ſubſtantiã, quòd ferebatur in manibus ſuis: quomodo id inuenitur in eo ſecundũ literã? Nũquid ſecundũ literã Chriſtus eſt petra, & leo, & agnus, & ſerpens: cũ ſit hæc omnia ſecundũ figurã? Minimè. Sed in Chriſto inuenimus, inquit, quomodo intelligatur ſecundũ literã. Aliter enim nullo modo cõſtrui poteſt oratio, quæ de Chriſto concedit quod de Dauid negauerat. Non igitur vt iſti volunt, ſecundum figuram, ſed ſecundum

Auguſtin. Pſal. 33.

ſubſtantiã. Diligẽter quæſo omnis prudẽs lector aduertat, quàm efficaciſsime hinc omnia hæreticorum iſtorum ſophiſmata excludantur.

Ponamus enim, ſi placet, quod aduerſarĳ hinc dicere poſſunt: vt quid ſequatur clarius eluceſcat. Cũ enim ait: Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, & deinde, Ferebat illud corpus in manibus ſuis: Si aduerſarĳ noſtri hoc pro ſua parte ſic exponunt: Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, id eſt, ferebatur vmbra tantũ vel figura Chriſti non ſubſtãtia in manibus ſuis: & ferebat illud corpus, id eſt, vmbrã vel figurã illius corporis, non ſubſtantiam. Si hoc, inquam, ita exponũt, hoc idem in Dauid, hoc idem in omnibus ferè hominibus inuenire poſſumus. Quis enim ferè hominũ aliquã ſui figurã, in qua non ſit ſubſtantia ſua (verbi gratia, vel ſtatuã vel picturã) in manibus ſuis ferre non poſsit? Sed hoc, inquit, in ipſo Dauid non inuenimus: & manibus ſuis nemo portatur. In Chriſto autem, ait, inuenimus. Quoniã ergo dicit in Chriſto inueniri, quod in Dauid, & in alĳs hominibus quomodo intelligatur non inuenit: Facile autem aliquã figurã ſui, in qua nihil ſit de ſubſtãtia ſua, manibus ſuis ferre & Dauid & cæteri homines intelligi poſſunt: reſtat manifeſtiſſime, & abſq; vllo ſcrupulo ſentiendũ, quòd non figurã tantũ vel vmbrã, ſicut aduerſarĳ noſtri dicunt, ſed ſubſtantiã ſui corporis iuxta Auguſtinũ ferebat Chriſtus. Quid hic vmbratici reſpondebunt? Vbi in tanta luce lucifugæ noſtri vmbram parabunt? Ecce Auguſtini manifeſtiſsima documenta recitantur: nihil in eis ſcrupuloſum, nihil ambiguũ. Aut de his ſe explicent, aut Auguſtinũ nobis obĳcere deſiſtant; & ſicut Auguſtinus teſtatur,

ſtatur, veritatẽ Dominici corporis nobiſcũ credant. Sed forſitan hoc nõ aduerterãt ſcriptum. Si enim hoc fideliter attendiſſent: adhuc ſuam hæreſim ex beato Auguſtino non traxiſſent. Nam quicquid ex eo pro ſe decerpunt: id attentè perſpectũ, ſicut iam diximus, aut pro nobis, aut certè nihil cõtra nos facit. Hoc verò quod nũc protulimus, tam manifeſtiſsime illos deſtruit, vt qua exeant, nulla ratione inuenire queãt. Ita quippe ſcriptura perſpicua, ita eſt omnino cautiſsima: vt iſtorũ garrulitas nulla penitus tergiuerſandi argumẽta reperiat. Nam vt virtutẽ eius quàm breuiſsime nunc oſtendam, aut ſubſtantiue corpus Chriſti erat quod Chriſtus ferebat de quo dicebat: Hoc eſt corpus meũ, aut tantũ figuratè. Sed tantũ figuratè non poſſunt pati pręmiſſa, quibus dicitur, quia in alĳs nõ inuenitur, quod in Chriſto inuenitur. Alioquin inueniretur & in alĳs. Omnis quippe homo figurã ſui, in qua nihil de ſubſtantia ſua eſt, ferre poteſt. Sed in alĳs, inquit, nõ inuenitur. Manibus enim, ait, ſuis nemo portatur. Non igitur figuratè tantũ, non vmbraticè: quapropter ſubſtantiuè corpus Chriſti erat quod ipſe ferebat. Non ſatis exprimere poſſum, quãtũ in his b. Auguſtini verbis oblector, quantumq́ꝫ ſuper horũ miſerabili cæcitate admiror. Ex his namq́ꝫ patenter oſtenditur, quid voluerit idẽ vir beatiſsimus intelligi in expoſitione mox eiuſdẽ triceſimi tertĳ Pſalmi vbi dixit: Nos ad eũ accedamus, vt corpus & ſanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati ſunt: nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur. Item alibi. Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in cruce; & hoc accipite in calice, quod effuſum eſt

de Chriſti latere. Et in alio loco: Hoc biberunt poſtea credentes, quod prius fuderāt ſæuiētes. Itē in alio quod ſupra iā diximus: Suſcepit Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Mariȩ carnē accepit, & in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnē nobis manducandā ad ſalutē dedit. Et multa alia in pluribus libris ſuis in hūc modū. Cū igitur b. Auguſtini ſcripta vt ſacroſanctum prorſus, & intemerabile iſti venerentur & teneant: quid eos aliud iam, niſi fortè inolita diu cȩcitas remorari poteſt quin nobiſcum credant?

Ambroſ. Sed & tu doctor egregie, beatiſsime Ambroſi, ſpiritualis pater b. Auguſtini, quē idem vir ſanctiſsimus in libris ſuis, ſanctū & beatū nominat, cuius autoritatem (teſte Auguſtino) martyrū reuelator Paulus Apoſtolus commendat: quem b. Gregorius vir planè Apoſtolicus præ ſe gerit: cuius doctrinam recipiendā beatiſsimus Benedictus, teſte ſancto Gregorio, ſanctorū Prophetarū ſpiritu plenus iudicauit: cui totius eccleſiæ Mediolanenſis gloria ſpecialiter atteſtatur, quē merito fidei totus orbis veneranter amplectitur (nō enim tot & tanti teſtes ſi te in fide catholica errare ſciſſent, tanto prȩconio te prȩdicaſſent.) Quid tu inquam, de ſacramentis altaris ſentias explanato. Dixiſti certè in libro tuo de ſacramētis: Sicut verus Dei filius eſt, Dñs noſter Ieſus Chriſtus, non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi filius per naturam, id eſt, ex ſubſtantia patris: ita vera eius caro eſt, quā ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quē potamus. Teneo ergo te dixiſſe, quia vera eius caro eſt quā ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus. Sed quatenus vera? Figuratè an ſubſtantiuè? Doce per præpoſitam ſimilitudinem,

Geruaſii ſcilicet & Prothaſii: uide legēdā ipſorū.

Libr. 6. Cap. 1.

tudinẽ,cuiuſmodi intelligamus hanc veritatem. Sicut verus Dei filius eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Adhuc parum eſt. Poteſt enim ſicut cęteri homines iuſti filij Dei ſunt per gratiã, & ipſe ſecundum quod homo eſt, dici verus filius Dei per gratiã: licet ineffabiliter ampliorẽ & excellẽtiorẽ quàm cæteri homines. Adde quod ſatis eſt. Non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi filius per naturã, id eſt, ex ſubſtãtia patris. Ita ergo dicis veram eius carnem quam ſumimus, & verum eius ſanguinẽ quem potamus. Quomodo verò ita? Id eſt, non ſicut cæteræ res, quę propter aliquam gratiam ſignificationis, caro & ſanguis Chriſti poſſunt dici. (Sicut verbi cauſa, per gratiam figurationis caro & ſanguis agni paſchalis in Ægypto immolati, caro & ſanguis Chriſti poſſunt appellari: Eodem quoq; modo & mãna & cætera quàm plura ſimiliter.) Sed ſicut caro & ſanguis per naturam carnis & ſanguinis Chriſti. Aliter enim coaptari ſimilitudo non poteſt, niſi quod ibi negat hic negemus: quod ibi affirmat hic affirmemus. Quãobrem ſi hãc ſimilitudinem tã expreſſe poſitã ſequimur: id quod de altari ſumimus, Chriſti carnẽ & ſanguinẽ ſubſtantialiter cõfitemur. Si enim ſic eſſet dictũ: Sicut verus Dei filius eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ita vera eius caro eſt quã ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus: poterat equidẽ adhuc (vt dictũ eſt) in ambiguo eſſe ſententia. Nã Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundũ id quod homo eſt, verus Dei filius eſt: ſed per gratiã, vt diximus, nõ ex ſubſtantia patris. Ac per hoc dici poſſet, ita vera eius caro eſt quam ſumimus, id eſt, per gratiam figurationis, non per ſubſtantiam carnis: & de ſan-

Id quod: & Arius admiſiſſet

Exod. 12.

de ſanguine ſimiliter. Quòd ſi doctor egregius ſenſiſſet, nihil amplius addidiſſet. Quid enim neceſſariũ erat addere, quod huic ſenſui tam euidẽtiſsimè cõtrariũ eſſet? Nunc verò tam diligentiſſime addita determinatio dicentis: Non ſicut cęteri homines per gratiã, Et ne qua fortè hic erroris nubecula remaneret ſubiungẽtis, Sed quaſi filius per naturam: Et ne hoc etiam obſcurũ videretur, expreſsius exponẽtis, Id eſt, ex ſubſtãtia patris: His inquã, omnibus tam diligentiſsimis determinationibus ſubiungẽdo, ita vera eius caro eſt quam ſumimus, & verus eius ſanguis eſt quẽ potamus: omnes aduerſariorum calumnioſas argumentationes excludit, & carnem Chriſti & ſanguinem ſubſtantiue eſſe, quod ſumimus & potamus, oſtendit. Quare ſi contra te ipſum non diſputas ô beate Ambroſi, ab hac fide nõ diſſentis, Si autem non diſſentis: te vtiq; quàm Berengarium ſatius eſt imitari.

Vidiſti planè quid nobiliſsimus doctor hoc in loco de ſacramentis altaris abſq; vllo velamine ſentiat. Attende iam quàm breuiter quid etiã in alio loco eiuſdẽ libri dicat, Quid argumẽtis, inquit, vtimur? Suis vtamur exemplis, incarnationiſq; exẽplo aſtruamus myſterij veritatẽ. Liquet quòd præter naturæ ordinẽ virgo generauit: & hoc quod cõficimus corpus, ex virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinẽ in Chriſti corpore, cũ pręter naturam ſit ipſe Chriſtus partus ex virgine? Quid melius quæſo, quid apertius dictũ quæris? Si enim ſacramẽta altaris vmbra tantũ & figura Dominici corporis eſſent, quid hic præter naturam fieret: cũ petra non præter naturam, ſed potius propter naturã ſuę ſtabilitatis, & agnus non

De myſteriјs initiãdis c. 9

præter

præter naturam,ſed per ſuam naturam,id eſt,per innocentiā,& ſimiliter cætera Chriſtum figurēt? Longum eſt ſi cuncta, quæ ex beato Ambroſio cōtra Berēgariū poſſumus adhibere teſtimonia, diſſeramus. Iam ad alios autores trāſeundum eſt.

Sanctiſsimus Papa, Leo antiquiſsimns, omni eccleſię Dei venerabilis, dixit in quodā ſermone: Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur. Et fruſtra ab illis amen reſpondetur: à quibus contra id quod accipitur diſputatur. *Leo ſerm. 6. de ieiunio ſeptimi mēſis.*

Beatus quoq; Cyrillus cū ducētis epiſcopis in Epheſina Synodo, quā b. Gregorius tanq̃ quatuor Euangelia ſuſcipiendā aſſerit, ſic ait: Ad benedictiones myſticas accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omniū noſtrū redemptoris effecti: nō vt cōmunem carnē percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati & verbo cōiuncti, ſecundū dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinā poſsidentis habitationē: ſed verè viuificatricē, & ipſius verbi propriā factā. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtēs, *qui eidem propriæ carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo quāuis dicat, Niſi manducaueritis carnem filij hominis: non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturā ſuam viuificatrix eſſe poterit caro hominis? Sed profitemur verè propriam eius factā: qui propter nos filius hominis & factus eſt & vocatus. Et iterum: Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricē eſſe & propriam ipſius verbi Dei patris, ſed velut alterius præter ipſum coniuncti eidem per *Cyrillus.* **quia*

dignitatẽ,aut quaſi Diuinã habentis habitationẽ ac non potius viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria verbi viuificare valentis: anathema ſit. Sed ducentorũ iſtorum Pontificũ anathema Berengarius non metuit: qui ſuum proprium anathema,quod ipſe ſacramento Romæ fecit proprio ore, & propoſuit & adiecit, tanquam proprium gladium furioſus incurrit.

Gregor. Homi.22. In Euang. Cap.58. Beatus quoq; Gregorius in Homilijs ait: Quid nanq; ſit ſanguis agni,non iam audiendo,ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper vtrunq; poſtẽ ponitur,quãdo non ſolũ ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. Idem in libro dialogorum vltimo: Hæc nanque,ait,ſingulariter victima,ab æterno interitu animã ſaluat, quæ illam nobis

Roma. 6. vnigeniti mortem per myſteriũ reparat, Qui licet ſurgens à mortuis,iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur: tamen in ſeipſo immortaliter atq; incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur, Eius ſanguis nõ iam in manus infideliũ,ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus,quale pro nobis hoc ſacrificium ſit,quod pro abſolutione noſtra paſsionẽ vnigeniti filij ſemper imitatur. Quis enim fideliũ habere dubiũ poſsit in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu chriſti myſterio angelorũ choros adeſſe: ſummis ima ſociari,terrena cœleſtibus iungi,vnum quid ex viſibilibus atq; inuiſibilibus fieri? Qua propter iam nunc ſibi ponant vmbratici iſti ſilentiũ,quibus tot tantiq; autores in contradicibili autoritate reſiſtunt. Conſiderẽt etiam atq; etiam, quid

in multis locis ſanctus Hieronymus, quid Iſidorus,quid Beda,ſed & omnes doctores præcipui, tam Græci quàm Latini, de corpore Domini doceant:atq; errori ſuo,tot cedentes tantíſq; doctoribus,finem ponant.Non enim omnia diſcutere propter tædium longi operis debemus: cũ ijs quæ diſcuſsimus rationabiliter contradici non poſsit.

Hilarius.

Beatiſsimũ tamen Hilariũ Pictauienſem Pontificem, fidei penè ſuo tempore ſingularem columnam,ſanctiſsimi Martini inſtitutorẽ, à beato quoq; Auguſtino, cæteríſq; poſteris doctoribus, nec non & ab omni eccleſia Dei ſumma deuotione ſuſceptum, ad medium volo deducere. Cõmodiſsimum nanq; reor fore vt quid etiam hic mirabilis diſputator, de Euchariſtia Domini in libro octauo de Trinitate ſentiat, ſubtiliter attẽdamus.Contra Arianos quippe diſputãs,vt ſubſtantialiter patrem eſſe in filio demonſtraret: ipſum filium in nobis ſubſtantialiter eſſe per Euchariſtiam probauit hoc modo, Eos nũc,inquit, qui inter patrem & filium volũtatis ingerũt vnitatem, interrogo vtrũ ne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè verbum caro factũ eſt, & verè nos verbum carnem factum cibo dominico ſumimus:quomodo nõ naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit,& naturam carnis ſuæ ad naturã æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus: quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo patrem naturaliter in Chriſto negabit,

ſto negabit, neget prius non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe: quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis vnum in his eſſe nos faciũt. Si verè igitur carnẽ corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit Chriſtus eſt, nóſq; verè ſub myſterio carnẽ corporis ſui ſumimus, & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentũ proprietas, perfectæ ſit ſacramentum vnitatis? Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendũ: neq; per violentiam atq; impudentem prædicationem cœleſtium dictorũ à *ſanitate alienæ atq; impiæ intelligẽtię extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus: niſi ab eo didicimus, ſtultè atq; impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum: in me manet & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigẽdi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſsione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: & hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas nõ eſt? Contingat planè ijs verum non eſſe, qui Chriſtũ Ieſum verũ eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo: dum ſecundum *hoc quod ſumus, ipſe eſt. *Quàm autẽ in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam

*ſanitati

Ioan. 6.

*hoc quod nos ſumus in Deo eſt

*Quod

niam ego viuo,& vos viuetis. In illa die vos co- *Ioan. 14.*
gnoſcetis,quoniam ego in patre meo & vos in
me,& ego in vobis. Si voluntatis tantum vnitatem intelligi vellet: cur gradũ quendam atq; ordinem conſumandæ vnitatis expoſuit? niſi vt cũ ille in patre per naturã diuinitatis eſſet; nos cõtra in eo per corporalem eius natiuitatem,& ille rurſum in nobis per ſacramentorum eius ineſſe myſterium crederetur: ac ſic perfecta per mediatorem vnitas doceretur,cùm nobis in ſe manentibus ipſe maneret in patre,& in patre manens, maneret in nobis:& ita ad vnitatem patris proficeremus,cùm qui in eo naturaliter ineſt, nos quoq; in eo naturaliter ineſſemus, ipſo in nobis naturaliter permanẽte. *Quàm autẽ naturalis in **Quod*
nobis hæc vnitas ſit, ipſe atteſtatus eſt: Qui edit carnem meam,& bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Nõ enim quis in eo erit,niſi *Ioan. 6.*
in quo ipſe fuerit: eius tantum *ipſe aſſumptam **in ſe*
habens carnem,qui ſuam ſumpſerit. Perfectę autem huius vnitatis ſacramentũ ſuperius iam docuerat,dicens: Sicut me miſit viuus pater, & ego viuo per patrem: & qui manducauerit meã carnem,& ipſe viuet per me. Viuit ergo per patrem: Et quomodo per patrem: viuit, eodẽ modo nos per carnem eius viuimus. Omnis enim cõparatio ad intelligentiæ formã præſumitur: vt id de quo agitur, ſecundũ propoſitum exemplum aſſequamur. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quòd in nobis carnalibus manẽtem per carnem Chriſtum habemus: victuris nobis per eũ, ea conditione,qua viuit ille per patrẽ. Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum viuimus, id eſt, naturam ſuæ carnis adepti: quomodo non na-

turaliter

turaliter ſecundũ ſpiritum in ſe patrem habeat, cùm viuat ipſe per patrem? ¶ Hoc totũ ex prædicto beati Hilarij libro ſeriatim hic ideo interponere volui: vt perſpecta attẽtius totius diſputationis huius ratio, quid de veritate Dominici corporis, quod de altari ſumimus, beatus ſentiat Hilarius, inuariabili certitudine nos perdoceat. Probat nanque diſputator mirabilis, quia pater naturaliter eſt in filio, id eſt, ſubſtãtialiter. Aliter enim iſtud naturaliter nõ debet intelligi. Nã de ſubſtãtiali vnitate patris & filij tota cõtra Arianos quæſtio verſabatur. Nec diſputator peritiſſimus tantopere illud probaret, niſi in quęſtione eſſet. Id autẽ per hoc probat: quia naturaliter, id eſt, ſubſtãtialiter ipſe filius eſt in nobis. Nõ enim & iſtud naturaliter alio modo intelligi debet. Nã ſi alio modo intelligeretur, tota ipſa diſputatio vacillaret. Quomodo enim noſtra cum Chriſtò vnitas ſi ſubſtãtialis non eſſet, patris & Chriſti vnitatẽ ſubſtantialẽ probaret? cum ſibi hinc magis Ariani argumentũ econtra conficerent, eo quòd ſicut noſtra cum Chriſto vnitas, quæ ad probandam patris & filij vnitatem affertur, ſubſtantialis non eſſet: ita inter patrem & filium conſequẽter intelligi oportere confirmarent, huius ipſius autoritate nitentes, qui ait: Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formã præſumitur: vt id de quo agitur, ſecundum propoſitũ exemplum aſſequamur. Conſtat ergo & diſputationis ratione, & eiuſdem viri autoritate cogente, quia naturaliter hic pro ſubſtantialiter eſt accipiendum. Ex hoc igitur diſputator egregius huiuſmodi conficit ſyllogiſmum: Si Chriſtus in nobis eſt naturaliter, id eſt, ſubſtantialiter, non tantũ per concor-

Hilariana regula

Naturaliter pro ſubſtantialiter.

concordiam voluntatis: & pater eſt in Chriſto naturaliter, id eſt, ſubſtantialiter, non tantũ per concordiam voluntatis. Hanc propoſitionẽ aſſumptio comitatur, ab antecedenti hoc modo: Eſt autem Chriſtus naturaliter, id eſt, ſubſtantialiter in nobis, nõ tantum per concordiam volũtatis. Quam aſſumptionem mirabili peritia diſputandi interrogando maluit ponere, tanq̃ reſponſionem interrogatione extorquens, cùm ait: Eos nunc, qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnitatem interrogo vtrúmne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Deinde huius aſſumptionis probatio: Si enim verè verbum caro factũ eſt, & vere nos verbum carnem factũ cibo Dominico ſumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturã æternitatis (ſubauditur contentam ſub ſacramento) nobis cõmunicandę carnis admiſcuit? Et cætera quæ ſequuntur idipſum inculcant. Et quaſi quæreres, quomodo ſcio quòd verbum carnem factũ cibo dominico ſumimus, vel quòd naturam ſuæ carnis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? De veritate, inquit, carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus: Quare autem non eſt relictus ambigendi locus, conſequenter probat dicens: Nunc enim & ipſius Domini profeſsione & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Quomodo & ipſius Domini profeſsione & noſtra fide verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: iam hic proxime præmõſtrauerat dicendo: Non eſt humano aut ſeculi

ſenſu

ſenſu in Dei rebus loquendū: neq; per violētiam atq; impudentem prædicationem cœleſtium di-
*ſanitati ctorum à *ſanitate alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quę ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tum perfectę fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus, niſi ab eo didicimus, ſtultè atq; impiè dicimus. Ipſe enī ait:
Ioan. 6. Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus, Qui edit carnē meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Hic ſanè interrogare placet, Qui ſunt qui in his rebus Dei, humano aut ſeculi ſenſu loquuntur? Nónne illi, qui clauſis internis luminibus, ſecundum ſenſus exteriores huic ſeculo congruos, de myſterijs cœleſtibus ratiocinantur? Qui ſunt, inquam, qui violenter extorquent impiam intelligentiam cœleſtiū dictorū? Illíne, qui ea quæ ſcripta ſunt, ſicut iubet Hilarius, legunt, & ſicut legunt ſimpliciter planè abſq; vlla adiectione ſua intelligunt: an illi qui vexantes ſcripturā quod illa ſonat, reſpuūt, & figurationes quaſdam ei pro arbitrio ſui cordis imponunt? Illi certè non eam extorquent, nō ei violenti ſunt: qui ſimpliciter, ſicut eam legūt, intelligunt. Illi igitur iudicio beati Hilarij hæc verba ſaluatoris peruerſe atq; impiè intelligunt: qui ſimplici intellectu contempto, ad figuras, addendo quod ſibi placet, ea traijciunt. Ex his ergo verbis dominicis cum probaſſet quia nos verbū carnem factum verè cibo dominico ſumimus, ad aſſumptionem ſyllogiſmi ſui reuertitur, & quomodo per hoc non tantum concorditer, ſed etiā ſubſtantialiter ſit Chriſtus in nobis, exequitur dicens: Et hæc accepta atq́ue hauſta id efficiunt,

vt & nos

vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Contingat planè ijs verũ non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verũ eſſe Deũ negant. Ad hoc ipſum cætera quoq; referuntur, quę vſq; ad concluſionem inferuntur. Deinde iam ad cõcluſionem fidenter accedit, aſſumptionem cũ ſua probatione ſatis artificioſe breuiſsime repetendo, hoc modo: Si ergo nos naturaliter ſecundũ carnem per eum viuimus, id eſt, naturam ſuæ carnis adepti: quomodo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe patrem habeat, cùm viuat ipſe per patrem?

Hunc ergo beati Hilarij ſyllogiſmum vmbratici noſtri ſi valẽt euadãt. Aduertitę enim ô vmbratici, quia per hunc cibum ſumptum probat in nobis ſubſtãtialiter eſſe Chriſtũ. Cùm ergo hũc cibum ſumimus, ſubſtantiam Chriſti ſumimus. Quomodo enim per hoc quòd nos verbum carnem factum cibo Dominico ſumimus, probatur quia Chriſtus in nobis ſubſtãtialiter eſt: ſi in hoc cibo vmbra tantũ Chriſti, & nõ ſubſtantia Chriſti eſt? Aut quomodo hæc accepta atq; hauſta id efficere poſſunt, vt Chriſtus in nobis ſit ſubſtantiuè: ſi in eis ipſis nõ eſt niſi vmbraticè? Quomodo, inquam, ſi nos verbum carnem factum cibo Dominico non ſubſtantiuè, ſed vmbraticè ſumimus: per hoc conſequens eſt, vt in nobis ſubſtãtialiter maneat Chriſtus? Quæ eſt huius probationis neceſsitas? quę conſequentia? Nulla quippe neceſsitas eſt, nulla cõſequentia: vt vbi eſt alicuius rei figura, ſit conſequenter eiuſdem rei ſubſtantia. Si enim cuiuis dicerem: In hoc pariete eſt ſubſtantia tua, quia ibi eſt imago tua: nonne me diceret inſanire? Sed nec quiſquã omnino dixerit

quando edebatur agnus legalis, vt ibi eſſet cõſe-
quẽter ſubſtãtia Chriſti: cũ ille agnus vmbra eſſet
Num. 21. & figura Chriſti. Quis verò audeat dicere, cum
Ioan. 3. ſerpentem æneũ Moyſes in deſerto ſuſpenderet,
quòd ibi ſubſtantiã Chriſti ſuſpenderet: cũ ſub-
ſtantiã Chriſti in ligno ſuſpendendi ſerpens ille
æneus figuraret? Quocirca ſi aſſumptio Hilarij,
qua dicitur, quòd ſubſtãtialiter in nobis eſt Chri
ſtus, per hoc rata eſſe monſtratur, quod nos car-
nem & ſanguinem Chriſti cibo Dominico ſumi-
mus, quæ accepta atq; hauſta id efficiunt, vt &
Chriſtus in nobis, & nos naturaliter vnũ ſimus
in Chriſto, naturã ſuæ carnis adepti, Nulla autẽ
conſequentia, vt oſtendimus, aſſumptio illa per
hoc probari poteſt, niſi in cibo Dominico ſit ve-
rè ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti: mani-
feſtũ eſt quoniam prudentiſsimus argumentator
Hilarius, qui ſuam aſſumptionem per hoc con-
firmare voluit, ſubſtantiã corporis & ſanguinis
Domini nos in cibo dominico ſumere, non vm-
brã & figurã tãtum, vt vmbratici iſti male ſom-
niant, credidit. Vt autem vis totius diſputationis
ꝗ breuiſsime ſub oculis reponatur: Aut vmbra-
tice credidit beatiſsimus Hilarius nos comedere
verbũ carnem factum, aut ſubſtantiue. Sed ſi vm-
bratice crediſiſſet, nũquàm hoc diſputator egre-
gius ad probãdũ quòd Chriſtus in nobis ſubſtã-
tialiter eſt, attuliſſet: cum nihil ſibi, ſed potius ad-
uerſarijs prodeſſe, neq; hoc quod intẽdebat vllo
modo exinde cõfici, ſed potius econtrario, quòd
Chriſtus in nobis non ſit ſubſtãtialiter quàm fa-
cillime & ipſe & quiuis mediocriter eruditus cer-
nere poſſet. Quoniam igitur vir eruditiſsimus ad
probandum aſſumptionem ſuam id attulit: non
vmbra-

vmbratice naturam carnis Chriſti nos comedere credidit, Credidit igitur ſubſtantiue.

Huiùs ſanè libri ſancti Hilarij b. Auguſtinus in ſuo libro de trinitate cùm magna veneratione mentionem facit: Vnde palàm eſt,quia diſputationem hanc reprehenſibilẽ non iudicauit,Palàm ergo & illud,quia eiuſdẽ fidei fuit. Quapropter beatiſsimi & doctiſsimi viri Hilarij diſputatio apud omnes fideles valeat, Vmbraticorum ſtultiſsima garrulitas penitus obmuteſcat.

Non ſolũ prædictis autoritatibus,ſed & multis quoq; miraculis euidentiſsimis,rationabiliter confutantur. Quòd ſi miracula non recipiũt, hoſtes Eccleſiæ ſe declarant. Eccleſia enim miraculis quàm maxime & propagata eſt & adulta. Quid deniq; eſt aliud miracula caſſare, niſi eccleſiam quantum in ſe eſt,auferre? Eiſdẽ quippe artibus (vt ait quidam) quibus partum eſt imperiũ, retinetur. Quapropter eccleſiæ hoſtes ſeſe,& non filios aſtruunt:ſi eius miracula accipere nolunt. Quid autem ſtultius, quid vecordius, quàm euacuare miracula:cùm nulla omnino res ſine miraculo fiat? Vtinam iſti vaniloqui,nec ſeipſos aliquid loqui dum impudenter iactitant talia, crederẽt:quoniam hoc ipſum quod loqui poſſunt, hoc ipſum etiã omnino quod ſunt, nõ niſi ex diuino miraculo eſt. Sed ſunt qui miracula ſe non reſpuere quidẽ reſpõdeãt: libros verò in quibus ea legũtur, apocryphos aſſeuerẽt. O iniqua licẽtia. Quos eccleſia Dei in ædificationẽ ſui per totũ orbẽ tantis tẽporibus ſub tantis doctoribus legit, & legendos tradidit: hos pauculi minus docti & animales, nullo rationis intuitu, niſi tãtum quia non placent eis, apocryphos dicunt:

De miraculis.

& quia Paganorũ libenter hiſtorias amplectuntur, Chriſtianas hiſtorias, quas totus amplectitur mundus, caſſare laborant. Sed & hoc ipſo quòd eis nõ placet, quod vniuerſali eccleſiæ placuit, & obſtinatè reſpuũt quod libenter illa recepit: non pacificos eius filios, ſed inimicos manifeſtos ſe probant. Quapropter qui ſe filios eccleſiæ vel dici deſiderant, libros quos illa recipit, nõ recuſent. Qua ratione enim vitam beati Gregorij quilibet Chriſtianus apocryphã dicat, quàm atteſtante Roma æditam, tot ſanctiſsimi, doctiſſimiq́ Romani pontifices, nullo diſſonante, hactenus probauerunt: eorumq́ autoritatem ſecutæ tot eccleſiæ, cuncto populo chriſtiano conſonante, nunc vſq́ ſuſceperunt? In eadem ſanè vita ſcriptum eſt, quòd beatiſsimus idem Papa Gregorius, præſente populo Romano, cuidam matrifamiliâs, quum cõmunicatura riſiſſet, dominici corporis portionẽ ſubtraxerit, quam in ara repoſitam communi mox prece ad Deum fuſa, ac inſtruẽdã de veritate dominicæ carnis matronæ, ſeu etiam populi fidem: coram omni populo in ſpecie veræ carnis, quaſi digiti auricularis oſtenderit. Cumq́ mulier iam fidelior, propter horrorem carnis communicare trepidaret, cunctis iterũ Domini miſericordiã pro illa ſupplic iter implorantibus, eandem ei particulam Papa in conſueta panis ſpecie reporrexerit.

Illud etiã miraculũ, quod in Vitis patrũ legitur, licet Berengarius oderit, quia tamen opitulante Domino alijs proderit, vel tenuiter memoro: Vbi videlicet abbas Daniel narrat ſenem quendam de corpore Domini errorẽ ſimpliciter paſſum, cũ dominũ pro dubitatione hac remouenda,

nenda, multis precibus exoraſſet, angelũ Dei ſuper aram, ſacrificij hora, vidiſſe puerũ immolantem, ſibiq́ ad communionem accedenti, eiuſdem pueri particulam porrigentem. Sed cũ ille nimiũ exterritus ſumere trepidaret: multis lachrymis ſpeciem panis, fide iam ſolidatus, obtinuit.

Sed quem mouere in admirationẽ & laudem diuinæ bonitatis non debeant magni patris noſtri geſta Baſilij: inter cuius manus Iudęus in medio frequentis latitans populi: ſacrificij tempore partiri puerulum vidit, exclamauit, & propterea baptizat⁹ eſt? Multa quoq́ huiuſmodi alia & noſtri tẽporis, & antiqui narrari poſſunt, à quibus ſuperſedeo. Nam & catholicos breuiter cõmonuiſſe de miraculis ſufficit: & hæreticos plurima talium narratione proſequi fortaſſe nõ proficit. Geſta nãq́ ſanctorũ patrũ proteruo ore dilacerãt, nec ea quæ de his ſcripta ſunt, vel dicuntur, diligũt, quibus ſe in credẽdo ſimiles nõ nouere. *Baſilius.*

Sed quid mirũ, ſi patrũ hiſtorias Berengarius & ſui deſpiciunt: qui Euangelio etiam contradicunt, dicentes nullatenus debere credi quod ibi legitur, intraſſe ad diſcipulos dominũ Ieſum ianuis clauſis? Ad hoc tamen hæc narraſſe me cõtra eos proficit: quia quicquid exterius garriant, conſcientia tamen eorum ad ſeipſam rediẽs cõcutitur & marceſcit. Dumq́ attẽdimus quàm fauorabiliter vbiq́ tanto tempore mundus iſta ſuſceperit, quæ fuerit hactenus catholica fides de corpore Dñi, latere non poteſt. Tanti quippe temporis ſummè docti ſanctiq́ Pontifices, eruditi religioſiq́ Abbates, Monachi, Clerici, vniuerſúſq́ populus Dei, ſi contraria rectæ fidei iſta cognouerant: quare non damnauerũt? Quare nõ *Ianuis clauſis Chriſtum intraſſe negauit Berengarius, idẽ facit Oecólam, & ſui.*

 deſtruxe-

deſtruxerunt? Quare vel legi non prohibuerunt? Atqui ipſi ea legerunt, ipſi dilexerũt, ipſi ob ædificationem fidei legenda vſq; hodie tradiderunt: Omnes fauere, Nemo auditus eſt, nemó lectus eſt refragatus. Non igitur contra fidem rectam eſſe ſentiebant. Eandem igitur fidem de corpore Domini omnes tenebant. Aut ergo iſtis omnibus vmbratici noſtri correcti conſentiant: aut iſtos omnes contra ſe teſtes irrefragabiles damnandi perſentiant. Quapropter nullum amplius habẽs rationis confugiũ, tantáq; nube teſtiũ preſſa eorũ ſtultitia, penitus obmuteſcat. Claudatur, inq̃, ſilentio perpetualiter vmbratica impietas: vbi tot præcipuis teſtibus, tã clara voce conclamãtibus catholica patet veritas. Quis enim huiuſmodi homines ſtultiſsimos planè & impijſsimos dicere dubitet: qui nõ vereãtur ſcripturas ſacras ad nutũ ſuũ male interpretãdo corrũpere, venerabiles atq; eruditiſsimos tot autores nihili pẽdere: in ea re nũc cõturbare eccleſiã, in quá cũ Arianis immaniſsimis hoſtibus ſuis noſcitur habuiſſe pacẽ: & in quo ipſa per os Hilarij ſui cõtra eoſdẽ Arianos, velut argumẽto ratiſsimo ſe potuit cõmunire, id nunc cum omnium chriſtianorum ſumma pernicie irrationabiliter caſſum ire? Hæc interim contra vmbraticos dicta ſint.

Hæc contra Luteranos. Nũc cõtra illos habenda eſt ratio, qui eccleſiæ rationibus expugnati, iam quidẽ negare nequeũt ſubſtantiã corporis Chriſti cibo ineſſe dominico: panẽ tamen & vinum per verba ſaluatoris, in carnẽ eius & ſanguinẽ verti nequaq̃ credẽtes, ſed Chriſtũ pani & vino cõmiſcentes, tanquá ſubtiliori ratione hæreſim alteram condiderũt. Quos quidem alios dico quaſi alio errore detẽtos: Nã

alias

alias idem ſunt. Nam primũ quidem apud quos poſſunt, quantumcunq; poſſunt, nihil de corpore & ſanguine Domini ſubſtantialiter ſacramẽtis ineſſe contendũt: Sed inde (vt diximus) pulſi, cõfugere malũt ad hanc impietatẽ, quàm ſynceram tenere cũ alijs hominibus humiliter veritatem. Cuius veſaniæ cauſam proferũt hanc: Vt per panẽ & vinũ, inquiunt, caro Chriſti comedi, & ſanguis potari poſsit. Sed vt quid hãc cauſam? Quare enim per ſe ſine corporis alterius adiumento caro Domini non poſsit comedi, & ſanguis potari? Si enim carnis & ſanguinis horrorẽ metuũt, cur non ſufficit eccleſię ratio per ſanctũ Ambroſiũ in libro de ſacramentis generaliter reſpondẽtis: rerum quidẽ ſubſtantias mutari, ſed propter horrorẽ, priorem ſaporẽ, colorẽq; & cætera quędã accidentia, ad ſenſus duntaxat pertinentia retineri? Si verò reſpondent id non poſſe fieri, vt in alio videlicet corpore color & ſapor alius corporis teneatur: diuinã poſſumus eis breuiter obiectare potentiã. Cui ſi concedunt, finem faciunt quæſtioni. Sin autem derogant, audiãt ſcriptum, Quia omnia quæcunq; voluit Dominus, fecit, in cœlo & in terra: & cætera multa, quæ iã in principio huius opuſculi contra blaſphemias iſtorũ ſatis abundeq; reſpondimus. ¶ Vt tamen & exemplis res clareat, dignentur attendere quod de mãna legitur, quoniam ad nutum comedentis quorumlibet in eo ciborum continuo ſapor alternabat. Vt igitur altioris myſterij cauſas, diuinique conſilij profundiorem ſapientiam, in quantũ mihi exiguo ſcire conceditur ſileam: ſicut ibi conſulebatur hominum carnalium voluptati, ita & hic conſulitur infirmorum neceſsitati:

Vide hic quomodo unus error ſequatur aliũ, & quomodo ex Luthero prodierit, licet ſe ut ſimulat inuito, ſacramentaria hæreſis.

& qui tunc multorum corporum ſapore mutato remouebat faſtidium, nũc vnius corporis ſapore retẽto, tollit horrorem. ¶ De colore quoq; & cæteris huiuſmodi accidentibus non eſt difficilis ratio, cũ ipſe Dominus ſe per diuerſas legatur ſpecies diſcipulis demonſtraſſe: & nũc eis ſolitum colorem oſtendiſſe, nunc ad inſtar ſolis & niuis transfiguratũ reſplenduiſſe, nunc ſe exhibuiſſe tanquàm peregrinũ, nunc apparuiſſe velut hortulanũ, aliquãdo ſpeciem exhibuiſſe miniſtrantis, aliquando formam tenuiſſe docentis.

Quòd ſi ad illas cauſas refugiunt, quas in ore ſæpe habere ſolẽt, quia videlicet nephas ſit Chriſtum dentibus atteri, nephas ſit illum dentibus minui, has vt puto in principio huius operis ſufficienter euacuauimus. Nam qui poſt reſurrectionem manibus & labijs, (vt dictum eſt) potuit attrectari, & dẽtibus etiam poteſt. Euchariſtiam verò, ſi Chriſto quidem nõ placet, vt corpus ſuũ ſine aliquo ipſius incommodo diuidatur, exemplo vocis & animæ, quæ totæ in diuerſis locis eſſe poſſunt, in comedendo negauimus minui: licet altiſsimi cauſa myſterij, quo & infidelibus tãta res clauderetur, & fidelibus vtile exercitium præbeatur, id videatur fieri. Et ſicut iſti negare nequeunt: cum vno tempore mille miſſæ locis diuerſiſsimis celebrẽtur, & propter diuerſos locos corpus dominicum videri quaſi diuiſum, & tamen nullatenus eſſe diuiſum, nã cũ in ſingulis miſsis totũ ſit, iã non eſſe vnum: quare ſimiliter concedere non poſſunt, illud in vno ore propter exercitium fidei, & quaſi diuiſum ſentiri, & nullã tamen diuiſionem pati? Vaniſsime ergo nephas iſtud, attrectandi ſcilicet dentibus, vel minuendi

corpus

corpus Domini metuunt, cũ & ipſum corpus ſit attrectabile: & ſi iam ſine ſui incommodo diuidi non poteſt, videri quaſi diminutum in iſto ſacramento poſsit, cùm maneat indiuiſibile. Quapropter cùm & iſtæ cauſę nihil valeant, nec alias ipſi afferant: quę inſania eſt, vt Chriſtum, vt ita dixerim, ſua autoritate impanẽt & inuinẽt? ¶ Et quidem Chriſtũ incarnari humanæ redẽptionis ratio expoſcebat, quod futurũ Prophetæ prædixerunt, factũ Chriſtus oſtendit, Apoſtoli prædicauerunt, mundus credidit. At impanari vel inuinari Chriſtũ nulla (ſicut oſtẽdimns) expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Chriſtus oſtendit, nec Apoſtoli prædicauerunt, nec mũdus, exceptis his paucisſimis hæreticis, credidit. Vnde igitur eos malus error iſte peruaſit? Totus mundus concinit: Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Nemo dicere audet: ita deus & homo, & panis & vinũ, vnus eſt Chriſtus. Vnde igitur iſtis hęc noua companatio? Quare vel Apoſtolus nõ terruit eos dicens: Si quis annunciauerit præterquàm quod annunciauimus vobis, anathema ſit? Chriſtũ enim iſti impanatũ & inuinatũ annũciãt, ſed huiuſmodi Chriſtũ Apoſtoli non annunciauerunt. Anathema igitur iſti Apoſtolica autoritate incurrũt. Beatus ſanè Ambroſius in libro de Sacramentis de his copioſe diſſerens: nõ in pane & vino corpus & ſanguinẽ Domini latere, ſed panẽ & vinũ in corpus & ſanguinẽ Domini cõmutari docuit, ita dicens: Si igitur tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erãt: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud cõmutẽtur? Audis igitur quia in aliud

Galat. 1.

Ambroſ. de myſterijs initiand. c. 9

commutantur. Et hoc diligenter nota, quia non dixit, vt ſint quod erant, ſed vt ea quæ erant (inquit) ſint, ſed aliud quàm erãt. Quod videtur ſentire, cùm ſubiungit, & in aliud cõmutentur: tanq̃ ſuã cõparationem explicaret, ſic: Si ſermo domini Ieſu operatus eſt, vt inciperent eſſe quæ non erant, id eſt, vt eſſent res ex eo quod nõ erant, id eſt, ex nihilo: quãto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, id eſt, vt ſint iſta, id eſt, corpus & ſanguis ex eis quę erant non ex nihilo? Aliter enim comparatio iſta rectè intelligi non poteſt. Quæ igitur erant, id eſt, panis & vinum ſunt: ſed non ſunt quod erant, ſed in aliud commutata. Et hoc eſt quod ait, vt ſint quæ erant: & ita ſint, vt non in ſe ſint, ſed in aliud commutẽtur. Hunc ſenſum in eodem libro idem doctor apertiſsime oſtẽdit, dicens: Quãtis igitur vtimur exemplis vt probemus nõ hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis, quàm naturę, quia benedictione etiã natura ipſa mutatur. Si igitur non ſunt quod natura formauit: non ſunt quod erant, id eſt, non ſunt panis & vinum. Ex ſuperiori igitur ſentẽtia, & ex iſta, clarè oſtenditur, quia quæ erant ſunt. i. nõ de nihilo fit hic corpus & ſanguis Chriſti, ſed de his quę erant, nõ tamẽ ſunt id quod erãt: quia nõ ſunt id quod natura formauit, id eſt, nõ ſunt panis & vinũ: ſed in aliud cõmutantur: & ſunt id quod benedictio cõſecrauit, id eſt, corpus & ſanguis, quia benedictione ait, natura ipſa mutatur.

De myſt. initiãdis, cap. 9. Et adhuc attende doctorem veritatis. Quòd ſi tantum inquit, valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret: non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum? De totius mundi

operibus legiſti, Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat: nō poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Item: Panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Et iterum: Antequam conſecretur, panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Deniq; audi dicentē: Accipite & edite ex eo omnes: Hoc eſt enim corpus meum. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo diſce quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa conuertere. Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd corpus ſuum & ſanguinē accipiamus: Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Hæc b. Ambroſius.

3. *Reg.* 18
Pſal. 134.

De Sacramētis lib. 4. *cap.* 5.

Sanctus autē Euſebius Emiſſenus, Verè vnica, inquit, & perfecta hoſtia fide ęſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Vnde cœleſtis confirmat autoritas: quia caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite & edite, hoc eſt enim corpus meum. Et ſanctificatione repetita: Accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa

cœlorum,

cœlorum, profunda fluctuũ, vaſta terrarum: pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis vbi præcipit virtus, rei ſeruit effectus. Et vt tibi nouum & impoſsibile non debeat videri quòd in Chriſti ſubſtantiã terrena & mortalia cõmutãtur, te ipſum qui iam in Chriſto regeneratus es, attẽde & reliqua. Ecce quomodo pater ſanctiſsimus doctorq; præcipuus, verbis pauciſsimis hæreſin cõfutat vtramq;. Impanatores etenim deſtruit: dũ nequaquã Chriſtũ in pane & vino latere, ſed viſibile creaturas, id eſt, panem & vinũ, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti conuerti: & iterum, terrena & mortalia in Chriſti ſubſtantiã cõmutari dicit. Vmbraticos quoq; nihilominus diſsipat: dum hæc conuerti non in quamlibet creaturam, ſed in ſubſtãtiam corporis & ſanguinis Chriſti confirmat. Item ipſe: Nec dubitet quiſquã, ait, primarias creaturas nutu potentiæ, præſentia maieſtatis, in Dominici corporis trãſire poſſe naturã. Et iterum: Quando benedicẽdę verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur: antequam inuocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtãtia illic eſt panis & vini: Poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid autem mirũ, ſi ea quæ verbo potuit creare, verbo poſsit creata conuertere? Imò iam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, iam cõditum in melius valeat commutare. Quid apertius? Quid expreſsius? Hæc nõ habẽt exponi, quia nihil vnquã manifeſtius ab homine poteſt dici. In quodam

Iſidorus. miſſali Hiſpano quod dicunt ſanctũ dictaſſe Iſidorum, in hebdomada ante Paſcha, in quadam miſſa ſic inueni: Totum hoc Domine, diuinum

eſt, totum

eſt,totum pater de cœlo eſt: Demutatum in naturam filij tui, & corpus & ſanguis eſt. Non iam figura,ſed veritas,non creatura mortalis,ſed natura cœleſtis,edentibus vitam æternam,regnũq; perpetuũ collatura potantibus. Hos impanatores ſuos ipſe dominus Ieſus verbo oris ſui interficit, cùm accipiens panem gratiáſq; agens ac benedicens, ait:Hoc eſt corpus meum. Non ait, In hoc latet corpus meum: Nec dixit: In hoc vino eſt ſanguis meus:ſed dixit, Hic eſt ſanguis meus. Vnde & eccleſia Dei conſequẽter à ſe eoſdem ſeparat,cùm in ipſo Canone Miſſæ ex Apoſtolica traditione ita orat: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam,rationabilem,acceptabilemq; facere digneris:vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non hic oratur vt in ea corpus & ſanguis lateat, aut in eam corpus & ſanguis adueniat:ſed vt ipſa oblatio & corpus & ſanguis fiat. In hac oratione Cyprianus,Hylarius,Ambroſius,Auguſtinus,Hieronymus,Gregorius,& cæteri omnes eccleſiaſtici autores iſtos vno ore percutiunt: & quicũq; miſſas celebrãtes ipſi orationi tota deuotione conſentiunt. Equidem ego de hac impanatione mecum etiam atq; etiam retractans,non ſatis verbis exprimere poſſum quãtum ſuper iſtorum ſtultiſſima audacia, & inſaniſsima præſumptione admiror pariter & indignor. Nam contra diuinas autoritates,humana ratione incedere,id quidem inſanum:ſine ratione autem, id longe inſanius. At verò & ſine ratione, & cõtra rationem aduerſus Deum ſemper latrare, id prorſus ſupra quàm dici poſsit inſaniſsimum. Iſti enim nequiores nequiſsimis,

Impanatores ſuos Chriſtus confutat.

Audiant hæc Lutherani.

Nequiores impanatores nequiſsimis umbraticis.

nequiſsimis, fratres ſuos vmbraticos prę ſe iuſtificauerunt. Illi quippe iudicium ſenſuũ tranſcendere non valẽtes, tanquàm ex infirmitate erraſſe videri poſſunt. Hi verò neq; ex ſenſibus, neque ex vlla ratione, neq; ſcriptura aliqua cauſas erroris ſui mutuãtes, ſola penitus ſuperbia veſanire videntur, dum reclamante natura quam tantopere defenſitare ſolẽt (quomodo enim in ſolido corpore panis, alterum corpus latere poſsit, videri non poteſt) reclamante inquam, natura, reclamãtibus ſcripturis ſacris, nullo ſanctorum patrum teſtimonio, nullo diuino oraculo, nullo miraculo fulti, munitam vndiq; Catholicam pietatem, beſtialiter obſtinati, ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi eſſe videantur. O infelices, quos pietas non vincit. O infeliciſsimos, qui dum ſubijci pietati renuunt, impietatis ſerui eſſe non erubeſcũt. Contra quorum manifeſtiſsimã ſtultitiam reſpondere indigniſsimum videretur: niſi quia ad cumulũ perditionis ſuæ nõ eis mors propria ſufficit, niſi etiam quoſcunq; poſſunt viliſsima falſitate perditum eant. Et hæc quidem ſpecialiter contra iſtos. Deinceps verò vtroſq; præfatos hæreticos communiter Deo propitio diſputatio ſecutura percutiet. Quibus quàm maxime in primis ad argumentum videndæ falſitatis ſuæ ipſa hæreſum ſciſſura ſatis eſſe debuerat: quod nunc videlicet nihil carnis & ſanguinis niſi tantum vmbram & figuram, ſacramentis Dei ineſſe, nunc verò ſubſtantiam carnis & ſanguinis in eis latere contendunt. Fides namq; Apoſtolica quę ſola vera fides eſt, in affirmationem & negationem non ſcinditur. Apoſtolus namq; dixit: Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Apo-

Cõtra impanatores & umbraticos.

Fides apoſtolica in affirmationẽ et ne-

ſtolica

ſtolica igitur fides vna eſt tãtum. Iſtorum autem vana credulitas dum quòd in vna opinione tenet, in altera non tenere cõuincitur: in affirmationem & negationem ſciſſa, nõ eſt vna. Iſtorum ergo credulitas nõ eſt Apoſtolica fides, atq; ideo neq; vera fides. Quapropter Apoſtolicam fidem nõ habentes, ab Apoſtolica quoq; eccleſia ſeiuncti ſunt: cõtinget'q; illis quod Saluator ait: Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Berẽgariani quippe in ſeipſis diuiſi ſunt, vt oſtendimus. Sed fortaſsis quis dicat, Non ſunt ipſi regnum, quia pauci ſunt. Ad quod reſpondeo: Si nõ ſunt regnum, non ſunt eccleſia Chriſti. Eccleſia enim Chriſti, regnum Dei eſt, in quo Deus, id eſt, ipſe Chriſtus regnat. Si autem ſunt regnum quia mẽtiri veritas non poteſt: cùm in ſeipſos ſint diuiſi, deſolabuntur. De Catholica ſanè Eccleſia Propheta prædixit: Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mõs Sion: quod de noſtra eccleſia videmus impletum. Berengariana verò portio, non fundatur exultatione vniuerſæ terræ: Neq; enim eis vel vna ciuitatula, vel etiam vna villula cõceſsit. Non ſunt igitur mons Sion, id eſt, Eccleſia.

gationem non ſcinditur.

Epheſ. 4.

Luc. 11.

Eccleſia Chriſti regnum Dei eſt.

Pſal. 47.

Idẽ quoq; propheta ait: Cantate domino canticum nouum: cãtate domino omnis terra. Vnde beatus Auguſtinus in expoſitione huius verſiculi audet & dicit: Si omnis terra domus Dei, qui non hæret omni terræ, ruina eſt, non domus. Si Berengariani nõ hærent omni terræ: Non ſunt igitur domus Dei, ſed ruina. Eſaias de Eccleſia Chriſti dicit, Lætare ſterilis quæ nõ paris, exulta & lauda quę non parturis: quia multi filij deſertę magis quàm eius quæ habet virum. Illam quæ habebat tunc virum, Synagogam Iudæorum intelligen-

Pſal. 95.

Eſa. 54.

intelligendã docet Apoſtolus: ſterilem verò Ec-
Gal. 4. cleſiam. Quare ſi Berengariani Eccleſia Dei ſunt, oſtẽdant nobis multo plures filios ſuos per tam longa iam tempora, quàm ſint Iudæorum. Quod nõ eſſe, omnibus patet. Item Eſaias de Eccleſia:
Eſa. 49. Reges, inquit, erunt nutritij tui. Et Ioannes in
Apoc. 21. Apocalypſi: Reges, inquit, terræ afferent gloriã ſuam in eam. Sed quis regum terræ, hanc Berengarianam ſtultitiam fouit? Quis regum terræ in eam gloriam ſuam attulit? Et quidem in Arianam veſaniam reges olim aliqui cõceſſerunt: in Berengarianam autem nullus. Per Malachiam
Mala. 1. Deus dixit: Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum magnũ eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gẽtibus dicit dominus exercituum. Quamobrẽ ſi dominus exercituum oblationem quæ in omni loco ab ortu ſolis vſq; ad occaſum ſacrificatur & offertur nomini ſuo, mundam dicit: cũ præter hãc nulla poſsit eſſe oblatio munda, viderit Berengarius cum ſuis, quàm ſit oblatio eorum immũda, quæ non dico in omni loco, ſed vix vt in aliquo eſſet obtinuit. Daniel propheta cùm vidiſſet lapidem de mõte ſine manibus abſciſſum, qui ſtatuam in pedibus ſuis ferreis & fictilibus percuſsit atq; comminuit: viſionem hanc ita expoſuit, vt à regno Dei quæ eſt Eccleſia, quatuor principalia regna mundi Chaldæorum videlicet, Medorum, atq; Perſarum, Græcorum quoq; necnon & Romanorũ, ſicut exponente poſtmodum ipſo eodẽ propheta perſpicuè declaratur, in diebus quarti imperij, id eſt, Romani, antequàm ferreum eſſe deſiſteret, percutienda & cõminuẽda confir-

Danielis de Chriſti Eccleſia vaticiniũ

confirmaret,dicens: In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc,& ipſum ſtabit in æternum:ſecundum quod vidiſti,quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus,& comminuet ferrum,& teſtam,& æs, & argentum, & aurum. *Daniel.2.*

Hoc ſanè de noſtra Eccleſia luce clarius videmus.Ipſa enim Romanũ imperium, cùm adhuc ferreum eſſet,& cætera regna contriuit. Ipſa hodieq́ꝫ, quod nemo negare poteſt, in ipſa domo quondam Romani Imperatoris, domum obtinet Saluatoris.Inde enim ipſa per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmẽta mox ſuo exortu damnauit.Deinde per hũc ipſum,qui nũc præeſt,D.Gregorium Papam tunc Archidiaconum eiuſdem Romanæ ſedis in concilio Turonẽſi conuicit:ipſumq́ꝫ Berengarium, vt videbatur,correctum,ac propriæ manus ſacramẽto ſatisfacientem,clemẽter ſuſcepit. Reuerſumq́ꝫ aliquanto poſt ad vomitum ſuum, agente ſanctæ recordationis Nicolao Papa in generali cõcilio Romæ iterum confutatur: atq; eundem Berengariũ coram ipſo venerabili orbis terrarũ Conuẽtu, in verba certa quæ ſupra ſcripta ſunt, & in multis habentur eccleſijs iurare, prędictáſq; inſanias proprio ore abiurare, ac libellos ſuos quos ad tuendas eaſdem blaſphemias fecerat, proprijs manibus concremare coegit. Berengarianã porrò plebeculam non dico quatuor principalia regna,ſed nec vnum ſolum regnum aliquo vnquã tempore obtinuiſſe mõſtrari poteſt. Aut ſi obtinuiſſe configitur iam nunc regnum eius popu- *Eccleſia Chriſti Romanũ imperium olim contriuit.* *Leo 9.* *Grego.7.* *Nicol.2.*

M lo alteri,

lo alteri, id eſt, catholico noſtro traditum eſt. Noſter enim populus, Romanū, cum omnibus regnis chriſtiano nomini ſubiectis, tenet imperiū. Daniel autem dicit, quia regnum populi Dei, populo alteri nō tradetur, ſed ipſum ſtabit in æternum. Berēgariani igitur nō ſunt illud regnū, quod Deus cœli ſuſcitaturus prędicitur. Quòd ſi nō pertinent ad regnum Dei cœli: cōſequitur vt ſint de regno diaboli. Vides planè quomodo cōclamantibus propheticis teſtimonijs noſtra Eccleſia confirmatur, Berengariana verò portio vtraq; reprobatur? De quibus teſtimonijs beatus

Cap. 25. Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei vltimo cōtra quoſdā Philoſophos ſic ait: Si propterea dicunt alio modo eſſe credenda, ne ſi dixerint vana eſſe conſcripta, iniuriam faciant illi Deo cui tam magnum perhibēt teſtimonium: tantam prorſus ei vel etiam grauiorem faciunt iniuriam, ſi aliter dicunt eſſe intelligēda, non ſicut mundus credidit, quem crediturum ipſe laudauit, ipſe promiſit, ipſe cōpleuit. Non itaq; credētes quòd mentiri poſsit, credant eſſe facturum, quod ſe facturum eſſe promiſit: & ſic credant ſicut credidit mūdus, quem crediturū eſſe prædixit, quem crediturum eſſe laudauit, quem crediturū eſſe promiſit, quem credidiſſe iam oſtendit. Si ergo vobis ô Berēgariani beatus Auguſtinus ita vt ſolet chariſsimus eſt, iudicium eius ſequimini, credite de corpore & ſanguine Domini quod mundus credit, & ſic credite ſicut mundus credidit. Si enim aliud, aut idipſum aliter creditis, dicit vobis Auguſtinus veſter, quòd grauem Deo iniuriam facitis, quia creditis de Chriſto aliter quàm ſicut mūdus credidit, quem crediturum eſſe Deus prædixit, laudauit,

dauit, promiſit, oſtendit. Quòd ſi fidem mundi Deus laudauit, veſtra vtiq; figmenta reprobauit. Nõ enim eſt niſi vna fides laudabilis apud Deũ. Vnde & vobis iure obueniet, quod idem ſanctus Auguſtinus in eodem vltimo libro de Ciuitate Dei dicit his verbis: Si rem, inquit, credibilem crediderũt, videant quàm ſint ſtolidi qui nõ credunt. Si autem res incredibilis eſt, vnde toto terrarum orbe iam credita eſt? Quocirca beati Auguſtini iudicio vos ſtolidi eſtis, qui de corpore Christi quod in toto terrarum orbe creditur, credere recuſatis. Item beatus Auguſtinus in quarto libro de baptiſmo contra Donatiſtas: Quod vniuerſa, inquit, tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retẽtum eſt: non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur. Itẽ in ſeptimo eiuſdem libro. Id autem ait, fiducia ſecuræ vocis poſſumus aſſerere, quòd in gubernatione Domini Dei noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ cõſenſione roboratum eſt. Quapropter fides quã de corpore & ſanguine Domini ſemper Eccleſia vniuerſa tenuit, multis inſuper Concilijs Generalibus roborauit, ex Apoſtolica autoritate tradita rectiſsimè creditur. Nam ſi illud quod ſemper Eccleſia tenuit nullis munitum Cõcilijs Apoſtolicum eſt: quãto magis illud quod & ſemper tenuit, & multis eſt (vt dixi) Concilijs Generalibus confirmatum, ex Apoſtolica autoritate traditũ eſſe credẽdum eſt? Sed panem & vinum altaris Domini in corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtãtialiter commutari, (non ſicut delirat Berengarius corporis & ſanguinis Domini figuras tantum eſſe & vmbras, aut intra ſe latentem Chriſtum tegere) vniuer-

Vna fides (margin, beside "Nõ enim eſt niſi vna fides")

Cap. 5. (margin, beside "dunt. Si autem res")

Cap. 6. (margin, beside "dere recuſatis")

Cap. 53. (margin, beside "tate Apoſtolica traditum")

Trãſubſtantiatio cõſenſiõe uniuerſalis Eccleſiæ roborata eſt. (margin)

vniuerſalis Eccleſiæ cõſenſione roboratum eſt. Secura igitur voce gubernãte Domino Deo noſtro & Saluatore Ieſu Chriſto, id à nobis aſſeri poteſt. Diligenter ſanè ſi daretur locus, cùm ipſo Berengario diſcutere vellẽ, cũ aliquos doceat nihil in cibo altaris Domini corporis & ſanguinis Chriſti niſi vmbram tantũ & figurã haberi, aliquibus verò, tanquã ſubtilius quęrentibus, ſatisfaciens, ipſum ibi corpus Chriſti eſſe, reſpondeat, ſed impanatum latere: quid ſibi in priore ſententia diſpliceat, vt ſatisfacturus quęrentibus trãſmigret ad alteram, aut quid in poſteriore abhorreat, vt redeat ad priorem. Migrãdo enim ad ſecundam, priorem reprobat: redeundo ad priorem, alteram damnat. Quo fit vt vtramq; defenſando, neutrã teneat. Vnde conſequitur, vt cũ reliquas ſententias omnes oderit, de his dominicis ſacramẽtis quid debeat credere penitus nihil ſciat. Exinde quoque id accidit quod certiſsime nouimus, quòd Berengarius & ſui, ſi ab eruditis catholicis de ſua fide diſcutiãtur: id quod de corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut ſi profitentur, defendere non valent. Sed negatores veræ fidei de Chriſto, ſentẽtia illa Chriſti terribilis excipit, qua dixit: Qui me erubuerit & meos ſermones: hunc filius hominis erubeſcet.
Luc. 9.

Et Paulus: Si negauerimus, inquit, & ipſe negabit nos. At verò ſi profitẽtur & defendere nequeunt, ſi quidem veræ fidei defenſores ſunt, vbi eſt quod ſuis Chriſtus pollicitus eſt, dicens: Ego dabo vobis os & ſapientiã, cui nõ poterũt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri? Si enim verã fidem iſti defenderent, eſſet vel aliquis eorũ cui aduerſarij omnes reſiſtere non valerent. Non enim
2. Tim. 2.
Luc. 21.

enim poteſt mētiri veritas quæ ſuis hoc promiſit. Nullus autem horum inueniri poteſt, cui non poſsint reſiſtere noſtri Catholici: vſqueadeò vt hęreſiarches Berengarius multoties reuictus, etiã ſacramēto propriæ manus in generalibus Concilijs veſanias iſtas abiuraſſe teneatur. Quamobrem palam eſt quia non ſunt iſti defenſores verę fidei: nec filij, ſed aduerſarij Chriſti Eccleſiæ. Porrò autem ſi iſti ſunt Eccleſia Chriſti, aut à Chriſto eccleſia non cœpit, aut aliquo poſt tempore eſſe deſinit. Notiſsimum namq; eſt hoc tempore priuſquã Berēgarius inſaniſſet, huiuſmodi veſanias nunquã fuiſſe. Sed ex tēpore Chriſti Eccleſia in Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis fuit: ſed neq; poſtea vnquã defuit. Mentiretur enim ſcriptura per Prophetas clamans: Et regni eius non erit finis. Mentiretur Gabriel Archangelus idipſum beatæ Mariæ dicens. Mētiretur & ipſa veritas quę ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad cōſummationē ſeculi. Sed abſit hoc vt mentiri poſſit veritas vel in verbis proprijs, vel in tantis teſtibus ſuis. Nunquã igitur poſt Chriſtũ, Eccleſia Chriſti eſſe ceſſauit. Nō ſunt igitur Eccleſia Chriſti. Aut certè ſi ſe à Chriſto cœpiſſe, & huc vſque perſeueraſſe imprudentiſsimè mentientes dicũt: oſtendãt iuxta Danielis vaticiniũ quatuor principalia regna mũdi ſe cōtriuiſſe, oſtendãt ſe orbē terrarũ impleuiſſe, oſtendant ſuũ regnum alteri populo non ceſsiſſe. Quod eos non poſſe, omnibus ſatis abundeq; perſpicuũ eſt, cum noſter populus regna mũdi poſsideat, & hos ipſos & autoritate & ratione confringat. Quapropter Eccleſia noſtra à Chriſto fundata nō à Berengario, neq; incepta à Turonis vel Andegauis, ſed ſicut

Eccleſiæ regnũ perpetuum.

Daniel.7.
Mich.4.
Luc.1.
Matt.ult.

M iij precepit

præcepit Chriſtus, & prophetæ prædixerunt, ab Hieroſolymis in ęternũ valeat, Berẽgariana verò veſania ad Eccleſiam Chriſti non pertinens, in æternum confuſa conticeſcat.

Quod trãſſubſtãtiationem Deus uelit.

NVnc ſanè illam etiam propoſitionem quam in primo libello tantopere probauimus, an conficere aliquid poſsit videamus. Probauimus enim quoniam ſi Deus hãc mutationem panis & vini quàm credimus, facere vult: facit. Nunc autem aſſũmptum atq; etiam ſatis probatũ eſt, quia illam Deus facere vult. Nam ſpiritus ſanctus per ſanctiſsimos autores quos templum eius fuiſſe cõſtat, hoc (vt oſtẽdimus) clarè perdocuit: veteris ac noui Teſtamẽti incõtradicibilis autoritas cõfirmauit, mũdus vniuerſaliter credidit, cuius ſolius fidem Deus ipſe laudauit. Indubitãter igitur quòd euidẽtiſsimè neceſſarióq; conficitur, cõcludamus: ſcilicet, quia mutationem panis & vini in ſubſtãtiàm corporis & ſanguinis Chriſti Deus facit. Quapropter ſileant apud omnes prudentes inſipiẽtiſsimorum hominum noua, irrationabilia, falſa, inutiliſsima, viliſsimaq́; commẽta. Cedãt, inquã, vniuerſa Eccleſiaſticæ fidei. Illa enim nõ eſt recẽs, illa non eſt huius, aut illius hominis, ſola totius orbis. Illa ſola rationabilis, ſola vera, ſola rata, vſquequaq; munita, & inuincibilis, vtiliſsima, neceſſaria, iucũdiſsima & honeſtiſsima comprobatur. Chriſti autẽ impanatio vbi in veteri aut in nouo Teſtamẽto legitur? Qua ratione, quibus argumentis, aut miraculis munitur? Quæ neceſsitas, quæ vtilitas, quis honor, Chriſtũ Dominũ noſtrũ pro nihilo impanare & inuinare? Aut verò panẽ tãtũ & vinũ in figura & vmbra Chriſti edere, quod iſti credũt, & Chriſtũ in ipſa

Doctores Eccleſiæ, templum ſancti ſpiritus.

Eccleſiæ fides ſola uera & inuincibilis.

ipſa veritate ſubſtātiæ ſuæ mãducare, quātum ad vtilitatem & honorē & excellētiam noſtrā pertinet, quis vel demētiſsimus in aliquo momento cōferre poteſt? Dum enim verbū Dei carnē factū cibo Dominico abſq; impanatione & inuinatione ſubſtātiuè, non vmbraticè nos ſumere credimus: dū ex virtute plenitudinis vitæ æternæ in eodem cibo manētis nos in ęternū victuros ſperamus: quid hac fide, cùm ſit tot & tātis teſtimoniꝭs approbata, verius, quid rationabilius excogitari poteſt? Quid hac inquam, fide vtilius, quid magis neceſſariū, quid honorabilius: dū purum Chriſtū, nō vmbraticum, neq; impanatum pura ipſa ſuſcipiēs, vtpote tātæ gloriæ munere diues, ſummo reuerētię metu peccata magis abhorreat, ſummo deſideriꝭ ardore in omnē iuſtitiā amplius ferueat, tāquàm Domini ſui hoſtem ſtudeat ſummopere quotidie fugere mūdū: iamq́; de promiſſionibus eius pro tāto pignore certior, ardentius atq; ardentius reuelata facie ipſum vitæ fontem votis omnibus geſtiat apprehendere Deum?

Multa contra iſtos iam diximus, multa quoq; adhuc dici poſſunt: ſed pꝭs mētibus (vt arbitror) iſta ſufficiunt. Quid enim amplius aduerſus iſtos quærerent, cum obiectationes eorū ſiue per rationes, ſiue per ſcripturas, noſtrę fidei nihil obeſſe, imò verò ipſas eaſdem ſcripturas nobiſcū magis eſſe ſatis lucideq́; mōſtratum ſit: cùm iſtorum dementias & ſingulatim & communiter tā venerabiliū autorū quàm propheticis & euāgelicis teſtimoniꝭs teneant pleniſsimè deſtructas: noſtram verò fidem vſquequaque firmiſsimam, vtiliſsimam, excellentiſsimam, ſummeq́; neceſſariam, videant euidentiſsimè declaratam? At verò

impijs quid ſufficiet, ſi duriores ſaxis tot argumẽtorũ malleis percuſsi cedere nolũt, ſi tenebroſiores inferno tanta fortiſsimarũ rationum luce colluſtrari non poſſunt, aut certè meretricum ſimiles, de ſua turpitudine vel perſpicua erubeſcere neſciunt? aut dæmonum ſimillimi cœptam ſemel vecordiam tanta pertinacia diligunt, vt veritatem gratis odio habeãt, & à falſitate vel maniſeſtiſsima nunquã reſipiſcant? O miſerrimos homines & immenſo lachrymarũ imbre lugendos, ſi tanta peruaſit eos propagandę famæ cupiditas, vt à blaſphemijs propalatis nec clariſsima veritas, nec ſumma ipſorũ infamia, nec vitę ęternæ amor, nec æterna dãnatio valeant reuocare.

Eſa. 46. c Redite quæſo, redite præuaricatores ad cor. Quare moriemini gratis? Non talis hæc diſputatio eſt, quæ vtrobiq; valeat leuiter compenſari. Non hic, ſicut in ſcholis, pro victoria, aut, ſicut in iudicijs, pro quibuſlibet terrenis commodis agitur: ſed, ſicut coram Deo, pro vita ęterna atq; cœleſti diſputatur: falſam etenim partẽ ſempiterna mors deuorat, verã autem, vita æterna coronat. Quocirca iuſto examine veſtra & noſtra perpendite, ſi quid dignũ cõtra nos habetis, afferte: ſi nõ habetis, adquieſcite. Quare moriemini gratis? Sed quid amplius iſtos proſequãr? Iam diſputationi huic ponendus eſt finis. Nã de duabus reliquis propoſitionibus ſermo breuis habendus eſt. Non enim lõgam diſputationem res flagitat.

Alia eſt de rebus fidei, alia de negotijs terrenis diſputãdi ratio.

Contra eos qui dicunt partem propter indignos immutabilem remanere.

EX his ergo vna, panis & vini partem in carnem & ſanguinem Domini tranſmutari confirmat:

firmat: partem verò propter indignos immutabilem retineri. Altera verò, totũ quidem panem & vinũ altaris in carnem & ſanguinem Domini conuerti aſſerit: ſed cùm indigni ad communionem veniũt, in panem & vinum iterum reuerti. Nam vtriuſq; ſententiæ aſſertores, nolunt ab indignis hominibus corpus & ſanguinem Domini poſſe participari. His ergo cùm ſit error diſpar: vna tamen cauſa erroris eſt. Quem eiſdem quoq; muniunt argumẽtis, hoc modo: Chriſtus ait, inquiunt, Qui manducat meam carnem, & meum ſanguinem bibit: in me manet & ego in eo. Indigni autem non manent in Chriſto, nec Chriſtus in eis. Non enim poſſunt duobus dominis ſeruire, nec membra Chriſti ſimul eſſe & diaboli. Non igitur, aiunt, manducãt carnem Chriſti, neq; ſanguinem bibunt. Id'q; etiam exemplo conantur aſtruere, quia videlicet in vitis Patrum cuidã ſeni viſus ſit angelus ad communionem ſacram indignis accedentibus corpus Domini ſubtrahere, & loco eius carbonem dare. Si igitur, inquiunt, tales carnem & ſanguinem Domini non ſumunt: neceſſe eſt, id quod accipiunt, aut non fuiſſe mutatum, aut in naturam priorem eſſe reuerſum. Et hactenus quidem iſtorum ratio: Cui auxiliante Domino nunc obuiandum eſt.

Ioan. 6. *Matth.* 6.

Ac de exẽplo quidẽ primo notandũ, quod nihil eis afferat: imò lõgè eorũ opinioni repugnet. Si enĩ panis porrigẽdus indignis immutabilis remanet: quid ſibi vult carbo datus eis & nõ panis? Quòd ſi omnes carbone indigni paſti ſunt, digni verò omnes carne & ſanguine domini: nihil igitur de pane non mutatũ remanſit. Aut ſi caro & ſanguis mutabãtur indignis accedẽtibus in car-

bonem, non igitur mutabantur in panem & vinum: Non enim carbo eſt panis neq; vinũ. Quapropter hoc exemplo, iſtorũ (vt dixi) opinio magis deſtruitur quàm aſtruatur: Nobis porrò exéplũ hoc in nullo aduerſari videtur. Potuit enim fieri ſub oculis ſenis illius vt caro & ſanguis in ea quidem ſpecie qua porrigebãtur iuſtis, iniuſtis ſubtraherẽtur: & ad oſtẽſionem iniquitatis eorũ, ipſa eadem in ſpecie carbonis porrigerẽtur. Aut certè (ſicut iam ſuperius dixi) nõ quidem vt ſemper ita fiat: ſed vt ſeni qui aderãt peccatorum iniquitas per ipſum corrigẽda pãderetur, reuera caro & ſanguis potuerũt per Angelũ ſubtrahi, carbo verò mox aliunde aduectus dari. Vtro autem horũ modo factũ ſit, ſana fide noſtra fieri potuit.

Nũc ad verba Domini quibus dicitur, qui mãducat meam carnem, & meum ſanguinem bibit, in me manet & ego in eo, accedamus. In quibus exponẽdis nõ noſtram interpretationẽ, ſed beati Auguſtini ex libro de verbis Domini ponimns.

Serm.11. Ait enim non vniuerſaliter hoc: ſed cum modo quodã debere intelligi: quo videlicet modo: qui manducat carnem & bibit ſanguinem Chriſti, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Is autẽ illo mo-

1.Cor. 11. do mãducat, qui dignè mãducat. Qui enim mãducat & bibit indignè: iudicium ſibi mãducat & bibit. Quapropter ſi omnis qui mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: neceſſe eſt intelligi, vt ille ſolus qui mãducat alio modo, id eſt, dignè, in Chriſto maneat, & Chriſtus in eo. Ad cuius comparationẽ ille qui indignè mãducat, nec æſtimãdus eſt mãducãs: ſed potius quantum in ipſo eſt, cõculcans. Manducat ergo & non manducat, Manducat corporaliter, ſed non mã-

ducat

ducat ſpiritualiter: non eo ſenſu, non eis moribus, non ea charitate, vt dignè mãducet. Similiter & illa verba Domini accipienda ſunt, quibus dicit: Qui peccauerit in ſpiritũ ſanctũ, nõ remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Nam verba hæc niſi ſpecialem quẽdam peccati modũ ſentiant, ſtare non poſſunt. Alioquin omnis qui peccat in filiũ, peccat in ſpiritũ ſanctũ: Nõ enim filium quis offendere poteſt, quin offendat & ſpiritum ſanctũ. Sed ſi quis cõtra filium, inquit Dominus, verbum dixerit: remittetur ei. Quare & in ſpiritum ſanctum peccanti remittetur. Qua ergo ratione hinc exibitur, niſi quidam modus peccati in ſpiritum ſanctum ſpecialis intelligatur tam magnus, vt ad eius cõparationem cætera nõ dicantur in ſpiritum ſanctũ? Talis eſt & illa ſententia: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et illa: Quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Nõ enim omnes qui credũt & baptizati ſunt, neq; omnes qui inuocant nomẽ Domini ſalui erũt: ſed ſoli illi qui cum bonis moribus credũt, & dignè inuocãt nomẽ Domini, ſalui erunt. Permultæ quoq; aliæ huiuſmodi ſentẽtiæ in ſcripturis ſacris reperiuntur quę niſi cũ modo competẽter intelligi non poſſunt. Ita igitur & illud de quo iſte ſermo inceptus eſt, intelligendum eſt: Qui manducat meã carnem & bibit meũ ſanguinem, dignè videlicet, in me manet & ego in eo. Nam quòd indigni qui ſcilicet in Chriſto non manent, nec Chriſtus in eis, eandem carnem manducent, & eundem ſanguinem bibant: audi eundẽ beatum Auguſtinum in libro quinto de Baptiſmo contra Donatiſtas ita dicentem: Sicut Iudas, inquit, cui buccellam tradidit Dominus,

Matt. 12. *Peccare in ſpiritũ ſanctum quid.*

Mar. ult.

Ioelis 2. g

Cap. 8.

Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum diabolo in ſe præbuit: ſic indignè quiſq; ſumens Dominicum ſacramentũ, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malũ ſit: aut quia nõ ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit. Hæc Auguſtinus. Quare cũ eãdem carnem digni cum indignis, ſed diuerſis mẽtibus comedant, & eundem ſanguinem Domini bibant: cũq; Euangelica ſententia qua dicitur, Qui manducat meam carnem & meum ſanguinem bibit, in me manet & ego in eo, iuxta Apoſtolum & beatum Auguſtinum, ad ſimilitudinem quoq; multarum talium ſententiarum cõpetenter intellecta nihil

*Exẽplũ iſtis afferat, * exẽplum porrò ſenis adiũctum totum illis potius auferat: cùm & cauſa documenti huius nulla ſit, & argumenta cuncta deficiãt: ceſſet hęc noua à chriſtianis hominibus prorſus inuentio: ne ſi aliter doceãt, Apoſtolicũ illud anathema incurrant quo dicitur: Si quis vobis annunciauerit præterquã quod accepiſtis, anathe-

Galat.1.b ma ſit. Quid enim ſi nemo indignus corpus Domini accipit, & idcirco portio panis, propter indignos videlicet, immutabilis remanet? Cum ſe nemo dignum audeat dicere, quia ſcriptum eſt, Neſcit homo vtrum amore an odio ſit dignus in vita ſua, ſed neq; de alio audeat iudicare, ſcriptũ

Eccleſ.9. eſt enim, Ne laudes hominem in vita ſua, homo enim videt in facie, Deus autem in corde: nemo vtiq; cõfideter audebit confiteri, corpus eſſe Domini quod ipſe vel totus etiam populus accipit.

Quòd ſi nemo id confidenter audebit cõfiteri,

temere

temere ergo ſacerdos affirmat, hoc eſt corpus Chriſti: temere populus amen reſpõdet, hoc eſt, verum eſt: cũ omnino quid hoc ſit, neſciãt, quoniam merita omnium tam ſua quàm cæterorum cuncti ignorant. Sed abſit hoc vt totius Eccleſiæ religioſa confeſsio vllatenus ſit reprehenſibilis. Confidenter igitur credat & dicat vnuſquiſque etiam ſi ſe fateatur indignum, Chriſti corpus eſſe quòd accipit. Huc accedit, quòd ſacerdos plerunque indigniſsimus miſſam celebrat, ſolúſque id quod cõſecratũ eſt, totum ſumit. Si ergo id quod ſumpturus erat indigniſsimus iſte propter ipſum immutabile remanſit: quoniam totũ ſumpturus erat, nihil de pane & vino in carnẽ & ſanguinẽ Chriſti immutatũ eſt. Si autem propter indignum presbyterum nihil de pane & vino mutatum eſt: præualuit igitur (quod abſit) iniquitas ſacerdotis verbis Domini ſaluatoris, falſa eſt etiã & fides Eccleſiæ, quæ & per bonos & per malos miniſtros verba Domini credit æqualiter operari. Sed abſit à cunctis fidelibus hoc, vt iniquitas hominis verba ſaluatoris infirmare poſſe credatur. Abſit vt Eccleſię fides falſa ſit, quæ ſola apud Deum laudabilis eſt, quæ & per bonos & malos miniſtros verba Chriſti æqualiter operatoria credit. Nõ igitur quod ſumpturus erat indigniſſimus presbyter, propter ipſum immutabile remanſit. Cũ ergo totum quod conſecratũ eſt ſumat: carnem & ſanguinẽ Chriſti presbyter indigniſsimus comedit & bibit. Quòd ſi ita eſt, imò quia verè ita eſt: fruſtra dicitur, partẽ panis & vini immutabilem remanere propter indignos. Quamobrem ſileatur huiuſmodi ſemper humana ſuſpitio: & id tantũ quod nobis commẽdatur

Siue per bonos ſiue per malos miniſt. Chriſti uerba æqualiter operãtur.

in ipſo

Verba ſ. Canonis. in ipſo Canone miſſæ teneamus. Nā illic ita ſcriptum eſt: Quā oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq́ facere digneris: vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui: Nō hic dicitur, vt pars eius fiat corpus & ſanguis. Nec Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cùm dixiſſet, manducate ex hoc omnes, addidit, pars enim eius eſt corpus meum: ſed id tātum, hoc eſt enim corpus meum.

Illud ſanè extremū, quis vel mediocriter eruditus ſolo auditu nō perhorreat: quòd videlicet caro & ſanguis Domini propter indignos in panem reuertantur & vinū? Caro quippe & ſanguis Domini incorruptibilis eſt. Quod autē incorruptibile eſt, nec corrūpitur, nec corrūpi poteſt. At eſſentiam ſuā perdere, & in panē corruptibilē ac vinū corruptibile reuerti, iſta quidē magna corruptio eſt: Igitur caro & ſanguis Domini, in panē & vinū iam reuerti nō poteſt. Quapropter & hic error ſepeliatur ęterno ſilētio. Caueāt verò vtrique *Leuit.10.* iſti alienum ignem afferre circa diuina altaria, ne moriātur coram Domino. Caueāt etiam trāſgredi terminos patrum ſuorum, quos poſuerūt ſibi. *Prou.22.* Multi quippe cibi, vt Salomon ait, in noualibus *Prou.13.* patrum: alij abſque iudicio cōgregātur. Huiuſmodi verò doctrinarum cibi in noualibus patrum nō poſſunt inueniri. Igitur abſque iudicio cōgregātur.

ROGERIVS. Inquātum perpēdere valeo, omnia te ratione firmiſsima video proſecutum.

GVITMVNDVS. Vt igitur ad quid totus ſermo noſter profecerit, breuiter oſtendamus, quoniam ſacrificium noſtrum nec vmbra tantùm vel figura carnis & ſanguinis Chriſti eſſe, nec Chriſtum

ſtum intra ſe impanatum tegere iuxta Berengarium poteſt, neq; verò ſubſtãtiam panis & vini ex parte mutari, & ex parte nõ mutatam permanere veritas patitur: Neque poſt mutationem in id quod fuerat reuerti, aut in aliud quicquã mutari iam vltra fas eſt. Reſtat vt hæc tantum ſit Deo iuuãte mera & ſolida fides, vt totus ille panis & totum illud vinum altaris dominici, ita per diuinam cõſecrationem ſubſtantialiter commutentur in carnem & ſanguinẽ Chriſti: vt poſtea iam in æternum aliud nihil omnino, quàm caro & ſanguis ſaluatoris Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti eſſe poſsint. Cui pro tãta charitate gratias referamus æternas: regnanti cum Deo patre & ſpiritu ſancto, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM D. GVITMVNDI ARCHIEPISCOPI

de ſancta Trinitate, Chriſti humanitate, corporiſq; ac ſanguinis Domini noſtri veritate, confeſſio.

QVoties Deum cogitare volumus, minus vtique volumus quàm debeamus: nec tamẽ tantũ valemus, quantum volumus: quanto minus igitur quantum debemus? Quòd ſi humanę mentis cogitatio interior debitum ſuũ quomodo ſoluat non inuenit: ipſe oris

ſermo

ſermo exterior quid perſoluit? Verum dilectiſsime frater Roberte, & ſi pater noſter in corde noſtro ſicut deceret non agnoſcit verbum ſuũ: nos tamen quaſi paruuli ſub vbere vel balbutiendo oſtẽdamus ei affectum noſtrũ. Quoniã itaq; ſcri-

Rom. 10. ptum eſt, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem: liquet omnino, quoniã quàmuis in corde fides recta teneatur quæ iuſtificet, pernecesſaria eſt tamen in ore cõfeſsio quæ nos ſaluet. Sed quid de Deo ille pronũtiabit: qui diſtortum aliquid, aut fortaſſe nihil adhuc inde cogitauit. Quorum alterum æternæ damnationis ſacrilegium, alterum verò, ſi ille quicunq; eſt iam ratione vtitur, mortiferi ſomni eſt indiciũ. Vigilet ergo cor chriſtiani in fidei ſuæ cogitatione, vt ſi neceſſe fuerit, ſciat aperire os in confeſſione. Hæc perpaucis prælibauimus, vt quàm neceſſaria ſit fidei ſcientia & confeſsio oſtendentes, ad eiuſdẽ fidei tractatum Domino adiuuante licentius veniremus.

De ſacroſanctæ diuinitatis vnitate & trinitate.

CRedo Sacroſanctæ diuinitatis æternam vnitatem: credo in eadem vnitate coæternã trinitatem. Creator etenim omniũ vnus eſt Deus: trinus autem, quia pater eſt, & filius, & ſpiritus ſanctus. Non dico quòd idem ipſe ſit pater, & filius, & ſpiritus ſanctus: ſed dico quòd idẽ ipſum eſt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Cùm dico ipſe, oſtendo perſonam quæ eſt pater, vel filius, vel ſpiritus ſanctus: cùm verò dico ipſum, oſtendo ſubſtantiam quæ eſt Deus. Creditur itaq; per ſingulos alia perſona, ſed non creditur in tribus niſi vna ſubſtantia.

Suma-

Sumamus nũc aliquod exemplum inter nos, per quod aliquantulum valeamus aſcendere ſuper nos. Videmus aliquem hominem filium genuiſſe, videmus eum patrẽ filij eſſe. Si igitur à me quæras quid ſit ille pater qui genuit filium: reſpondeo, homo. Si quæras quid ſit filius, reſpondeo, homo. Cùm dixi homo, ſubſtantiam patris & filij indicaui. Vides igitur quia eadem ſubſtãtia eſt patris hominis, & filij hominis. Si enim diceretur, pater homo, & filius equus: quis aliud quã monſtrum, aut horrendum aliquid cogitare poſſet? Mox enim vt à me patris & filij diuerſas ſubſtantias audires: aut iocari, aut inſanire potius quàm veritatem dicere me non dubitares. Sed ſi iterum quæras quis eſt ille: dico, pater illius eſt. Si quęras de filio, quis eſt ille: dico, filius illius eſt. Vides chariſsime quia in perſonis diuerſa nomina poſui quæ ſunt pater & filius: in ſubſtãtia verò vnum nomen oſtendi, quod eſt homo. Quòd in homine vides, hoc in multis creaturis videre potes. Si igitur in creaturis vt in vna ſubſtantia ſint plures perſonæ, & in pluribus perſonis vna ſubſtantia natura poſtulat, & Deus hoc facit: quanto magis in Deo qui omnia creauit? Verúmne creatori creaturã coæquamus? Abſit. Quàmuis enim in creaturis de patre dicam quia homo eſt, & de filio quia homo eſt, & ita patris & filij vna ſubſtantia eſt: tamen iterũ dico, quia pater homo, & filius homo duo homines ſunt. De Deo autẽ, valde aliter. Sic nãq; dico de patre, quia Deus eſt: & de filio quia Deus eſt, & de ſpiritu ſ. quia Deus eſt: vt nulli tamen credere liceat, quòd tres Dij ſunt. Iam nunc annuẽte eo de quo loquimur, de eadẽ Trinitate aliquid apertius loquamur. Creata cõ-

ſideremus, & in creaturis creatorem admirãtes laudemus. Cœlum itaq; terram, mare & quæ in eis ſunt videmus: & hæc omnia creaſſe vnũ Deũ corde retinemus, ore confitemur. Hæc tanta, & tam multa, & tam admiranda ineffabili prorſus ſapientia condidit: quam ipſe non fecit, nec creauit, ſed genuit. Quẽadmodũ enim in anima noſtra videmus quoniã ipſa gignit conſiliũ ſuum, & illud conſilium quaſi proles eſt animæ quod apud ſe habet, & per illud omnia exteriora operatur: ita Deus quomodo Deũ decet ſapientiam ſuã de ſeipſo genuit, per quã oĩa quæcunq; ſunt, ab eo facta ſunt, & diſponuntur. Hæc igitur eſt ſapientia Dei filius, Deus de Deo genitus: de quo patri Deo dicitur: Omnia in ſapiẽtia feciſti. Sed quid Deus per ſapientiã ſuam faceret, ſi eandem ſapientiã ipſe non diligeret? Aut quid in illa diligeret, ſi & ipſa eum à quo genita eſt ſimiliter non amaret? Cõſtat igitur quia à patre procedit amor ad filiũ, & à filio procedit ad patrem ſuum. Iſte amor eſt ſpiritus ſanctus, qui ab vtroque ita procedit, vt ſemper in vtroq; maneat: & ita ſemper in vtroq; manet, vt ab vtroq; ſemper procedat. Coæternus autem eſt patri filius, quia pater ſine ſapientia ſua nunquam fuit: Coæternus patri & filio ſpiritus ſanctus, quia vtrorumq; vnam ſubſtantiã ipſe amor inſeparabilis qui eſt eadem ſubſtantia, ſemper vniuit. Totũ autẽ ſe ſapit pater, & totum ſe diligit quicquid eſt: tanta eſt igitur ſapientia ſua, & tanta charitas quantus ipſe eſt. Æqualis eſt ergo patri filius & ſpiritus ſanctus. Quod ſi de patris volumus ſubſtãtia cogitare quid ſit, prius de eius ſapiẽtia cogitemus quãtũ poſſumus quid & ipſa ſit. Ipſa enĩ eſt quę dixit: Nemo

Chriſtus ſapientia patris, per quam omnia cõdidit.

Spiritus ſanctus eſt amor patris ad filium, & filij in patrem.

Nemo venit ad patrẽ niſi per me. Et, Qui videt me, videt & patrẽ meũ. In ſapiẽtia itaq; nec latitudinem nec longitudinẽ, nec rotunditatem, nec vllam quantitatẽ, aut qualitatem videmus. Non in ea diuerſorum membrorum quemadmodum in corpore noſtro diſtinctiones inuenimus. Nihil igitur corporale, in ſapiẽtiæ eſſentia inuenitur, ſed totũ eſt ſpiritus, quicquid de ea rectè cogitatur. Errãt igitur vehemẽter qui Deo patri figuram hominis tribuunt, quia qualis eſt filius, talem vtiq; patrem & ſpiritum ſanctum, qui non credunt, deſipiunt. Iſte autẽ pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, vbiq; eſt totus, vnus Deus, vbique incircunſcriptus, vbique indiuiſus. Quòd vt aliquantulũ intelligamus, diligentius attendamus. Ponamus itaq; coram nobis aliquod minutiſsimum corpus, vel ipſam vngulam noſtram, quæ præſto eſt aſpiciamus, & in ipſa quomodo Deus totus ſit videamus ſi poſſumus, ſi videre nõ poſſumus, credamus. Video in vngula mea quinq;, Superiora, inferiora, dextra & ſiniſtra, & media, hæc omnia per ſapientiam ſuam Deus iam fecit: & modo etiam vt ſubſiſtãt, diſponit. Non eſt autem ſapiẽtiæ Dei pars dextro vngulę lateri, & altera ſiniſtro lateri, & alia ſuperiori, atq; àlia inferiori vngulæ eiuſdẽ præſens eſt parti, & alia medietati: ſed ſicut tota omnia operatur, ſic tota præſens eſt omnibus. Eius enim præſentia non localiter, ſed potẽtialiter eſt æſtimãda. Quę quoniã eadem hora & eodẽ momento quo iſta facit etiã cætera omnia prout ſibi voluntas eſt, diſponit, præſentẽ ſe vtiq; ſemper & ſimul & in omnibus oſtendit. Quod de ſapientia, id eſt, de filio vidimus, hoc de patre, hoc de ſpiritu ſancto ſentia-

mus:quia eos inſeparabiles eſſe omnino neceſſe eſt vt credamus. Ad imaginem Dei quę eſt anima noſtra redeamus, & in ipſa ſi poſsibile fuerit trinitatem in vnitate videamus. Anima noſtra, ſpiritus vtiq; non corpus eſt. Quæ habet in ſe & de ſe, id eſt, de ſubſtãtia ſua tria, Intellectum, memoriam, voluntatem. Horum ſingula in omnibus, & omnia in ſingulis ſunt. Singula in omnibus ſunt: quia intellectus intelligit ſeipſum, intelligit memoriam ſuam, intelligit volũtatem ſuã. Ecce intellectus in memoria, & in voluntate eſt. Memoria recolit ſeipſam, & intellectũ ſuum, & volũtatem ſuã. Volũtas vult, id eſt, diligit ſeipſam, & intellectum ſuum, & memoriã ſuam. Ita ſunt in omnibus. Omnia verò ſunt in ſingulis, quia eadem ratione, intellectus, memoria & volũtas, omnia ſimul in vno ſunt. Et hęc nõ niſi vna ſubſtantia ſunt, quæ eſt anima. Dicamus igitur ſimiliter de patre, & filio, & ſpiritu ſancto. Pater vita eſt, filius ſapientia, ſpiritus ſanctus charitas. Vita itaq; viuit, & ſapientia viuit, & charitas viuit. Sapiẽtia ſapit, & vita ſapit, & charitas ſapit. Charitas diligit, & vita diligit, & ſapientia diligit. Et hæc tria non niſi vna ſubſtantia, quod eſt Deus.

Trinitatis ſimulachrum in anima noſtra.

CAuendum eſt tamẽ ne vel animam noſtram Deo noſtro æquare velimus: ne forte dum eius ſimilitudinem ſupra nos appetimus, ab hoc quod per eum ſumus, decidamus. Sicut igitur in opere imaginem vidimus operantis: ſic iterum videamus quod factum eſt quantum diſtet ab eo qui cõdidit. In anima quippe & intellectus, memoria, voluntas, vna ſubſtãtia eſt, quæ mens vocatur: nõ tamen intellectus eſt memoria vel voluntas, neq; memoria eſt intellectus, vel volũtas, neque

neq; volũtas memoria,vel intellectus. Aliud eſt enim in anima præteritorum meminiſſe, aliud pręſentia intelligere:& aliud quod meminerit,& quod intellexerit, velle. Vnde intelligitur plus eſſe in anima tria hęc,intelligere,meminiſſe,velle:quàm ſolùm velle,vel ſolùm intelligere, vel ſolùm meminiſſe. Intellectus enim intelligit ſibi, & memoriæ,& voluntati: memoria recolit ſibi, & intellectui,& voluntati. Voluntas autem vult ſibi,& memorię,& intellectui. In Deo autem qui omnino ſimplex eſt natura, non eſt aliud viuere, aliud ſcire,aliud diligere:nec plus tria hæc quàm vnum, nec vnũ minus quàm tria credimus eſſe. Quod ita poteſt intelligi. Pater eſt viuens, filius ſapiens,ſpiritus ſanctus diligẽs. Et pater viuens, ſapiẽs,diligẽs. Et ſingulus quiſq; itidem. Quoniã verò Deus omnino ſimplex eſt natura, ſic viuẽs, vt ſit vita, ſic ſapiens, vt ſit ſapientia, ſic diligẽs, vt ſit dilectio,ſingulus quiſque autem Deus, ſingulus quiſq; igitur vita, ſapientia & dilectio. Inconſequens autem eſt credere in ſimplici natura aliud eſſe vitam,aliud ſapiẽtiam, aliud dilectionem. Redigamus igitur hæc tria ad vnum, & dicamus: Pater & filius & ſpiritus ſanctus vita, vel ſapiẽtia, vel dilectio. Ergo manifeſtũ eſt non plus eſſe tria quàm vnum, nec minus vnũ quàm tria. Vidẽdum eſt tamen ne confundamus perſonas. Ita enim eſt pater ſapientia vel dilectio, vt tamẽ filius ſit ſapientia patris,& ſpiritus ſanctus dilectio patris & filij. Hic oritur quæſtio difficilis. Si enim pater ſapiẽs,& filius ſapiẽtia,quęritur vtrum ſit ſapiens ſapientia ſua, quæ eſt filius ſuus. Omnis enim ſapiẽs,ſapiẽtia ſapiens eſt. Ad quod ita reſpõdetur: Deo hoc eſt ſapiẽtia, quod

eſt eſſentia. Si igitur pater à filio ſuo ſapiens eſt: à filio habet ſapientiam. Ab ipſo ergo & eſſentiã. Pater igitur à filio, nõ filius à patre. Atqui pater non eſt à filio, Non igitur ſapientiã habet à filio. Quod ſimiliter diſſeritur de ſpiritu ſancto, qui dilectio eſt vtrorumq; . Credendum eſt ergo quia pater perfecta vita eſt, & ſapiẽtia, & dilectio à ſeipſo: Et filius perfecta vita, & ſapientia, & dilectio eſt à patre ſuo: & ſpiritus ſanctus hoc idem à patre & filio. Hãc trinam vnitatẽ, & vnã trinitatem, Adam ante peccatũ incorrupta imagine Dei anima ſua, lucidè intellexit, quã lucem peccatum commiſſum obſcurauit. Peccauit autem hominis anima voluntate: corpus opere. Vtrũq; igitur mortuũ eſt, quia ab vtroq; peccatũ commiſſum eſt. Quoniã verò mortuus eſt homo per inſipientiã, oportuit eum viuificari per ſapientiam. Incarnata eſt igitur Dei ſapientia, vt deleretur hominis inſipientia. Sed inſipientia hominis animam rationalem & corpus occidit: Dei verò ſapiẽtiã, id eſt, filius, & animam rationalẽ & corpus aſſumpſit. Et ſicut ille ſine peccato de immaculata terra factus eſt: ita iſte ſine peccato de incorrupta virgine natus eſt: Aſſumpſit autem ita Deus hominem, vt nec Deus in hominem mutaretur, nec homo abſorberetur in Deum. Si enim Deus in hominẽ mutaretur, iã nõ eſſet Deus, ſed homo ſolus: & ideo nõ adiuuaret. Si verò homo abſorberetur in Deum, iam non homo, ſed Deus ſolus: & ideo mori non poſſet. Mori autem, cùm aliæ multæ rationes quibus non redimeret ſuppeteret, voluit: vt & diabolũ iuſtitia magis quàm potentia vinceret. Iuſtum enim erat, vt qui hominem vicerat, ab homine vinceretur: & nobis, quanta

Homo qui per inſipientiam mortuus erat, per Chriſtum ſapientiã uiuificari debuit de humanitate Chriſti.

Cur Deus per mortẽ nos ſaluare uoluerit.

quanta charitate reducat nos, oſtenderet. Hinc eſt quod de ſpiritu ſancto cõceptus dicitur, quia ſpiritus ſanctus charitas eſt, & totum hoc myſterium charitas operata eſt. Factus itaq; homo eſt cum Deo vna perſona: ſed conſeruata eſt vtrique propria ſubſtantia. Homo iſte ſine peccato vixit, vt vinceret diabolum, & dolores ſuſtinuit, vt deleret hominis peccatũ. Miracula fecit, quia Deus erat: mortuus eſt, quia homo erat. Seipſum mortuum ſuſcitauit, vt Deus crederetur: in carne palpabili poſtea apparuit, ne homo eſſe dubitaretur. Corpus quidem in cruce mortuũ, in lapide ſepeliri permiſit, anima verò viua cum Deo permanens, in infernum, nõ vt pateretur, ſed vt dominaretur, deſcendit, quę liberatis inde quos dignos iudicauerat, cæteris verò dimiſsis, corpus ſuũ tertia die reſumpſit. Reſuſcitato autem corpore, cum diſcipulis, non continuè, ſed certis vicibus apparens, & etiam comedens, quadraginta diebus manſit. Quadrageſimo die, vidẽtibus illis cœlos aſcendit. Quòd verò poſt reſurrectionem comedit, nõ indigentia, ſed argumentũ manifeſtæ reſurrectionis fuit. Regnat itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria patris, vẽturus ad iudicium omnibus in manifeſtatione carnis: reprobos traditurus æternis tormentis: electis ſe oſtenſurus in perpetuis gaudijs, in quibus nos regnemus per æuum, & cum ipſo Domino Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorũ, Amen.

De Corpore & Sanguine Domini.

INterim autem dum ab eo in hoc mũdo peregrinamur, corpore & ſanguine eius in via paſcimur: ſicut Apoſtolis ſuis hoc myſteriũ in cœna

vltima ante mortem ſuam tradidit, & nobis ſequentibus frequentãdum per eos mãdauit. Adhibenda eſt ergo fides dominicis verbis: quibus dicit, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Omni ergo execrata dubitatione, ſicut credimus, quia vnigenitus Deus, coęternus Deo patri filius verè in carne noſtra natus, verè mortuus, verè reſurrexit, verè in cœlum aſcendit, verè ſedet ad dexteram patris ſui: ita indubitanter credamus, quia corpus eius & ſanguinem verum & integrum in altari poſt conſecrationem mãducamus. Verum, inquã, corpus dominicum & integrum, quod & totum in patris dextera ſedens gloriatur, & totum de ſacerdotis manibus ſumitur, & ſi per partes quaſi frangatur, in vnaquaque tamen parte, quàmuis minutiſsima, totum & integrum habetur. & ſi eadem hora, & eodem momento, mille ſacerdotes hoc myſterium operantur, in ſingulorum tamen manibus corpus Chriſti totum & integrũ conſecratur, à ſingulis totum & integrum ſumitur.

In ſingulis particulis hoſtiæ & in oĩbus miſsis, totũ et integrũ Chriſti corp⁹.

Hic quæri poteſt, cur myſterium, vel ſacramẽtum, vel etiam figura hæc conſecratio dicitur, ſi ipſa res & ipſa veritas eſt: & nihil aliud per hoc ſignificatur. Ad quod ego reſpõdeo, quia & myſterium eſt, quia aliquid myſticum portat: & ſacramentum, quia ſacrũ aliquid intelligẽdum intra ſe occultat: & figura, quia excepto hoc quod corporaliter agitur, ſpirituale aliud valde neceſſarium figurat. Myſticum enim & ſacrum, & ſpirituale, per hoc myſteriũ figuratur: quoniam ſicut nos oẽs Chriſti corpus corporaliter ſumimus, ita nos ipſi eius corpus ſpiritualiter viuendo effici debemus: non illud corpus, quod verbũ Dei

Chriſti corpus cur myſteriũ, ſacramentũ uel figura dicatur.

in perſona ſua aſſumpſit & dominicum dicitur, ſed quod in ſcripturis ſanctis Eccleſia vocatur. de quo Paulus dicit: Ipſe eſt caput noſtrū, & nos membra eius. Hinc eſt enim quod de pane & vino ſacramentum iſtud conficitur. Panis enim ex multis granis vnus efficitur, & vinū ex multis vinacijs in vnū liquatur. Similiter & nos ex multis granis vnum corpus efficimur, de corpore & ſanguine domini bene viuendo, & credendo catholica fide reficimur. Vnde & per Paulum dicitur: Vnus panis ſumus omnes. His itaq; & alijs ſi plures ſunt ſignificationibus conſeruatis, cōſeruetur etiam fides, qua Domini corpus ipſum verum non qualitatiuè, ſed ſubſtātialiter creditur: vt quod ipſa veritas omnino verum eſſe teſtatur, noſtra fallacia falſum, aut imaginarium eſſe non opinetur. Hoc corpus ſi indignè ſumitur, (indigne autē tunc ſumitur, ſi in mortiferis peccatis maneat anima, & cum ipſis accipitur) omnino ibi iudicium manducatur & bibitur. Cùm verò dignè inquantum poteſt humana fragilitas per gratiam Dei ſuſcipitur, abſq; dubio per hoc ſacramentum anima noſtra vitam æternam cōſequitur: quæ verè nobis à Domino noſtro Ieſu Chriſto per eius corpus & ſanguinem concedatur in perenni ſeculo, Amen.

Vixit tẽpore D. Bernardi.

EX EPISTOLA PETRI VENER. ABBATIS CLVNIACEN. ad Alberonem Epiſcopum Leodienſem de D. Algero.

QVando Leodiẽſis Eccleſiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Algerum Canonicum magnumq́; ſuo tempore magiſtrum, humilitatis diſcipulum, & vt ipſi qui vidimus atteſtamur, verũ monachum fecit? Hic, cuius vix memoriam ſine lachrymis facio, humilitate, puritate, vitæ totius ſynceritate (ſecundum meum iudicium) lõgè alios exuperans, ita meo tẽpore apud nos vixit, tantum benignè & ſanctè conuerſatus eſt: vt licet à nobis carne receſſerit, ſpiritu tamen & memoria ſingulari nobiſcum ſemper, dum viuimus non eſſe non poßit. Qui et libros de ſacramento altaris, autoritatibus ſanctorũ patrum inuincibiliter communitos, nobis et fidei ſuæ inſigne teſtimonium, & contra quorundam modernorum vel imperitiam, vel errorem, ſingulare præſidium dereliquit, etc.

Vide eundem D. Petrum Cluniacenſem infra poſt Algerum ſecunda pagina.

DIVI ALGERI

QVONDAM EX CANONICO & Scholaſtico Leodienſi, Monachi & Presbyteri Cluniacenſis monaſterij, de veritate corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia, cum refutatione diuerſarum circa hoc hæreſeon, opus pium iuxta ac doctum.

R. IN CHRISTO PATRI *ac D. D. Balthaſari Epiſcopo Hildeſimmenſi, patrono ſuo cum primis colendo,*

ERASMVS ROTEROD. S. D.

SCio quidem parùm eſſe ciuile, Præſul clariſsime, tot negociorum vndis circumuallatum interpellare: ſed cùm tua pietas tanto ſtudio cauſam agat Eccleſiæ, non erit vt arbitror moleſtum hoc interpellari negocio, quod ad Eccleſiæ tum concordiam, tum dignitatem cum primis pertinet. Nihil enim habet illa ſublimius, quã quòd per corporis & ſanguinis Dominici fit, etiam iuxta naturam ac ſubſtantiam vnum cum Chriſto, & quodammodo in Deum transformatur: nihil autem ad perfectam indiſſolubilémque concordiam efficatius, quàm quod eodem corpore veſcens, eundem ſanguinem bibens, per eundem

eundem ſpiritum in vnum corpus redigitur, & Chriſto capiti viuo viua connectitur. Et tamen videmus artificio Satanæ factum, vt ea res quæ conciliandis omnibus data fuerat, tot diſsidia olim genuerit, nuper renouarit: dum alij negant quicquam eſſe in Euchariſtia præter ſymbola corporis & ſanguinis Dominici: alij fatentur ibi Chriſtum verè adeſſe, ſed ſub panis viniꝗ ſubſtã-tia. Rurſus erant qui dicerent per verba conſecrantia perire panis ac vini ſubſtantiã, & ſuccedere corpus & ſanguinem Domini. Alij Chriſtũ faciunt impanatũ & inuinatum, quaſi parũ ſit ſemel fuiſſe incarnatũ. Extiterunt & ſuo cognomine digni Stercoraniſtæ, Græcia nobis miſit Fermentarios, Succeſsit rixa de ſumendo ſub vtraꝗ ſpecie, qua tamen in re Pontificum autoritas variauit. Gelaſius enim cẽſuit ab vtraꝗ ſubmouendos, qui ſub vna tãtum ſpecie ſumi volebant ſynaxim. Extiterunt qui cõtenderent ab impio ſacerdote nihil cõfici, nec ab impijs ſumi verũ corpus. Et tamẽ omniũ horũ error, in hoc profecit: vt in tãti myſterij cognitionem magis ac magis tum erudita, tum confirmata ſit Eccleſia. Nulli tamen plus debet quàm Berengario, imò nõ Berengario, ſed Chriſti ſapiẽtiæ: qui malitiam hominũ vertit in bonũ ſponſę ſuæ. Quos & qualiũ virorũ calamos excitauit impudẽs error Berẽgarij? Nuper exijt opus Guitmũdi ex monacho Benedictino Epiſcopi Auerſenſis: Nũc prodit Algerus ex Canonico & ſcholaſtico Leodiẽſi monachus eiuſdẽ inſtituti. Guitmundus acrior eſt & ardentior, ac plus habet ſpiritus rethorici: hic ſedatior eſt & religioſior, vterꝗ tũ dialectices, tum reliquę philoſophię bellè peritus: licet citra oſtẽ-

Guitmundus. *Algerus.*

tationem

tationẽ, vterq; in Canonicis ſcripturis, ac priſcis illis doctoribus Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Baſilio, Chryſoſtomo, quorũ ſcripta plurimum adhuc referũt ſpiritus Apoſtolici, ſtudioſe verſatus. Vterq; tãtum habet eloquentiæ, quantũ à theologo requirere par eſt. Certè dictionis argutiam, & collectionis acumen nuſquã in eis deſideres. Agũt ſolidis rationibus, nec, vt nunc quidã faciũt, bonam voluminis partem, rixis & conuitijs occupãt, aut ſophiſticis ratiunculis rẽ tractãt. Et tamen hos tales viros apparet ante Bonauẽturæ, Thomę, Scoti, Alberti magni, atq; etiã Petri Lombardi, tempora floruiſſe. Ac recentiores quidam vt plus iactant Ariſtotelicę philoſophię, ita phraſin habẽt aridiorem, nimirũ Ariſtotelem ſuũ imitati: qui tamen ſic neglexit affectus & ornamenta dictionis, vt ſummam pręſtiterit elegantiã, quod idem hi non potuerunt. At neſcio quo pacto mihi decere videtur, vt in myſterijs explicãdis adſit quædam orationis dignitas, nec abſit affectus. Ita demum fit, vt lector nõ ſolũ intelligat quòd à docto docetur, verum etiam amet quòd ab amante traditur. Ex Euangelio habemus: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, Ex Paulo habemus: Ego accepi à domino quod & tradidi vobis etc. Et qui ederit ac biberit indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Hoc nobis eſt immobile fundamentũ. Ac priſci quidam Eccleſię doctores, interim obſcurius, interim variè, ne dicã diuerſe, loqui vidẽtur de hoc ſacramẽto. Obſcuritas vel ineffabili huius myſterij profunditati tribuenda eſt, vel illorum cautioni: qui loquẽtes frequẽter apud multitudinem ex Iudæis gẽtibus & chri-

& chriſtianis permixtam, noluerunt ſanctū dare canibus. Varietas hinc nata eſt, quòd interdum ipſæ ſpecies ſacramētales dicuntur ſymbola, interdum ipſa ſumptio ſymbolum dicitur: poſtremo corpus ipſum ſui alteriúſve rei ſymbolum nonnunquā appellatur. Quoniam autem ſub illis ſignis latet corpus dominicū: Kata ſynecdochen quod in ſpecies cōpetit corpori tribuitur, veluti frangi, atteriq́ꝫ. Tum quoniā ibi conſecratur corpus, ſubſtantia quidem idem quod pependit in cruce, ſed non idem qualitate, nimirū iam glorificatū & ſpirituale: ſibi parum attentis pugnare videntur antiqui, ſi quando dicunt corpus idem & non idem, quū reuera nulla ſit pugnantia. Poſtremo corpus Chriſti nonnunquā dicitur naturale quod ſumpſit ex virgine, nonnunquam myſticum, quod eſt Eccleſia: quę res præbuit anſam oſcitanti lectori vt diuerſa loqui videantur. Cum igitur tam euidens habeamus à Chriſto & Paulo teſtimoniū, quum per hos viros euidētiſſimè declaratum ſit, priſcos, quibus nō ſine cauſa tantum autoritatis tribuit Eccleſia, concorditer ſenſiſſe in Euchariſtia eſſe veram ſubſtantiā corporis & ſangninis dominici, Quum his omnibus acceſſerit ſynodorū conſtans autoritas, tantúſqꝫ populi chriſtiani conſenſus: ſimus & nos cōcordes in tam cœleſti myſterio, & hic ſub ænigmate edamus de pane & calice Domini, donec aliter edamus ac bibamus in regno Dei. Vtinā autem qui Berengariū ſecuti ſunt errantem, ſequātur & pœnitentē: atqꝫ horum etiam error Eccleſiæ cedat feliciter. Exiſtunt circa hoc ſacramentum innumeræ quęſtiones, quomodo fiat tranſſubſtantiatio, quomodo ſubſiſtant accidētia abſqꝫ ſubiecto, quo-

cto,quomodo colorem,odorẽ,ſaporem,ac vim etiã ſaturandi,inebriandi,nutriendiq́ retineant, quam habebat nondum conſecratus panis ac vinum,quo momento incipiat eſſe corpus & ſanguis Domini , quando deſinat eſſe ſubſtantia corporis & ſanguinis, & an corruptis ſpeciebus ſuccedat & alia ſubſtantia, quomodo idem corpus ſit locis innumeris,quomodo iuſtũ hominis corpus ſit ſub tantillo fragmento panis:aliæq́ permultæ, quas inter eos ſobriè tractari cõuenit qui ſenſus habẽt exercitatos. Vulgo ſatis eſt credere poſt conſecrationem illic eſſe verum corpus & ſanguinem Domini : quod nec diuidi poteſt, nec lædi,nec vlli patet contumelię,quicquid acciderit ſpeciebus. Nam ſi corpus Domini proiectũ in cœnum aut in latrinam, aut in ventrẽ hominis demiſſum ſordidaretur : nulla re magis ſordidaretur,quàm quũ ab homine ſumitur criminibus inquinato. Chriſtianæ quidem religionis eſt ſpecies ſacramentales cũ omni tractare reuerentia:attamẽ quẽadmodũ Deus,qui iuxta naturã non minus eſt in cloacis,quàm in cœlis, nec lędi poteſt nec inquinari,ita nec corpus Domini glorificatum. Breuiter aduerſus omnes humanæ cogitationis ſcrupulos, occurrat nobis primum immẽſa Dei potẽtia,cui nihil impoſsibile,cui nihil nõ facile:deinde quã inæſtimabiles ſint dotes corporis glorificati, præcipuè Domini Ieſu. Supereſt igitur,vt quod ſufficienter perſuaſum eſt, dignè celebremus:& quod credimus,ipſa re nos credere declaremus. Quantã enim puritatẽ, quãtam reuerentiã ac tremorem requirat hoc terq́ quatérque adorandum myſterium : quis dignè verbis aſſequatur? Quis autem credat illos ex

animo

animo credere, qui dum hoc peragitur myſteriũ, in templo fabulãtes obambulãt, aut quod alicubi velut ex more fit, in foro pro tẽpli foribus ſtãt, ocioſis fabulis terentes tempus? Olim ille pœnitentiũ aut catechumenorũ locus erat. Quidã vix oſtẽſis myſterijs ſeſe proripiũt in popinam, templumq́ꝫ vacuum relinquunt. Quid hoc moris eſt? Dũ agitur ridicula fabula, manes donec audias, Valete & plaudite: & tam cœleſtis myſterij finem expectare non potes? Circunſtant menſam illam adorabũdi ſpiritus angelici, pręſens adeſt in quẽ tota cœleſtis militia gaudet proſpicere: & tu perinde quaſi ludicra res agatur, aut nauſeas oſcitáſq́ꝫ, aut garris aliquid, aut potas? Iã video morẽ apud pleroſq́ꝫ receptum, quem impiũ dicere fortaſſe non oportet, quod ab affectu quodam pio, licet humano, profectus videatur: ſed tamẽ præter veterem Eccleſiæ conſuetudinem, parumq́ꝫ congruenter inductus eſt. Dum peragitur conſecrationis myſterium, chorus virgini matri cantiunculam occinit, cum verboſa precatione. An congruit ipſo filio præſente matrem appellare? Atqui ſi priſcum Eccleſiæ morem ſeruare velimus, id temporis nulla vox audiebatur in toto templo: ſed populus in terrã pronus, tacitis affectibus gratias agebat Deo patri, qui filium ſuum in mortem tradiderit pro ſalute generis humani. Huc nimirũ hortatur ſacerdos, quũ alloquens populũ dicit: Surſum corda: Gratias agamus domino Deo noſtro. Nam ineffabilibus myſterijs nulla res magis conuenit quàm ſilentiũ, nec alio modo dignius laudatur ſtupenda domini Ieſu in nos charitas, quàm illo loquaciſsimo ſilẽtio: dũ ſilente vocum humanarũ ſtrepitu, ſubmiſſo corpore,

pore, mens erecta ſoli Deo loquitur. Vt autẽ populus pro dignitate veneretur hoc myſteriũ, non parum habet momenti vita ſacerdotum. Olim quum maximè floreret Eccleſia, non nouerat niſi vnicum ſacrum, quod ſolus Epiſcopus peragebat. Turbam ſacrificorum primum religio, mox etiam quæſtus inuitauit. Deniq; res eo deuenit, vt multi non alio animo diſcãt ſacrificare, quàm quiuis è plebe diſcit opificiũ, alius ſutoriã, alius cemẽtariam, alius veſtiariã. His Miſſa nihil aliud eſt quàm viaticũ. Par quidẽ eſt, vt qui altari deſeruit, ex altari viuat, ab hoc tamen myſterio decet procul abeſſe omnem ſpeciem cauponationis: & huius adorandæ functionis miniſtros oportet non geſticulationibus tantum, veſtibus, aut vocibus, ſed totius etiam vitæ tenore muneris ſui dignitati reſpondere. Immanè, quãta decet illos ſobrietas, quanta pudicitia, quãta puritas, quantus vulgariũ voluptatum contemptus, quantus diuinarũ literarũ amor? Quàm indecorum eſt ſacrificum mox à tali myſterio quod diei reliquum eſt cõpotationibus, prophanis fabulis, chartis, aliáve, venatibus aut ocioſis obambulationibus conſumere: nullam, aut minimã temporis portionem ſacrorũ lectioni voluminum, aut cœleſtiũ rerum contemplationi dare? Agnoſcãt ſacerdotes ſuæ profeſsionis ſublimitatẽ: quum adſtant altari, miniſtros habent angelos: hinc digreſsi quidam non grauantur eſſe ſodales infimæ fecis hominũ, ne quid dicam aſperius. Ne quæſo mores eorum qui functionem obeunt angelica dignitate maiorem, porrigant hæreticis anſam impiè ſentiendi de tam ineffabili myſterio: ſed honorificent miniſterium ſuũ, vt eos viciſsim ho-

norificet Dominus, tum apud homines, tũ apud patrem ſuum cœleſtẽ. Verum quid ego hæc? Efficatius huc adhortabũtur Algerus & Guitmũdus, quos ipſe me fateor ſummo cum animi fructu perlegiſſe. Equidem ante hac nunquam dubitaui de veritate corporis Dominici: ſed tamen neſcio quo pacto ex hac lectione mihi nõ parum & confirmata ſententia eſt, & aucta reuerentia. Hoc quicquid eſt laboris tibi dicatum eſſe volui Præſul ornatiſsime: vt eſſet quod teſtaretur clientem Eraſmũ optimi patroni ſui memorẽ eſſe, ac te viciſsim mei commonefaceret. Dominus proſperet ſanctiſsimos conatus tuos, in ſuam gloriam ac pietatis Chriſtianæ profectum.

Datum apud Friburgum Briſgoiæ,
Idibus Martijs Anno à Chri-
ſto nato M. D.
XXX.

DIVI ALGERI, IN LIBRVM DE SACRAMENTIS *Corporis & Sanguinis Dominici,*

PROLOGVS.

QVia ſancti de corpore & ſanguine Domini variè ſcribentes, aliquando de vniuerſo Chriſto, capite ſcilicet & mẽbris: aliquando nõ de vniuerſo, ſed vel de capite, vel de mẽbris loquũtur: aliquando cum ſacramẽto, aliquãdo ſine ſacramẽto: ſimplicibus (vt de re ineffabili non intellecta) erro-

res,plus autem quàm oportet ſapere volentibus gignuntur hæreſes:adeò,vt ſimplices niſi perfectius inſtructi,errando pereant:plus quàm oportet ſapiētes niſi correcti fuerint,docēdo & defendendo quod neſciūt,ſe & alios perdāt. Alij enim quod de membris dicitur, capiti adſcribunt: alij, quod de capite,membris imponunt: & de vtroq; vel alterutro tam confusè ſentiunt: vt, vel caput nimis humilient, vel mēbra nimis glorificent,& ſic nec quod verum nec quod dignum eſt vtrinq; dijudicent. Nec ſolū de veritate corporis Chriſti, ſed & de ſacramento ipſius varij errores, variæq; proueniunt hæreſes. Alij enim panem & vinum nō mutatum, ſed ſolùm ſacramentū,ſicut aquam baptiſmatis,vel oleum chriſmatis,corpus Chriſti non verè,ſed figuratè vocari dicūt:ſicut cū dicitur, Accipe veſtem candidā quā perferas ante tribunal Chriſti,nec tamē ipſam, ſed ab ipſa ſignificatā. Alij autē dicunt panē non ſolū ſacramētū:ſed in pane Chriſtū quaſi impanatū,ſicut Deū in carne perſonaliter incarnatū. Alij autē panē & vinū in carnem & ſanguinē mutari,ſed nō Chriſti,ſed cuiuſlibet filij hominis ſancti & Deo accepti,vt cōpleatur quod Chriſtus dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Alij autem gratiæ Dei derogantes,dicūt ſacerdotū malis meritis ita inuocationē diuini nominis annullari: vt eorū indigna cōſecratione nō debeat panis in Chriſti carnē conuerti. Alij verò mutari quidē in carnē Chriſti,ſed malis meritis ſumentium nō permanere carnem Chriſti,ſed iterū reuerti in purū ſacramētū panis & vini. Alij,quod eſt deterius, dicūt per comeſtionē in fœdæ digeſtionis cōuerti corruptionem.

Diuerſæ circa ſacramentū Euchariſtiæ hæreſes.

Ioan.6.

Quia ergo tot hæreſes, & ſi quæ ſunt aliæ, de Sacramẽto corporis & ſanguinis Chriſti pullulant: de veritate & virtute ipſius aſpirante diuina gratia, quanto fidelius potero abſoluam: non humana quidẽ ratione, quæ ab hoc nõ ſuppetit, ſed ipſius Chriſti ſanctorumq́ teſtimoniȷ́s, quibus Eccleſia roborata conſiſtit: à quibus quo firmius veram obtinet fidem, eo certius æternã aſ-
1. Cor. 2. ſequitur ſalutem. Non enim, vt ait Apoſtolus, in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis, ſed per ſtultitiã prædicationis placuit ſaluos facere credentes: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videtur enĩ ſtultũ, ſed ſtultis, Chriſtũ in ſpecie panis & vini, brutæ ſcilicet rei, præſentem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis, tantam maieſtatem contineri. Sed quis in Deo reprehẽdere debeat: quod in ipſo piũ, nobis autẽ eſt neceſſariũ? Cõgruere quidem nõ videtur eius dignitati, vt corruptibilis ſubſtãtia panis incorruptibile eius corpus fiat: Sed cõgruit noſtræ ſaluti, vt tali ſacramento pane angelorũ nos reficiat. Sapiẽtiſsime quidem, vt occulto myſterio fides exerceatur ad meritum: fortiſsimè autem, vt mens tali cibo roborata, hoſte deuicto, fortius nitatur ad regnũ. Sapientiſsimè, inquã, & fortiſsimè: vt tãti ſui operis de re minima & maxima nec cõprehendi poſsit potentia, nec artificium.
*mirabilia. Super omnia enim eſt*mirabile exiſtentẽ ſubſtãtiam panis, in coexiſtentem ſubſtantiam carnis ſuæ conuertere: quod eſt non videri, quod videtur non eſſe: ipſamq́ carnem cùm ſit localis, pręſentem in cœlo & in terra verè & ſubſtantialiter eſſe: & cùm verè caro comeſta, & ſanguis eius bi-

bitus

bitus fuerit à populo, ipſum tamen Chriſtum viuum & integrũ ſuo permanere in regno. Sed hæc rationi cæca, fidei ſunt manifeſta. Quòd ergo ex ſe Chriſtus tam mirabiliter, tamq́ salubriter dignatur pro nobis operari, nõ paruipendendũ, ſed iugiter à nobis venerandum eſt & colendũ: quia cùm potens ſit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & vini in ſuã conuertit ſubſtantiã: multo magis fideles ſuos ſub tãtæ ſpei imagine & virtute, in corporis ſui trãſfigurabit gloriam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiam. Vnde Auguſtinus: Myſteriũ veſtrum de mẽſa Domini accipitis: eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis. *Math. 3.*

De tam mirifico itaq; tamq́ neceſſario myſterio dicturus, prius fideles admonendos arbitror, vt quàmuis ſit incomprehenſibile, nõ tamen videatur incredibile: quia & ſi capaces non ſumus ad intelligendum, Deus vtiq; non eſt impotẽs ad peragendũ: qui, vt ait Pſalmiſta, omnia quęcunq; voluit fecit in cœlo & in terra. Penſare enim debet humana paruitas modum ſuum: vt quia non accepit vt magnalia Dei valeat comprehendere, nõ minus credat eſſe. Cùm enim homo creatura ſit, ſed excellẽs, ſicut præeſt quibuſdam creaturis ſuper quas factus eſt: ſic etiam quibuſdã nõdum æquatus, ſubeſt longè diſsimilius ei à quo factus eſt. Sicut enim lapidi datũ non eſt vt ſentiat, nec pecudi vt intelligat: ſic nondũ homini datũ eſt vt cum angelis Deum ſicut eſt videat. Cùm ergo nec ſentiatur à lapide, nec intelligatur à pecude cui præeſt: nunquid homo ſe minus eſſe intelligit, quia hoc ſuis inferioribus nõ innoteſcit? Sic igitur deus, qui incõprehenſibilẽ maieſtatẽ ſuam *Pſal. 113.*

beſtialibus ſenſibus, vel intellectibus humanis, ſicut res terrenas quaſlibet communiter non exhibet perceptibilẽ: nũquid à nobis longè ſuis inferioribus minus eſſe putãdus eſt, qui longè longius quàm noſtra inferiora noſtram comprehendere non poſſumus ſuam veritatem? Quãto enim ſenſu vel intellectu longè ſunt à nobis, quæ ſub nobis facta ſunt: tanto & incomparabiliter amplius longè ſumus ab eo qui nos fecit. Ex quo
Pſal. 48. enim homo cũ in honore eſſet non intellexit, & comparatus iumentis inſipiẽtibus ſimilis factus eſt eis: in corpore quidẽ beſtiales ſenſus recepit, quibus tantũ corporalia, nec illa etiam verè perfecteq; ſentiret: in mente verò ita hebetem intellectum habuit, vt parum corporalia, minus ſpiritualia diſcerneret. Non igitur decet, vt beſtiali ſenſu vel modico intellectu noſtro, quo nec terrena iſta ſcire ſufficimus immenſitatem diuinæ maieſtatis comprehendere velimus: cùm ipſi angeli, qui adhuc nobis ſuperiores ſunt, in eum de-
1. *Petr.* 1. ſiderent proſpicere, nec tamen immenſitatẽ eius maieſtatis valeant penetrare: quàmuis eum ſicut eſt, facie ad faciem contẽplentur, & eius manifeſta gloria ſatientur. Quæ enim creatura, cùm circunſcripta ſit, immenſum poſsit cõprehendere? Si enim aliquatenus cõprehendi poteſt, immẽſus
Rom. 12. non eſt. Vt ergo ait Apoſt. nõ plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ: & vnicuiq; ſicut diuiſit Deus menſuram fidei. Nõ enim omnia dat omnibus, ſed vnicuiq; proprium donum eſt à Deo. Quòd vt in membris Eccleſię cõgrua corporis noſtri probemus ſimilitudine, varijs membris varij ſenſus diſtribuuntur, per quos color oculis, ſonus auribus diſsimiliter ſentiun-

tur; &

tur:& ſic in cæteris. Vt igitur figuratè loquar, ſi viſus auditui varietatem colorũ, & viſui prædicaret auditus varietatẽ ſonorũ: nõne alterũ alteri credere oporteret in his quæ minimè ſentiret? Non enim deberet eſſe incredibile, quia ei eſſet incomprehenſibile. Nunquid enim minus ſunt quæ videntur, quàm quæ audiuntur, & econuerſo? Ecce oculus plauſtri motum videt, auris ſtridorem eius tarditate ſua non percipit. Cùm ergo motus & ſtridor ſine ſe non ſint, nunquid minus ſimul ſunt quia viſus & auditus ſimul ea non percipiunt? Nunquid totus mundus ſimul nõ eſt, quia nulli ſicut beato Benedicto ſimul viſibilis eſt? Cùm ergo ſenſus nõ debeat præiudicare ſenſui pari ſuo quo minus credat eſſe, quòd nõ ſibi, ſed alijs eſt ſenſibile: quomodo præiudicare debeat intellectui maiori ſuo, quo minus eſſe credat quod ſibi non eſt intelligibile? Sicut enim ſonus oculo eſt inuiſibilis, color auri eſt inaudibilis: ſic omnibus ſenſibus corporeis animę intellectus eſt inſenſibilis. Nũquid ergo minus eſt quod intellectu ſuo aĩa corporalia & ſpiritualia diſcernit, in virgultis vel herbis naturã caloris vel frigoris, humoris vel ſiccitatis deprehẽdit, cogitatines à ſe diſsidẽtes inſenſibili ſua diſcretione cõpeſcit, ad corporeos etiã ſenſus regendos inſenſibiliter ſe afficit, & in his oĩbus ſola à ſe intelligitur & intelligit? Quorſum hæc? Vt ſicut illa quę incõprehẽſibilia ſunt ſenſibus, nõ min⁹ eſſe credidũtur: ſic quæ ſunt incõprehẽſibilia intellectibus humanis, non minus eſſe credantur. Vt igitur ait Apoſt. Deũ nũc per ſpeculũ & in ęnigmate cõtẽplãtes, multũ de ipſo cognoſcim⁹, ſi ipſum nobis incõprehẽſibilẽ, in his q̃ ex nihilo fecit mirabilẽ,

Greg. dialogorum lib. 2. c. 35

1. Cor. 13.

in ſeipſo credamus mirabiliorem. Hortādo quidem & inducēdo ad fidem, modum prologi excedere viſus ſum: ſed ideo, quia fidem magis vidi neceſſariam ad percipiendā veritatem ſacramēti, vnde acturus ſum. Nunc igitur primam portiunculam huius operis Deo annuente expediā de veritate Dominici corporis, Secundam, de ipſius ſacramēti varijs quæſtiunculis.

FINIS PROLOGI.

Argumenta capitum libri primi.

QVòd Deus hominem dominicum pro nobis aſſumptum ſuper omnia exaltauit. Caput I.

Quòd vt certius in ſimili natura noſtra per gratiam Chriſti ſperemus gloriam, nos fratres eius fecit, & illum & cum illo omnia nobis donauit. II.

Quòd ad maiorem tantæ gratiæ certitudinem ipſum caput noſtrum Deus, nos membra ipſius ita conſtituit, vt nos corpus eius cum ipſo capite, dicamur Chriſtus, ſacramento & veritate corporis ſui nos ſibi vniens & incorporans. III.

Quid ſit ſacramētū, & quot modis accipiatur. IIII.

Quòd viſibile Sacramentum panis & vini nuncupatiuè dicatur corpus Chriſti. V.

Quòd Chriſtus in pane ſacramentali non ita perſonaliter ſit impanatus, vt in carne incarnatus. VI.

Quôd remanentibus qualitatibus ſuis, ſubſtantia panis & vini in verum corpus Chriſti mutetur. VII.

Quomodo

Quomodo ſacramentum corporis Chriſti à cæteris ſacramentis differat vel conueniat. VIII.

Quòd nouus panis & vinũ in corpus Chriſti mutata, nouã carnem vel ſanguinem non generãt. IX.

Quod nõ de quolibet filio hominis, ſed de ipſo Chriſto intelligendum eſt, Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, non habebitis vitam in vobis. X.

Quod in ſacramento viſibili ſit ſpirituale & inuiſibile corpus Chriſti. XI.

Quod corpus Chriſti cùm in ſacramẽto ſit ſpiritualiter & inuiſibiliter, non tamen minus ſubſtantialiter & verè. XII.

Quod veritas corporis Chriſti viſibilibus etiam ſignis ſit ſæpius oſtenſa. XIII.

Quòd corpus Chriſti eſt, cùm ſit locale in cœlo & in terra. XIIII.

Quòd corpus Chriſti diuiſum & à fidelibus ſumptum, permanet incorruptum & integrum. XV.

Quòd immolatio Chriſti in altari non dicitur quod iterum occidatur: ſed quod vera eius immolatio repræſentata, idem in altari nunc, quod tunc in cruce operetur. XVI.

Quòd dupliciter vel tripliciter dicitur corpus Chriſti. XVII.

Quòd inuiſibile corpus Chriſti in ſacramento, Sacramẽtum ſit viſibilis corporis Chriſti in humana forma, verum veri, idem eiuſdem. XVIII.

Quòd ſacramentum duobus modis ſignificat vel ſua ex ſe ſimilitudine, vel alicuius actionis erga ſe. XIX.

Quia in ſacrificio eſt ſacramentum corporale, & corpus ſpirituale, duæ ſunt etiã eius comeſtiones, vna

corporalis, altera ſpiritualis: & boni quidem duabus comeſtionibus ſumunt corpus Chriſti, mali tantum vnà. XX.

Quòd ſicut nec minus à malo, nec magis à bono ſacerdote cōſecratur veritas corporis Chriſti: ſic nec minus à malo, nec magis à quolibet bono ſumitur, quantum ad ſubſtantiam. XXI.

Quomodo verè & ſalubriter ſumi poßit corpus Chriſti. XXII.

Capita libri ſecundi.

Quòd ſacramentum corporis Chriſti nullatenus ſoluatur in digeſtionẽ, vel aliquã fœdã corruptionẽ. I.

Cur viſibile ſacramentum inuiſibili Deo fiat. II.

Cur ſacrificium Eccleſiæ nõ cõſtet ſolo ſacramento, vel corpore & ſanguine Chriſti ſine ſacramento, vel cur vtroque. III.

Cur fides tantopere exigatur in Sacramẽto corporis Chriſti. IIII.

Cur magis cõſecretur in pane et vino et aqua corpus et ſanguis Chriſti, q̃ in cæteris corporũ ſpeciebus. V.

Cur ſumpto corpore Chriſti nõ ſtatim etiã in carne viuamus æternaliter, cũ ipſum ſit vita æterna. VI.

Cur tẽporalibus meritis æterna retributio fiat. VII.

Cur panis in carnem, & vinum in ſanguinem per ſe conſecrentur. VIII.

Cur corpus Chriſti magis conſecretur in pane candido quàm nigro, vel cuiuſcunque coloris: cum ſanguis conſecretur in cuiuſcunq; coloris vino. IX.

Cur magis conſecretur corpus Chriſti in pane azymo quàm fermentato. X.

Capita

Capita libri Tertii.

Quòd ſancti quibuſdam ſuis autoritatibus videtur aſtruere, hæreticorũ ſacramẽta eſſe irrita & noxia. I.

Quòd ſolius Dei ſit, omnia Sacramenta facere ſemper vera & ſancta, quantum ad ipſum. II.

Quòd ſacramenta Chriſti pro meritis miniſtrorum fieri credenda non ſunt: ne pereat vnitas Sacramentorum & Eccleſiæ. III.

Quòd deus precioſa ſacramẽta in nõ precioſis ſpeciebus poſuit, nõ vt eſſent vilia et abiecta, ſed gratuita. IIII.

Quòd tanta ſunt Dei ſacramenta, vt omnium hominum ſuperent merita. V.

Quòd laico vel pagano baptizare permittitur. VI.

Quòd ſanguinis effuſione vel ſola fide baptiſmus compleatur. VII.

Quòd ſicut in baptiſmate, ſic in conficiendo Chriſti corpore nihil à bono magis, nihil à malo minus fiat. VIII.

Quòd Sacramenta hæreticorum de Eccleſia ſunt, & in Eccleſia fiunt. IX.

Quòd ſacramentotenus ſacerdotiũ apud hæreticos maneat omnino integrum. X.

Quòd etiam ſalutare ſit ſacrificium hæreticorum, ſi mundè communicetur à catholicis. XI.

Quomodo ſoluitur illud quod ſancti de improbandis hæreticorum ſacrificijs dicunt. XII.

Vtrũ ſacramẽta ritè fiãt, ſi ſolẽnibus verbis aliqua cõtra fidẽ vel incuria, vel hæreſi interſerãtur. XIII.

Quare in nomine Trinitatis baptiſma inſtitutum ſit. XIIII.

FINIS.

D. ALGERI

LIBER PRIMVS.

Quòd Deus hominem Dominicum pro nobis aſſumptum, ſuper omnia exaltauit. *Cap. I.*

QVia à verę fidei cognitione origi-
nalis delicti cæcitate tenti, ad va-
rios errores decideramus: vt in-
ſtigante diabolo idololatriæ &
peccatorũ paſsionibus deſeruiẽ-
tes, ad mortẽ obſtinata mẽte ten-
Ioan. 1. deremus: magna ſua gratia verbũ Dei caro factũ
eſt, & habitauit in nobis: vt qui de ſuo erat incõ-
prehenſibilis, de noſtro nobis fieret cognoſcibi-
lis, & de noſtro quaſi è vicino fieret appetibilis:
dum germanæ carnis noſtræ gloriam in ipſo,
gloriã quaſi vnigeniti à patre, videremus: & ex
ipſius iam quaſi coorginalis gloriæ viſibilibus
ſignis, in inuiſibilium amorẽ rapti, ad vitæ æter-
næ patriam reduceremur. Dominicæ igitur in-
carnationis opus, ſicut ipſi Deo præ cæteris om-
nibus operibus ſuis propriè proprium: ſic præ
omnibus operibus ſuis pręcipuè fecit præcipuũ:
vt hominem in vnitate perſonæ ſuæ aſſumptũ,
& quaſi ex adiuncta diuinitate deificatũ ita glo-
rificaret, vt non ſolùm hominibus, ſed & omni-
bus angelicis ſpiritibus adorandum præferens,
Auguſtin. in dextera Dei patris collocaret. Vnde Auguſti-
lib. 3. c. 2. nus in libro contra Maximinum, Ait Apoſtolus:
Philip. 2. Propter quod eũ ſuperexaltauit, & dedit illi no-
men quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine
Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtrium,
& infernorum. Nec quæritis cui donauerit, vtrũ
homini an Deo. Quomodo enim donauerit, eui-

denter

denter apparet. Humiliauit,inquit,ſemetipſum
vſq; ad mortē,mortē autē crucis . Propter quod *Philip. 2.*
& Deus ſuperexaltauit illum , & donauit ei no-
men quod eſt ſuper omne nomen. Nunquid an-
tequàm hoc fieret,non erat altus filius Dei, ver-
bum Deus apud Deū: ſed poſteaquā propter hoc
exaltatus eſt,quia factus eſt obediēs vſq; ad mor-
tem crucis,tunc cœpit eſſe altus filius Dei , vni-
cus Dei Deus,tunc cœpit habere nomē quod eſt
ſuper omne nomen ? Quis hoc inſipientiſsimus
dixerit?Hoc ergo illi donatū eſt vt homini,ſecū-
dum quem factus eſt obediens vſq; ad mortem
crucis,quod iā habebat idē ipſe filius Dei,Deus
de Deo natus æqualis. Item in eodem : Homini
ergo donauit iſta,non Deo.Neq; enim cū in for- *Lib.2.c.5*
ma Dei eſſet,non excelſus erat, aut non ei genua
flectebant,cœleſtia,terreſtria & inferna.Sed cùm
dicitur,Propter quod illum exaltauit : ſatis ap-
paret propter quid illum exaltauerit. In qua er-
go forma crucifixus eſt,ipſa exaltata eſt , ipſi do-
natū eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen:vt
cū ipſa forma ſerui nominetur, vnigenitus filius
Dei intelligatur. Item Auguſt.in tractatu Pſalmi
octaui: Et cōſtituiſti eū ſuper opera manuū tua- *Pſal.8.*
rum. Quādoquidē & opera manuū Dei ſunt an-
geli,etiam ſuper angelos conſtitutū accipimus
vnigenitū filiū: quem minutum paulo minus ab
angelis per humilitatē carnalis generationis &
paſsionis audimus & credimus. Omnia,inquit,
ſubieciſti ſub pedibus eius. Nihil excipit cùm di-
cit omnia.Et ne aliter liceat intelligi,ſic Apoſto- *hucuſque*
lus credi iubet,cùm dicit: Excepto eo qui ei ſub- *Auguſti.*
iecit omnia. Nec mirū ſi filius hominis filio Dei *1.Cor. 15.*
in vna perſona vnitus,ſicut participiū diuini no-
minis,

minis,ſic etiam diuinæ gloriæ aſſequatur: vt exaltatus ſuper omnem creaturã,flexione genuum ab omnibus adoretur, & vnigenitus Dei per ipſum cui vnitus eſt nominetur. Cur enim hoc minus Deus faceret homini ſibi perſonaliter vnito: quã per eum facit anima corpori ſibi vnito? Cõfert enim participiũ nominis & naturæ quã habet: vt ab anima animatum viuat & ſentiat, quod ex ſe non habebat. Sed & ignis ferrum tranſuerberans, ignitum reddit: candoremq́ ſuum & calorem conferens, ipſum ſcintillare, flammeſcere & vrere contra ſuam naturã facit. Cùm ergo ignis igniat, anima animet: quid Deus niſi hominẽ ſibi vnitum deificet, & ſuper omnem creaturam exaltatum, puritatis, omnipotentiæ, & Deitatis etiam prærogatiua ſecum glorificet?

Quòd quoniam Chriſtus exaltatus eſt ſuper omnia, & in eo nobis cuncta donata ſunt, ſimilem etiam gloriam nos ſperare debeamus. *Cap. II.*

SEd & vt certius in ſimili natura noſtra per gratiã Chriſti ſperemus gloriã, nos eius fratres fecit, & illum, & cum illo omnia nobis donauit: vt
Rom.8. dum Dominicũ hominẽ in vnitate perſonæ Dei, credimus deificatum, non dubiũ ſit, quòd mediãte
Ioan.1. ipſius gratia, teſte Ioan. nobis eſt datum. Ait enim: Quotquot receperunt eũ, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati ſunt. Vnde Auguſtinus in ſecũdo ſermone ſuper Ioannem: vt homines naſcerẽtur ex Deo, primo ex ipſis natus eſt Deus. Noli ergo mirari ô homo quia efficeris per gatiam filius, quia naſceris ex Deo ſecũdum verbum eius. Prius ipſum verbum voluit naſci ex homine, vt tu ſecurus naſcereris ex Deo.

Reuera

Reuera enim vt ſecuriores eſſemus in ipſo de cõformitate & vnitate tantæ *gratiæ in humili noſtra natura, naturam carnis noſtræ ſibi vniuit Deus in eadem perſona: vt dum eam tam mirabiliter glorificatam videremus, de germanæ carnis noſtræ glorificatione nõ deſperaremus. Quia igitur in hanc gratiã nos adoptare voluit, vt qui nec digni ſerui fueramus, filios Dei faceret, & Chriſto cohæredes ordinaret: ipſum quẽ primogenitum in multis fratribus & ſibi vnigenitũ eſſe voluit, in quo erat plenitudo diuinitatis corporaliter, priuilegio omnis gratię non ad menſurã, ſed ſuper omnẽ creaturam inſigniuit: vt ipſe de ſpiritu ſancto cõceptus & Dei filius non renatus, ſed natus, nos in iniquitatibus conceptos, & ſeruos diaboli natos, per gratiam filios Dei renaſci faceret: & eos ſecunda natiuitate recolligens & immutans, ad ſuã gloriã proueheret, quibus prima ſua natiuitate omnimodis præcelleret. Vt ergo deificũ corpus Chriſti cuius eſſet potẽtiæ clareſceret, ſicut ſol vitrũ ſine ſua vel illius læſione penetrat: ſic ipſum nõ phantaſticũ, ſed verũ virginis matris virginalia integra integrũ pertranſiens, nec ab eis diſsipatur, nec ea diſsipat. Res quidẽ ſtupenda & ineffabilis, ſed nobis nõ incredibilis, quia omnipotenti nõ impoſsibilis. Vnde Auguſt. cap. 91. ſuper Ioannẽ: Omnia quidẽ cęterorum miracula ſuperat quòd eſt natus ex virgine, matríſq; integritatem ſolus potuit nec cõceptus violare nec natus. Vt autem ſic naſceretur Deus, illũ decuit, nobis profuit: vt mũdus natus nos mũdaret, potẽter natus infirmos roboraret. Suã enim mũditiã, vt conformitate illa ſibi vniti placerem⁹, noſtrã eſſe voluit: ne verò cõtra hoſtẽ ſæuiſsi-

*gloriæ

Tract. 91

ſæuiſsimũ noſtra infirmitate deficeremus, ſuam potentiam noſtram fecit: vt dum ſua fortitudo promptior eſt nobis quàm noſtra, per ſuam gratiam ſibi deuotiores: & dum fortior, per ſuã omnipotentiam contra hoſtem ſimus fortiores. Vt enim potentes nõ tamẽ omnipotẽtes creari potuimus per naturã: ſed modo dum omnipotens eſt fortitudo noſtra, quaſi omnipotẽtes efficimur

Mar. 9. per gratiã. Vnde & dominus in Euangelio: Omnia poſsibilia credẽti. Si ergo quia nobis omnia poſsibilia ſunt, omnipotẽtes efficimur: quid Deo adiutore nobis nocet noſtra infirmitas, quæ & humilitatis auget meritũ, & virtutis neſcit detrimentũ? Quid enim fortitudinis ruſticus amitteret: ſi in cauſa ſua contra aliquem potẽtem rex ei patrocinaretur vbi ipſe nõ poſſet? Vnde & Apoſt.

Rom. 8. Si Deus pro nobis quis cõtra nos? Itẽ in Pſal: In

Pſal. 59. deo faciemus virtutẽ, & ipſe ad nihilum deducet

Ioan. 16. inimicos noſtros. Item Dominus in Euangelio: Cõfidite, quia ego vici mũdũ. Quod cur diceret,

Rom. 8. niſi illa ſua victoria noſtra eſſet? Vnde Auguſt. in ſermone de natali martyrũ: Proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam & cũ illo omnia nobis donauit? Quando ipſum nobis donauit, cum illo nobis omnia donauit. Terret te fremitus mundi, cui donatus eſt artifex mundi? Chriſtum nobis donatum eſſe gaudeamus, & nullos in hoc ſeculo inimicos timeamus. Quicquid ergo potẽtiæ ſeu naſcendo, ſeu infirmos curãdo, mortuos ſuſcitando, ipſe à mortuis reſurgendo, cœlos aſcendendo, mõſtrauit, nobis fecit: vt ad roborandam infirmitatem noſtram & ſalutem conferendam potens crederetur & eſſet, & illuc non deſperaret

peraret caro peruenire, quo carnem cognouerat aſcendiſſe. Vnde Auguſtinus in ſermone vndecimo de verbis Euangelij: Serpentis aſtuta pernicies, Vt laude Chriſti te auertat à Chriſto, doloſè prædicat, quem vituperare non audet: exaggerat maieſtatem eius, vt ſingularem faciat: ne tu ſperes tale aliquid, quale in illo reſurgēte monſtratum eſt. Excita ergo fidem & dicēti, Chriſtus ſolus potuit, nos non poſſumus: reſponde & dic: Ideo Chriſtus potuit quia Deus. Reſpondebit ille: Vtiq; quia Deus. Dic & tu: Et quia Deus, quia omnipotens, cur deſperabo quod poterit & in me, quod demonſtrauit in ſe propter me? Reuera enim quia, vt ait Eſaias, puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & cum illo, vt dictū eſt, omnia, quicquid in homine geſsit propter nos fecit, vt quū ipſe habēs omnia, nobis datus eſſet, in ipſo tam abundanti dono, nihil ad ſalutē pertinens nobis deeſſet: ſed etiam in hac vita, vt ait Apoſtolus, Deus omnia in omnibus eſſet. Vt igitur hoc patenter nobis cōſtaret, ne vllatenus de ſua gratia diffideremus: doctrinis, exemplis, ſacramentis, promiſsionibus, beneficijs, dilectionē ſuam nobis cōmendans, & noſtrā excitans, fragilitatemq́; roborans, pietatis affectu ſe nobis patrem vocari & eſſe voluit, quæcunq; in nomine ſuo peteremus ſe daturum promiſit: & quia originaliter & miſerabiliter ſerui eramus hoſtis noſtri, hoſtes autem Dei patris noſtri, eadem natura qua perieramus maiori noſtro honore, maiori hoſtis cōfuſione nos reparans, ad ſoluendū pro nobis Adæ debitum, ipſe nihil ex ſe debens, noſter vicarius extitit: & vt nos liberos & ſecuros ab hoſte redderet, pro voluptate cibi vetiti Adæ

oblata, facultatem ſanguinis ſui voluntati eius permiſſam recompenſans, hoc precio nos ita redemit: vt quia Dominus à nequam ſeruo ſuo iniuſtè vita ſpoliatus eſt, ipſum iure ſuis omnibus (nobis ſcilicet) ſpoliãs, & quia nos captiuauerat, captiuans, ſimpla morte ſua duplam noſtrã, triduana æternã auferret: eiuſdémq; mortis pœna ſibi indebita, Adæ peccatum, quod inultum eſſe non poterat, luens, patris iram pro nobis ſatiſfaciendo placaret, pœnamq́; ſine fine nobis debitam relaxaret: & quia ipſi patri ſolus ab origine mũdi plenam obedientiã vſq; ad mortem ſeruando de hoſte ſuo triũphauit, hoc ſingulari ſuo merito, in ipſo homine, quo mortẽ pertulit, ſuper omnia, vt dictũ eſt, exaltatus, nos patris gratiæ reconciliatos, de ſeruis diaboli faceret filios Dei: baptiſmi ſacramento regenerans, & ſpiritu adoptionis filiorum corda fidelium mundans, illuminans & roborans, ac varijs chariſmatibus ornans.

Quòd ad maiorem tantæ gratiæ certitudinem ipſum caput noſtrum Deus, nos membra ipſius ita conſtituit, vt nos corpus eius cum ipſo capite dicamur Chriſtus: ſacramento & veritate corporis ſui nos ſibi vniens, & incorporans. *CAP. III.*

AD vltimum etiam ne aliquid in ipſo nobis alienum videatur aut arduum, ita verè & perfectè cõmunicauit nobis ſeipſum, vt viſibiliter etiam corporis & ſanguinis ſui mirifico ſacramento, eccleſiã ſibi vniens & concorporans tanta gratia inſigniret, vt ipſe caput eius, & ipſa eſſet corpus ſuum, nõ nominetenus tantum, ſed in veritate ſui corporis, verè ſibi concorpora-

tum: vt in illo nullius gratiæ nobis eſſet diuortium, cum quo nos ſolidaret tam vnicæ vnitatis ſacramentum: certumq́ eſſet hoc pacto nos cum ipſo per ipſum, in vita æterna, ſimilem dignitatis obtinere gloriam, ſi cum ipſo per ipſum, in hac vita ſimilem innocentiæ ſeruare voluerimus gratiam: maximè cùm ipſe moriturus, ſub ipſius ſacroſancti ſanguinis ſui nouo teſtamento, cui, vt ait Apoſtolus, ſuperordinari aut mutari nephas eſt, vitæ æternæ pactum nobis aſſignauerit, & ipſe à mortuis reſurgendo, in ſe capite noſtro, quomodo corpus ſuum glorificare deberet oſtenderit. Non enim eſſet miſericordiæ Dei & iuſtitiæ condignum, ſi eos repelleret à regni ſui conſortio, quibus tam familiariter vniri dignatur in mundi exilio: eíſq; honoris viciſsitudinem non rependeret in manifeſta viſione ſuæ maieſtatis, à quibus dignè ſuſceptus & adoratus eſt in occultis & peregrinis ſacramentorum ſuorum figuris. Quomodo etiam ibi fieret diuerſum quod hic factum eſt vnum? Vnde Hilarius in libro octauo de Trinitate: Si verè verbum caro factum eſt, & verè nos verbum carnem factum cibo dominico ſumimus: quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuę ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis cõmunicãdę carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnũ ſumus: quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis vnum in his nos eſſe faciũt. Si ergo nos verè ſub myſterio carnẽ corporis ſui ſumimus, & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis: naturalis per ſacramentũ proprietas, perfectæ

Galat. 3.

Hilarius.

ſacramẽtum eſt vnitatis. Ideoq́ ſancti caput Eccleſiæ Chriſtum, eccleſiã mẽbra vel corpus Chriſti dixerũt: ipſamq́ cum ipſo capite ſuo Chriſtũ. Vnde Auguſt. in libro de Trinitate: Sicut corpus vnum eſt, inquit, & membra habet multa, ita & Chriſtus. Nõ dixit: ita & Chriſti, ſed, ita & Chriſtus: oſtendens Chriſtum rectè appellari etiã vniuerſum, hoc eſt, caput cum corpore ſuo quod eſt Eccleſia. Et multis ſcripturarũ locis inuenimus Chriſtum etiã hoc modo appellari, vt cum omnibus membris intelligatur, quibus dictum eſt:
1. Cor. 12. Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Vnde idem Auguſtinus admirãs in ſermone 26. ſuper Ioannem ait: In corpore eſto Chriſti. Non poteſt viuere corpus Chriſti niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt quod exponens nobis hunc panẽ Apoſtolus:
1. Cor. 10. Vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus. O ſacramentũ pietatis, ô ſignum vnitatis, ô vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, viuat in Deo. De Deo incorporetur, vt viuificetur. Nõ abhorreat à compage membrorũ, non ſit putre mẽbrũ quod reſecari mereatur: hæreat corpori viuat Deo de Deo. Itẽ Auguſt. in tract. Pſal. 130. loquẽs Apoſt. de membris Chriſti, non ait, ſic & membra Chriſti, ſed totum hoc quod dixit, Chriſtum appellauit. Multa mẽbra vnũ corpus Chriſtus.
1. Cor. 12. Ergo ſimul omnes cũ capite noſtro Chriſtus, ſine capite noſtro nihil valẽtes. Item idẽ in ſermone 111. ſuper Ioannẽ: Quomodo dilectio qua dilexit pater filiũ eſt in nobis, niſi quia membra eius ſumus & in ipſo diligimur, cũ ipſe diligitur totus, id eſt, caput & corpus? Ideo ſubiunxit: Et ego in ipſis: tanq̃ diceret: Quoniam ego ſum, & in ipſis.

Aliter

Aliter enim eſt in nobis tanquã in templo ſuo: aliter autẽ nos in eo, quia & nos ipſe ſumus, cùm ſecundũ id quod vt caput noſtrũ eſſet homo factus eſt, corpus eius ſumus. Item idẽ in tractatu Pſalmi 142. Omnia autẽ mẽbra corporis cùm ſint multa, vnũ eſt corpus: ita & Chriſtus. Non ait, ita Chriſtus & corpus: ſed corpus vnũ mẽbra multa, ita & Chriſtus. Totum ergo Chriſtus. Et quia totũ Chriſtus, ideo caput de cœlo, Saule, Saule, inquit, quid me perſequeris? Item in eodẽ: Tenete hoc, & fixum omnino mãdate memoriæ, vt agnoſcatis Chriſtũ caput & corpus, & inde videatis quanta gratia ad Deũ pertineatis, vt ipſe voluerit nobiſcũ eſſe vnus, qui eſt cũ patre vnum. Quomodo cũ patre vnum? Ego & pater vnũ ſumus. Quomodo nobiſcũ vnus? Nõ dicit, & ſeminibus quaſi in multis: ſed tanq̃ in vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Sed ait aliquis: Si Chriſtus ſemen Abrahæ, nunquid & nos? Memẽtote quia ſemen Abrahæ Chriſtus: ac per hoc ſi & nos ſemen Abrahæ, ergo & nos Chriſtus. Et poſt pauca: Erunt duo in carne vna. Apoſtolus dicit, Sacramentũ hoc magnũ eſt: ego autẽ dico in Chriſto & in Eccleſia. Chriſtus & Eccleſia, duo in carne vna. Hęc autẽ vnitas capitis noſtri & corporis Eccleſiæ, quomodo in ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti cõmunicãdo per geminam dilectionẽ Dei & proximi ſolidetur & cõfirmetur, ait ipſe: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in eo. Vnde S. Auguſtinus in ſermone 27. ſuper Ioannẽ: Signũ quia mãducauit & bibit, hoc eſt, Si manet, & manetur, Si habitat & inhabitatur, Si hæret, & non deſeritur. Hoc ergo nos docuit & admonuit my-

Rom. 12. *Actu. 9.* *Ioan. 10.* *Galat. 3.* *Ephe. 5.* *Geneſ. 2.*

ſticis verbis vt ſimus in eius corpore ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius. Quæ vnitas vera dei dilectione ſeruatur, vt corpus ſuũ corpori ſuo, id eſt, nobis vniatur. Vnde Aug. in ſermone de ſacramentis fidelium feria 2. Paſchæ: Quia paſſus eſt pro nobis, commendauit nobis in iſto ſacramento corpus & ſanguinẽ ſuũ, quod etiam fecit nos ipſos. Nam & nos corpus ipſius facti ſumus: & miſericordia ipſius quod accipimus, nos ſumus. Quia igitur corpus Chriſti ſum⁹ qui corpus Chriſti accipimus: nõ ſolũ capiti per dilectionẽ: ſed etiã cum membris noſtris inuicem vniri debemus. Vnde idem in ſerm. 26. ſuper Ioannẽ, Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in carne &

Ioan.6. verbo. Hic eſt ergo panis de cœlo deſcẽdens: vt ſi quis mãducauerit ex ipſo nõ moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentũ, qui mãducat intus, non foris: qui manducat corde, non qui premit dente. Hunc itaq; cibum & potum ſocietatẽ vult intelligi corporis & membrorũ ſuorũ, quod eſt ſancta eccleſia. Huius rei ſacramentum .i. vnitatis corporis Chriſti de Dominica mẽſa ſumitur, aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium. Res verò ipſa cuius ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicunq; eius particeps fuerit. Virtus enim & res ſacramenti eſt vt inuicem ſe diligẽdo, de vnitate corporis Eccleſię ſint quicũq; de eo participãtur, quod nulli eſt ad exitiũ, ſed omni credẽti ad ſalutem: quicũq; tãtæ ſocietatis, conformãte & vniẽte Chriſto, verè par-

**uoluerit* ticeps eſſe *potuerit. Vnde idem Aug. in ſermone de ſacramentis fideliũ: Ad aquã veniſtis, conſperſi

ſperſi eſtis,panis Dominicus facti eſtis. Quomodo vnũ videtis eſſe quod factum eſt: ſic vnũ eſtote vos diligẽdo vos. Hæretici quærunt diuiſionem: cũ panis iſte nõ indicet niſi vnitatẽ. Sic & vinũ in multis racemis fuit, & modo in vnũ eſt. Quia igitur corpus Chriſti ſumus, & Chriſtus ſumus, ita vt etiã in altari eodẽ ſacramẽto ſignemur, cũ panis dominicus corpus Chriſti ſit in ſeipſo, & corpus Chriſti in Eccleſia mirabili vnitatis gratia nos ad ſe pertinere voluit, cũ myſteriũ noſtrũ ſicut & ſuũ in ſacramẽto altaris, ne moriamur ſumere nos cõceſsit: ita vt etiã myſteriũ ſuũ in veritate corporis ſui ſumptũ nulli proſit, niſi myſteriũ noſtrũ, ſocietatẽ ſcilicet eccleſiaſticã eodẽ ſacramẽto aſſumpſerit: quia ſicut caput nõ eſt vitale ſine corpore, ſic Chriſtus nulli vitã cõfert ſine vnitate corporis Eccleſiæ. Sed nec myſterium noſtrũ vllatenus in ſacramento corporis Chriſti fit ſine ſuo, vt ſicut per dilectionẽ vnũ ſumus inuicẽ, ſic & plus etiã cũ eo: quaten⁹ ſicut ipſe in nobis, ſic & nos maneamus in ipſo: quia cũ à corpore ſuo ſit indiuiſus, nec in ſacramẽto ſuo veraciter ſumi dicitur Chriſtus, niſi ſumatur vniuerſus, ſuo & noſtro myſterio nobis incorporatus. Vnde Aug. in ſermone de ſacramẽto, Apoſtolum audi dicentem: Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra: *1.Cor.12.* myſteriũ veſtrũ in menſa domini poſitũ eſt, myſterium veſtrũ accipitis: ad id quod eſtis, amẽ reſpondetis. Eſto mẽbrum corporis Chriſti, vt verũ ſit amẽ tuum. Quare ergo in pane? Recolite quia panis nõ fit de vno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini. Quando baptizati eſtis, quaſi cõſperſi eſtis. Quando ſpiritus

ſanctificationem accipiſtis, quia cocti eſtis. Eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis. Sic & de vino fratres recolite. Grana multa pēdent in botro, ſed liquor granorum in vnitatem confunditur. Ita dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit, myſteriũ pacis & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit. Qui accipit myſteriũ vnitatis, & nō tenet vinculum pacis: nō myſterium pro ſe, ſed teſtimoniũ accipit contra ſe. Quia igitur per vnitatē ſpiritualē, ita concorporales & conſacramentales ſumus Chriſto, vt ſimilitudine prædicta dicamur panis dominicus, dicamur etiā corporis Chriſti cibus, & ſanguinis eius potus: quia ſcilicet ſicut cibus & potus temporalem vitam, ſic vnitas Eccleſię cōfert æternam: ideo ſancti eandem vnitatē vocant virtutem & rem ſacramenti, rem, quia ab eo ſignificatur, virtutem, quia effectũ diuinæ gratiæ cum Chriſto maxime operatur: quāuis Chriſtus vt caput noſtrũ virtus principalis & res ſacramenti ſit ſubſtantialiter & verè, ſocietas verò & vnitas eccleſiaſtica, figuratè. Non igitur errorem generet quòd ſancti aliquādo de corpore Chriſti, aliquādo per ſe loquuntur de corpore Eccleſiæ in eodē ſacramento: quia etſi in vnitate & effectu ſalutis
Philip. 3. vtriuſq; corporis eſt ſimilitudo in eminentia dignitatis, in veritate ſubſtantiæ, ſoli capiti noſtro Chriſto ſeruanda eſt, ſuæ ſingularitatis ſumma diſcretio. Quamuis enim hoc ſacramento reformet corpus humilitatis noſtræ, etiam in hac vita configuratũ corpori claritatis ſuę: non tamen nos vſq; adeò ſuper extendere debemus, vt quantumcunq; nos ſua humanitate vel ſimilitudine exaltet, vſq; ad eius dignitatem pertingere præſumamus:

ſumamus: ſed ſic ſuſcipiamus miſericordiã ſuam in medio templi ſui, vt vſq; in fines terræ ſit laus ſua ſecundũ nomen eius. Ipſe enim eſt caput corporis Eccleſiæ, non vnitate perſonæ, ſed gratiæ.

Quid ſit ſacramentum, & quot modis accipiatur. Cap. IIII.

QVia igitur hoc ſuo ſacramẽto Chriſtus Eccleſiam ſuam vnit ſibi & cõcorporat, de veritate eius & virtute, quaſi de re ineffabili, quantum Deus dederit diſſeramus: ſi tamẽ prius quid ſacramentum ſit diſcutientes, quomodo figura à veritate rei quam ſignificat, diſcernẽda ſit oſtenderimus. Auguſtinus in 10. libro de ciuitate Dei: Sacramentũ viſibile, inuiſibilis rei ſacramentum *Cap. 5.* eſt: id eſt, ſacrũ ſignum. Item Auguſtinus in 2. de doctrina Chriſtiana: Signum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire. Item alibi: Sacramẽtum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. Sciendum autem quòd ſacramentum & myſterium in hoc differunt: quia ſacramentũ ſignum eſt viſibile aliquid ſignificans, myſterium verò aliquid occultum ab eo ſignificatum. Alterum tamẽ pro altero ponitur, vt ſuperius dictum eſt: myſterium veſtrum accipitis: vt ſit myſterium occultans & occultum, & ſacramentum ſignans & ſignatum. Vnde Maximus in quadam homilia Epiphaniæ, *Homilia 5* Myſtica eius natiuitas ſempiterno gaudio & terram lætificauit & cœlum. Hunc ergo regem *cœleſtium, hominumq; rectorem ſub carnis myſte- **coelitũ* rio venientem, impiús tremit Herodes. Nec ſolummodo ſacramentum pro alterutro, id eſt, vel pro ſigno vel pro ſignato inuenitur: ſed etiã pro

Ioan.1. vtroq;.Sicut cum dicitur: Verbum caro factum
Rom.13. eſt,caro pro carne & anima. Itemq́;,Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: anima pro carne & anima accipitur. Nec mirum,ſi ſacramentum pro ſacramento & re ſacramenti ſæpius ponitur:quia & corpus Chriſti pro ſacramento & corpore Chriſti inuenitur.Auguſtinus de ſacramentis altaris:Corpus Chriſti,& veritas & figura eſt. Veritas,dum corpus Chriſti & ſanguis,virtute ſpiritus in verbo ipſius,ex panis viniq́; ſubſtantia efficitur.Figura verò eſt, id quod exterius ſentitur.Sciendũ etiam quod ſacramentum in ſacris codicibus non ſemper pro ſacro ſigno,ſed ſacramentũ aliquando iuſiurādnm, aliquādo res ſacrata accipitur. Vnde Ambroſius in libro ad Gratianum apparuiſſe dicit hominibus vnigenitum patris per ſacramẽtum aſſumpti hominis,quaſi diceret:per hominem quem ſibi ſacrauit,quia homo non ſignum,ſed potius occultatio diuinitatis fuit.

Quòd viſibile ſacramentum panis & vini, nuncupatiuè dicatur corpus Chriſti. *CAP. V.*

QVia igitur ſancti ſacramentũ pro ſacramento & re ſacramenti, & corpus Chriſti pro veritate & figura indifferenter vſurpant: ne errorem generent, quid in pane dominico ſacramentum, & quid corpus Chriſti verè & propriè ſit diſcernamus.Formam panis & vini & cæteras elementorum remanentes & viſibiles qualitates, ſacramentum tantummodo verè dici & eſſe: ſubſtantiam autem illam inuiſibilem,quæ ipſo ſacramento operta eſt, & in quam panis & vini ſubſtantia tranſlata eſt, verè & propriè dici &

dici & eſſe corpus Chriſti teſtatur Auguſtinus in libro Sententiarum Proſperi, ita ea diſcernens: Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobúſq; conſtare: viſibili elementorũ ſpecie, & inuiſibili domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine: ſacramento & re ſacramenti, id eſt, Chriſti corpore: ſicut perſona Chriſti cõſtat & conficitur ex Deo & homine, cùm ipſe Chriſtus verus Deus ſit & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, ſacramẽto & re ſacramenti, id eſt, Chriſti corpore. Quæ ergo duo eſſe approbat, viſibile ſcilicet ſacramẽtum & inuiſibilẽ rem ſacramenti: non vnum & idem, ſed aliud & aliud eſſe demõſtrat. Vnde item Auguſt. in ſermone de verbis Domini: Quod videtis in altari, panis & calix eſt, quod etiam vobis oculi veſtri renunciant: quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus, calix eſt ſanguis. Et paulo poſt: Iſta fratres ideo dicuntur ſacramẽta: quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur: fructũ habet ſpiritualẽ. Quia igitur aliud eſt corporale quod videtur, aliud ſpirituale quod intelligitur: aliud ergo eſt ſacramẽtum q̃ res ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti. Item Auguſt. in libro Sententiarum Proſperi: Caro eius eſt quam forma panis opertam in ſacramento accipimus. Non dicit ergo formam panis eſſe carnem Chriſti vel formam: ſed operimentum carnis Chriſti. Vnde etiam in fine cuiuſdam miſſæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis Domine quæſumus

Sacrificiũ Eccleſiæ duobus conficitur duobuſq; conſtat.

ſacramenta

Sabbato quatuor tẽporum Septẽbris ſacramenta tua quod continent: vt quod nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Poſtulat quippe ſacerdos vt corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis & vini nunc geritur: manifeſta viſione ſicuti reuera eſt, quandoq; capiatur. De qua viſione dominus in Euangelio ſecundũ Ioannem: *Ioan. 14.* Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et de hoc *Dionyſius* eodem ſacramẽto legitur in paſsione beati Dionyſij: qui dum ſacrum myſterium celebraret in carcere, apparuit ei Dominus, dánſq; illi ſancta dixit: Accipe hoc chare meus, quod mox complebo tibi vna cũ patre meo. Ac ſi diceret: Quod tibi do modo in viatico, non mutabo in prȩmio, vt dem aliud: ſed id ipſum complebo, meipſum manifeſtãs. Cùm igitur ſacerdos dicat ſacramenta non corpus Chriſti eſſe, ſed in ſe cõtinere, nec etiam ipſius corporis verã formam, ſed tantummodo ſimilitudinariam ſpeciem & figuratiuam illius quod in rerum veritate, id eſt, in vera ſuæ claritatis ſpecie capere deſiderat: quód etiã Dominus beato Dionyſio nõ perfectum eſſe in hac vita, ſed in alia complendũ aſſeuerat: quomodo ſacramenta quȩ viſibilia & mutabilia ſunt, erunt verum corpus eius, vel vera ſpecies corporis illius, in quo poſt reſurrectionẽ inuiſibilis & immutabilis eſt Chriſtus? Vnde Auguſtinus contra *Lib. 19. Cap. 16.* Fauſtũ: Quid enim aliud ſunt quæq; ſacramenta corporalia, niſi quaſi quȩdam verba viſibilia, ſacroſancta quidem, & tamẽ mutabilia & tẽporalia? Abſit ergo vt tranſitoria ſpecies panis & vini, ſit vera ſubſtãtia vel vera ſpecies immutabilis corporis Chriſti. Sed ſi aliquando dicitur corpus Chriſti, nuncupatiuè & non verè oportet intelligi. Vnde

ligi. Vnde Auguſtinus ad Bonifacium: Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerũ quarũ ſacramenta ſunt nõ haberent, omnino ſacramẽta nõ eſſent. Ex hac autẽ ſimilitudine plerunq; ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum, ſacramẽtum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ſic ſacramentũ fidei fides eſt. Ac per hoc paruulus qui non habet fidei affectum, reſpondetur credere, & fidem habere, propter fidei ſacramentũ. In quo notandum eſt, ſacramentum corporis Chriſti, ſecũdum quendam modum, id eſt, ſimilitudinariè & nuncupatiuè, nõ propriè corpus Chriſti vocari, quãtum ad elementorum ſpeciem & formam: quod tamen verè & propriè corpus Chriſti vocatur & creditur, quantũ ad ſubſtantiam quam continet, & in quã panis & vini ſubſtãtia cõuerſa eſt. Vnde Euſebius Emiſſenus: Verè vnica & perfecta hoſtia fide æſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu. Cùm enim exterius non videatur niſi ſpecies panis, interius creditur veritas dominici corporis: Et vt ait Aug. ſanguis Chriſti eſt, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus.

Epiſt. 23.

Euſebius.

Lib. ſententiarũ Proſperi.

Quòd Chriſtus in pane ſacramentali nõ ita perſonaliter ſit impanatus, vt in carne incarnatus. Cap. VI.

QVàmuis autem ſacramentum ſuperius à re ſacramenti, tanquã figura à veritate, ſatis diſtinctũ ſit: errantes tamen quidam de quibuſdam ſanctorum verbis, dicũt ita perſonaliter in pane impanatum Chriſtum, ſicut in carne humana perſonaliter incarnatum Deum. Quæ hæreſis

Hæc contra Lutheranos.

quia

quia noua & abſurda eſt: rationibus & autoritatibus, prout Deus aſpirauerit, radicitus eſt extirpanda. Ex quadam enim ſimilitudine beati Auguſtini in libro Sententiarum Proſperi, ſuam ſumunt & defendunt hæreſin, qua dicit: Sacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobúſq; conſtare ſicut perſona Chriſti conſtat & cõficitur ex Deo & homine. Dicunt enim male ſubaudiendo, ita perſonaliter ſacrificium Eccleſiæ, id eſt, Chriſtũ in altari ſacrificatũ, duobus conſtare in eadẽ perſona, ſicut perſona Chriſti conſtat ex Deo & homine. Si autem opponitur illis, quòd illa elemẽtorũ ſpecies non ſit cũ Chriſto vna perſona, ſed tantum ſacramẽtum eius, myſteriũ & figura: nec ſic deſiſtunt, dicentes, quia ita dicit b. Ambroſius ad Gratianũ, ſicut dicitur ſacramẽtum aſſumpti hominis, ſic dicitur ſacramentum dominici corporis: Et beatus Maximus, Deum ſub carnis myſterio venientem: Itemq; in multis ſcripturis dicitur Deus opertus humana forma vel figura, ſicut Chriſtus in altari, panis forma vel figura. Qui error nulla quidẽ ſanctorũ autoritate aſtruitur, ſed ex indifferẽti & impropria vſurpatione nominũ vel ſimilitudinũ cõcipi videtur: qua de ſacramento & re ſacramẽti ita loquuntur, vt prauè intelligentibus, quaſi vnum quid accipiãtur. Sed cùm dicitur: Corpus Chriſti eſt veritas & figura, nunquid pro vna perſona accipiendum eſt, ſicut cum dicitur, homo eſt corpus & anima? Similis quidem eſt grammatica, ſed nõ ſimilis intelligẽtia. Non enim dicitur quòd hæc duo ſint in corpore Chriſti perſonaliter vnũ facta: ſed ita æquiuocè dicitur corpus Chriſti veritas & figura, quaſi de vero homine & picto diceretur, homo

Error impanatorũ nullis autoritatib⁹ fulcitur.

dicitur

dicitur homo verus & pictura: quanquã familiarior ſit figura panis cum veritate corporis Chriſti, quàm pictura cum homine: cùm non ſolũ repræſentet vt ſacramentum, ſed ipſum etiam contineat, & ſubſtantialiter conuerſus ſit in ipſum. Item non omnipharia ſimilitudo accipienda eſt, qua dicit Auguſtinus ſacrificiũ Eccleſiæ ita conſtare duobus ſicut perſona Chriſti duobus cõſtat: cùm non vtrobiq; perſonalis vnitatis contulerit ſimilitudinem, ſed qualiter tantum vtraq; duobus conſtent fecerit collationem.

Sed item opponunt, quia ita dicitur Chriſtus aſſumere ſpeciem vel formã panis in altari, ſicut verbum Dei ſpeciem vel formam carnis in vtero virginali: & ſicut verbũ fit caro, ſic panis fit eadẽ caro. Sed nunquid vel ſic vincent, qui cõfuſione ſimilitudinum peruertere quærunt Dei veritatẽ? Reuera enim verbum fit caro, & panis fit eadem caro: ſed lõgè diuerſo modo. Verbum fit caro, et naſcitur caro de carne, aſſumẽdo carnẽ, nõ mutatũ in carnẽ: ſic factũ quod nõ fuerat, vt non deſiſteret eſſe quod erat. Panis autẽ fit eadẽ caro, non naſcitur caro, nec aſſumit carnem, ſed mutatur in carnem: ſic factus quod nõ erat, vt deſiſtat eſſe quod fuerat: pulchra ſpe noſtra pulchroq; myſterio: vt in corpus Chriſti traijci non deſperet rationalis natura, in quod traijcitur et bruta: ſi deſiſtat eſſe quod ex ſe male fuerat, et fit in Chriſto quod bene non erat.

Quòd autem panis nõ naſcitur, teſtatur Auguſtinus contra Fauſtum: Panis et calix non qualibet, ſed certa cõſecratione myſticus fit nobis, nõ naſcitur. Proinde quod ita non fit, quàmuis ſit panis et calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramen-

ſacramẽtum religionis: niſi quod benedicimus, gratiáſq; agimus domino in omni eius munere, nõ ſolum ſpirituali, verum etiã corporali. Cum ergo panis myſticus nõ naſcatur, nec aliqua naturæ terrenæ origine vel conditione in hoc diuinæ gratiæ ſacramento creetur, ſed ita corpus Chriſti fiat, vt panis eſſe deſinat: quomodo res quæ iam non eſt, vel ipſa alicui, vel aliquid ei impersonari poteſt?

Sed quomodo Chriſtus in pane, qui iam non eſt, impanari dicitur, quũ Chriſtus in panem nec conuertatur, nec aliquatenus panis fiat: ſed ecõuerſo, panis in corpus Chriſti cõuertatur, & corpus Chriſti fiat, ita vt panis non remaneat? Non enim ita ſumere dicẽdus eſt in altari ſpeciem vel formã panis: ſicut in vtero virginali ſpeciem vel formã carnis: quũ in vtero ſumpſerit ſpeciẽ vel formam cũ ſubſtantia: in altari verò ſpeciem vel formam panis mutata & non permanente ſubſtãtia. Quũ enim dicitur ſpecies vel forma panis & vini: hæc illarum rerum ſunt vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini. Panis enim & vinum in ſacramento iam nõ ſunt, ſed ante fuerunt. Quam igitur in ſacramento Chriſti poſſunt creare nouã perſonã, in quo nec antiquã ſuã retinent ſubſtantiã? Vnde notandum eſt, quum diuina pagina corporis domini panem vocat, non ſubſtãtialiter, ſed myſticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, eiúſq; nõnullas retinet qualitates, vel quoniam animam paſcit, eiq; vitę ęternę miniſtrat ſubſtantiã, vel quoniã panis eſt angelorum. Solent enim ſcripturæ quaſlibet res vocare nominibus illarum rerũ ex quibus fiunt: vt cùm dicitur homini, quid ſuperbit terra & cinis, cum homo

Subſtãtia panis: nõ remanet in Euchariſt.

Corpus Chriſti cur panis uocetur.

homo non ſit cinis, ſed ex cinere factus ſeu quæ putantur eſſe & non ſunt, vt cùm legitur Abrahã vidiſſe tres viros, cùm eſſent angeli: ſeu quibus ſimiles aliquo modo exiſtunt, vt cùm Deus dicitur leo propter fortitudinem. Sic igitur corpus Domini panis vocatur, vel quia, vt dictum eſt, ex pane conficitur, vel quia intuentium oculis, cũ ſit caro panis videtur: vel ea ſimilitudine qua ſicut panis materialis carnem, ſic ipſe ſpiritualis alit mentem. Sed opponunt, quia ſicut verbum aſſumpſit veram ſpeciem carnis cum ſubſtantia, ſic Chriſtus in altari veram ſpeciem panis cum ſubſtantia. Cùm enim dicat Auguſtinus in ſermone de verbis Domini, Quod videtis in altari calix & panis eſt, quod etiam vobis oculi veſtri renuntiant: teſtimonio oculorum veritatem panis aſtruere conantur. Quòd autem ſubſequenter ait: panis eſt corpus, calix eſt ſanguis, vnitatem perſonalem mentiuntur, quàmuis ipſis ſenſibus corporeis per omnia credendũ nõ ſit: vt cũ oculi in aqua remum fractum putant, vel longinquitate victi, quod magnũ eſt paruum renuntiant, vel obſcuritate aliud quàm ſit, vt Maria in tenebris Ieſum hortulanũ, & diſcipuli nocte ſuper mare ambulantem phantaſma æſtimant. Sed quæ perfectio poſsit eſſe humani viſus, cum ad ea penetranda, quæ ſuperficietenus videt, lynceis oculis non æquetur? Quis ergo dubitet de veritate corporis & ſanguinis Domini, quæ ſpiritualiter creditur: quicquid ſenſus corporei de ipſo vel forma, vel odore vel ſapore extrinſecus mentiantur? Non minus verè erat Chriſtus cum Maria putaret hortulanum: quàm cùm recognouit eum.

Gen. 18.

Quòd remanẽtibus qualitatibus ſuis ſubſtantia panis & vini in verũ corpus Chriſti mutetur. CAP. VII.

SEd iterum teſte beato Ambroſio, vbi ait ſermonem Chriſti operatorium eſſe, vt panis & vinum ſint quæ erant, & in melius commutentur: videntur aſtruere vt ſint ſubſtantialiter quæ erant, & in aliud mutentur. Quod tamen tolerabiliter dictum eſt, niſi à prauo interprete intolerabiliter exponatur. Si enim intelligatur vt panis & vinum ſint quæ erant non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum formam & cæteras ſuas qualitates ibidem remanentes, & ſecundũ ſubſtantiam in aliud mutentur: quamuis aliquantulum improprię, tamẽ tolerabiliter & verè dictũ erit. Et reuera ne ſuis & cæterorum ſanctorũ autoritatibus contradicat, ita neceſſariò eſt exponendum. Quicquid enim mutatur in aliud, in aliquo deſinit eſſe quod fuerat: ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidẽtaliter. Sed in pane & vino cùm in corpus Chriſti mutantur, accidentia eſſe nõ deſinũt, ſed omnia remanent: ergo panis & vini ſubſtantia eſſe deſinit. Quia igitur ſanè expoſitum eſt, vt ſint quæ erãt ſecundũ viſibilem ſpeciẽ remanentem, & mutẽtur ſecundũ interiorem eſſentiã ineffabiliter: vt & inuiſibili ſacramento vera probetur elementorum ſpecies eſſe quæ fuerat, & interius ſubſtantia eorum mutari in melius quod prius non fuerat: vt videamus b. Ambroſium ſibi vel alijs ſanctis non eſſe contrarium, verba ſua in ordine ſuo ponamus. Ait enim in libro de ſacramẽtis: Tu forte dicis: Meus eſt panis vſitatus, Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramẽtorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.

Ambroſ. lib. 4. c. 4

Conſecratio igitur quibus verbis eſt,& cuius ſermonibus?Domini Ieſu. Ergo Chriſti ſermo hoc conficit corpus. Quis ſermo Chriſti?Nēpe is quo facta ſunt omnia. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in melius commutentur?Ergo vt tibi reſpondeā,non erat corpus Chriſti ante conſecrationē, poſt conſecrationem iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit & factum eſt, ipſe mandauit & creatum eſt. Ergo didiciſti, quòd ex pane fiat corpus Chriſti, & quòd vinū & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. In quo notandū eſt b. Ambroſiū cōparatione à maiori ita vſum:vt quandoquidē Deus de nihilo fecit ſubſtantiā & formā,multo magis altera manente, in melius mutare poſsit alterā. Vnde idem in eodē: Antequā conſecretur panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint,corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti calix eſt vino & aqua plenus: vbi autē verba Chriſti operata fuerint,ibi ſanguis Chriſti efficitur,qui plebē redemit. Ergo vide quātis generibus potēs eſt ſermo Chriſti vniuerſa cōuertere. Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis quòd corpus ſuū accipiamus & ſanguinem. Nūquid debemus de eius fide & teſtificatiōe dubitare?Itē Euſebius Emiſ. Nec dubitet quiſq̄ primarias creaturas,nutu potētię,pręſentia maieſtatis in dominici corporis trāſire poſſe naturā: cū ipſum hominē videat artificio miſericordię cœleſtis,Chriſti corpus effectū. Sicut autē quicūq; ad fidē veniēs ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti,his verò commemoratis, mox exuitur omni fece peccati:ita benedicēdæ verbis

Cap. 5.

Euſebius. Hom. 5. de Paſcha.

cæleſtibus creaturæ, ſacris altaribus imponuntur, & antequàm inuocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtãtia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid autem mirum eſt, ſi ea quæ potuit verbo creare, verbo poſsit creata conuertere? Imò iam minoris videtur eſſe miraculi: ſi id quod ex nihilo condidiſſe agnoſcitur, iam conditũ in melius valeat commutare. Require quid ei poſsit eſſe difficile, cui facile fuit viſibilia & inuiſibilia volũtatis imperio ſuſcitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratũ, imaginem etiam ſuæ diuinitatis induere, corpus humanũ conforme corpori ſuæ claritatis reddere. Itẽ Auguſt. in homilijs: Ante verba quãdo offertur panis dicitur: vbi verba Chriſti deprõpta ſunt, iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti appellatur. Quia ſancti dicũt, quòd poſt cõſecrationẽ iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti, nihil omnino de pane in ſacramento remãſiſſe aliqui autumãt: ſed ſicut virga mutata in ſerpentẽ, iam non virga, ſed ſerpẽs vocatur, quãuis in ſerpente non virgæ ſubſtantia, ex qua factus eſt, ſed tãtnm forma perijſſe creditur: ita in ſacramento, panis nõ eſt panis, quãuis in eo non forma panis, ſed ſubſtantia mutari credatur. Cur enim Deus, qui vtranq; ex nihilo creauit, non poſsit æquè mutare ſubſtãtiam, vel etiam ad nihilũ redigere, ſicut & formã? Vnde & b. Ambroſius: Vide quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa cõuertere, quia vel in diuerſam formã, vt virgã in ſerpẽtem: vel in diuerſam gloriam, vt hominem de mortalitate in immortalitatem: vel in diuerſam ſubſtãtiam, vt panẽ in corpus Chriſti; vel in aliud quàm ſint, ſiue melius

Homil. 28 de uerbis Domini.

Forma panis nõ mutatur, ſed ſubſtãtia.

Ambroſ.

melius ſiue peius multis modis alijs, ſibi tantum cognitis. Vnde Diuus Auguſt. in libro ſententiarum Proſperi: Nos antem in ſpecie panis & vini quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, Chriſti carnem honoramus & ſanguinē: nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, quemadmodū ante conſecrationem pendebamus: cū fideliter fateamur ante cōſecrationem eſſe panem & vinum, quod natura formauit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio cōſecrauit. Quòd quàmuis ideo dicat, ne quis putet pro remanente elementorum viſibili ſpecie ipſorum etiam ſubſtantiam, quę iam corpus Chriſti facta eſt, remanſiſſe: euidēter tamen aſtruit ante & poſt conſecrationē eaſdem eſſe ſpecies, quas propter ſubſtantiæ mutationem antè & poſt non ſimiliter ſe dicit pendere. Quia tamē ex ipſis elementorum viſibilibus ſpeciebus erratur à multis, quum ſatis conſtet quòd de eorum ſubſtantia corpus Chriſti fiat, quia vt ait Auguſtinus, corpus Chriſti & ſanguis, ex panis & vini ſubſtantia efficitur: de ipſis ſpeciebus videamus. Si enim panis omnino ita mutetur in corpus Chriſti, vt nihil ex ipſo ſuperſit vel appareat, aut ſi quod apparet, non verum, ſed phantaſticū fiat: rationi videtur contrarium. Si enim pane mutato nihil viſibile reſeruaretur, minueretur fidei meritum, vel pro euidenti miraculo, quia in conſecratione ſacramēti panis omnino euaneſceret, vel quia obliuione ſopita fidei deuotio torperet, cùm in tanto myſterio ſignum aliquod, vnde memoria admoneretur, non ſupereſſet. Non enim ſupereſſet aliquod viſibile, circa quod myſtica paſsionis ſigna & crucifixionis Chriſti in miſſa poſſent celebrari:

Cur viſibiles elemētorum ſpecies in ſacramēto remaneant.

brari: nec vnde in perceptione corporis & ſanguinis eius incorporatiõis ſuę & noſtræ myſteria cõpleri, vel infirmis viaticũ dari: nec cætera quæ viſibiliter & ſalubriter per ipſum in ſancta Eccleſia fiunt, valerent adminiſtrari. Non enim fruſtra dixit Dominus: Hoc facite in meam cõmemorationem, ſacramentum exhibens ſicut verũ fidei, ſic verè viſibile excitandæ commemorationi: vt quod fidei certum eſt, mẽtem paſcat, quod viſui certum eſt, deuotionem accẽdat. Quia enim illum ſecundum carnem cœlos oportuit penetrare: vt illuc confidentius tenderemus, reliquit nobis carnalibus huius ſacramẽti viſibilem figuram & caracterem carnis & ſanguinis ſui: vt ſuæ paſsionis memoria incitati, conſtantius hoc faceremus. Item ſi elementa omnino mutarentur in Chriſti carnem: nihil amplius eſſet Chriſti caro quàm modo eſt. Sed etſi propria ſpecies humanæ carnis corporaliter appareret: nihilominus ſpiritualis crederetur quàm creditur & eſt. Et quid prodeſſet videre eum in propria ſpecie humanę carnis: qui tamen credendus eſſet verè habere ſpiritualem ſpeciem reſurrectionis? Vt autẽ in ſequẽti aſtruetur, minueretur fidei meritũ, pro tam manifeſto veritatis experimento: vel impediretur perceptionis eius cõmoditas, pro humani corporis comedẽdi horrore iniecto. Cùm autem in ſacramento forma panis, ſoliditas, color, ſapor ſentiatur: vel verum hoc eſſe, vel phantaſticum dicitur. Sed abſit vt perfecta veritas phantaſiæ fallacia aſtruatur: maxime cũ ipſi angeli, & ipſe ſpiritus ſanctus in colũba vel linguis igneis, quoties apparuiſſe leguntur, non phãtaſtica, ſed vera corpora in aëre aſſumere aſtruãtur; & in cęteris

Luc. 22.

teris

teris omnibus ſacramentis noui teſtamēti & veteris, nihil phantaſiæ, ſed omnia vera inueniantur. Abſurdum enim reuera eſt, vt quod non verè eſt, veritatem approbet: & quod de ſe fallit æſtimationem, de alio veram exhibeat fidem. Phātaſtica enim illuſio, magicis congruit & diabolicis fraudibus: veritatis autē aſſertio, diuinis ſanctionibus. Ne ergo phantaſtica ſpecies, ſacramento Chriſti aliena prorſus & indigna, ſupinduci credatur, quæ magis nouit fallere quàm veritatem aſtruere: quomodo id nō ſolū rationi, ſed & autoritati ſit contrarium, videamus. Vt ait Auguſt. Caro eius eſt, quam forma pánis opertam in ſacramento accipimus: Sanguis eius eſt, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. Sed quia vt ſupra dictum eſt, in fine miſſæ oratur, vt corpus Chriſti quod ſub ſpecie panis & vini nūc geritur, rerum veritate capiatur: ne putetur ipſa ſpecies panis & vini, quā corpori Chriſti non dicit verā vel propriam, ſimiliter in ſe ipſa non eſſe vera, ſed phantaſtica: ſicut ſolent videri phantaſticæ ſpecies rerum in ſomnijs, vel magorum pręſtigijs: quid eſt quod S. Auguſt. approbare cōtendit modis omnibus, ſacrificiū ſ. Eccleſię duobus confici, duobúſq; cōſtare, viſibili elementorū ſpecie, & inuiſibili Chriſti carne & ſanguine? Si falſum & friuolū erat: fruſtra hoc tantus vir oībus modis approbare cōtendebat, fruſtra ad confectionē ſacramentalē, verā ex veris rebus oſtēdendā perſonalē confectionē Chriſti, ex vero Deo & vero homine in ſimilitudinē adducebat: Fruſtra etiam vniuerſalē propoſitionē (qua vtramq; cōfectionem, ſacramenti ſcilicet, & perſonæ Chriſti, ex veris rebus conſtare aſtrueret) ſubdebat dicens: Quia

omnis res illarũ rerum naturam & veritatẽ in ſe cõtinet, ex quibus conficitur. Quod abſit. Sacrificium enim Eccleſiæ reuera veritatẽ, & naturam in ſe continet earum rerum ex quibus conficitur, quia verè & naturaliter continet corpus Chriſti & ſanguinem: & nihilominus verè & naturaliter elemẽtorum eandẽ quæ fuerat ſpeciẽ. Alioquin quomodo verũ erit, quod de elemẽtis ſacramentalibus Ambroſ. dicit, vt ſint quę erãt, & in aliud commutẽtur: niſi de eis in ſacramento & aliquid reſeruetur, vt ſit quod fuerat, & aliquid mutetur, vt melius fiat? Item quomodo verum erit, quod præſente Nicolao Papa, & 113. epiſcopis ſancta Synodus Romæ Berengario hæretico de huius rei catholica fide ſcriptum tradidit, & ille iureiurando firmauit: panem ſcilicet & vinum poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed & corpus Chriſti eſſe & ſanguinem? Si panis poſt conſecrationem vtrunque eſt, ſacramentum ſcilicet & corpus Chriſti: oportet quod ſacramentum ſit ſpecie, & corpus Chriſti factum ſit ſubſtantiæ mutatione. Vnde Auguſtinus: Quod videtis in altari, panis eſt & calix, quod etiam oculi veſtri denunciant: oculorum teſtimonio non phantaſiam, ſed ſpeciei veritatem approbãs. Et ſubdidit: Quòd autem fides poſtulat, panis eſt corpus, calix eſt ſanguis, mutatione ſcilicet ſubſtantiæ. Alioquin ſi ex phantaſia & veritate ſacramentum Chriſti confici creditur, iam confectio non erit: quam ex aliqua re & nulla confectio conſtare non poſsit. Conficitur ergo ſacramentum ex vero corpore Chriſti & ſanguine, & ex veris ſpeciebus panis & vini.

De conſe. diſt. 2. ca. Ego Berenga.

Quomodo panis ſacramẽtũ et corpus Chriſti.

Quomodo ſacramentum corporis Chriſti à cæteris ſa-

cramentis differat vel conueniat. Cap. VIII.

SEd quia de confectione Sacramenti dictũ eſt: quomodo ſacramentum corporis Chriſti ab alijs differat ſacramentis, vel quomodo conueniat, videamus. Cætera enim Sacramenta noui Teſtamenti & veteris, figuræ tantum fuerunt: nec aliquæ ſpecies eorum, vt id fierent quod ſignificabant, ab hoc quod fuerant, vt mãna, petra, aliquatenus mutatæ ſunt. Aqua verò baptiſmatis, & oleum chriſmatis in Sacramento ab hoc quod eſt non mutatur: nec ſpiritum ſanctum, quem ſignificat aqua abluentem, emundantem, oleum verò roborantem, illuminantem, quàmuis credentibus ſuo myſterio exhibeat, nõ tamen continere eſſentialiter, ſed figuratiuè tantum creditur. Solùm ſacramentum panis & vini ita mutatur, vt ſubſtantialiter non ſit quod ante fuerat: ſed ſubſtantia eius corpus Chriſti fiat, forma verò remanens ipſum ſignificet & contineat. Hanc autem panis & vini ſubſtantiam ideò Chriſtus in ſuo ſacramento remanere non voluit: ne ſi duæ ſubſtantiue veritates, panis ſcilicet cõmunis noſter, & ipſe viuus & verus panis in eodem ſacramento eſſent, errorem gignerent veritatis: dum ibi eſſet & ipſe verus panis, quia vita æterna: & panis cõmunis ſuo modo verus, quia tẽporalis vitæ ſubſtantia. Facilius enim & certius creditur corpus Chriſti in illo ſacramento fieri & eſſe, vbi corporaliter non fuerat, non ſolùm pro Sacraméto, ſed & pro miraculo: dum ibi panis deſinit eſſe quod fuerat. Et forſitan ne hæreſes impanationis & fœdæ digeſtionis huic ſingulari ſuo Sacramento aſcribi poſſent, ipſum ab omni corruptibilis naturæ vel materiæ contagio purũ eſſe

Cur ſubſtãtia panis uiniq; non remaneat.

 voluit.

voluit. Sciendum tamen quod beatus Auguſtinus hoc Sacramentum in ſignificando Chriſtum alijs comparat: quãuis tanto priuilegio, vt dictũ eſt, omnibus tam nouis quàm veteribus præcellat. Ait enim in libro 3. de Trinitate: Si Apoſtolus Paulus, quãuis adhuc ex parte & in ænigmate videret, potuit tamen ſignificando Chriſtum prædicare, aliter per linguã ſuã, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentũ corporis & ſanguinis eius: nec ſignificantes ſonos lingua æditos, nec ſigna literarũ conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptũ, et prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem: quid mirũ, ſi etiam in creatura cœli & terræ, maris & aeris, facit Deus quæ vult ſenſibilia & viſibilia, ad ſeipſum in eis, ſicut oportere nouit, ſignificandum & demonſtrandũ? Cũ igitur per ſacramentũ corporis & ſanguinis Domini Chriſtus ſignificari dicatur, & ipſum cæteris ſignificantibus adnumeretur, & eius exemplo cæteræ ſignificatiuæ ſpecies à Deo poſſe fieri aſtruãtur: conſtat ipſum Sacramentũ ſicut cætera eſſe ſignificatiuũ. Itẽ Aug. in ſerm. 26. ſuper Ioãnẽ: Et nos hodie accipimus viſibilem cibum. Sed aliud eſt ſacramentũ, aliud virtus ſacramẽti. Et paulo poſt: Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, Hunc panem ſignificauit mãna, hunc panem ſignificat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diuerſa ſunt, in re quæ ſignificatur paria. Apoſtolũ audi: Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. Spiritualem vtiq; eãdem: nam corporalem alteram,

Cap. 4.
1. *Cor.* 13.
Ioan. 6.
1. *Cor.* 10.

alteram, quia illi manna, nos aliud: ſpiritualem verò quam nos. Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili: quod tamẽ idem ſignificaret virtute ſpirituali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant, inquit, de ſpirituali ſequẽte petra, petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in verbo & in carne. Manna & ſpeciem viſibilem panis & vini corporalem eſcã dicit, diuerſa illis & nobis: ſed quod credentibus illis & nobis per hanc diuerſam eſcam ſignificatur idem eſt, ſcilicet Chriſtus: & ideo dicit in ſignis diuerſa eſſe manna & panẽ, in re, id eſt, in Chriſto qui ſignificatur per illa paria: cũ tamen ſacramentũ panis familiarius ſignificet Chriſtũ quàm manna, quia manna futurũ, panis præſentem, manna tãtum extrinſecus, panis ita vt ſubſtantialiter ſit conuerſus in corpus Chriſti, & formaliter ſignificet corpus Chriſti. Eadem enim fide Chriſti ſaluati ſunt qui antè Chriſtũ, qua ſaluãtur & illi qui modo ſunt: quia crediderũt venturũ eſſe quem nos credimus veniſſe. Vnde Auguſt. in libro de pœnitentia: Vt quid paras dẽtes & ventrẽ? Credere in eũ, hoc eſt manducare panẽ viuũ. Qui credit in eũ, manducat eum. Item Auguſt. in Pſal. 104. Panis cœli eſt aſſumptũ corpus agni, quo nos reficimur in Eccleſia, ſicut illi refecti ſunt manna. Nec ſolũ cõparatur ſacramẽtum corporis Chriſti cæteris ſacramẽtis conſignificãdo: ſed & in corpore Chriſti æternaliter nõ permanẽdo. Quãuis enim panis ſubſtãtia mirificè, vt dictũ eſt, in corpus Chriſti cõuerſa eſſe credatur: forma tamẽ in ſacramẽto remanẽs, nõ in corpore Chriſti manere perpetualiter

Tract. 25 in Ioan.

Pſal. 104

tualiter

tualiter, ſed poſt hanc vitã omnino deſinere creditur, ſicut & cætera ſacramenta. Quũ enim ſcriptum ſit: Panem angelorum manducauit homo, quia eodem Chriſto reficitur homo in via credendo, quo ſatiantur angeli in patria, eum ſicut eſt videndo, cum eodem fruuntur vt viuant ſine ſacramento quo & nos ne moriamur cũ ſacramento: quando erimus ſicut angeli Dei, nunquid eum quẽ angeli ſine ſacramento vident reuelata facie ſicut eſt videre poterimus, niſi ablata vmbra ſacramẽti: Quomodo enim facies ſua vel noſtra erit reuelata: niſi omnis veli vmbra reiecta, & nos appareamus filij Dei, quod ſumus, & ipſe nobis appareat quod eſt, ſicut eſt Deus? Fruſtra oraremus, vt quod nũc ſpecie geritur, rerũ veritate capiamus: ſi ibi etiam huius ſacramẽti haberemus vmbrã, vbi facie ad faciẽ ſicut eſt videre ſperamus Chriſti gloriã. Quæ enī remuneratio eſſet nobis in alia vita: ſi vmbra Sacramenti cõtegẽte, veritas gloriæ Chriſti nunq̃ nobis fieret manifeſta? Vnde Ambroſ. in libro de officijs: Illa igitur

Lib. 1. Cap. 48. ſunt nobis expetẽda, in quibus perfectio, in quibus veritas eſt. Hic vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in euãgelio, veritas in cœleſtibus. Ante agnus offerebatur & vitulus: nunc Chriſtus offertur, quaſi recipiens paſsionẽ, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrẽ quaſi aduocatus pro nobis interuenit. In quo notandum eſt, quia in veteri teſtamento, dedit

NOTA Deus tãtum figuræ vmbram, in nouo veritatem cum figura, in futuro dabit veritatem non cũ figura, ſed manifeſtám: vt tali profectu temporum nos perfectæ veritati viciniores oſtenderet, quibus poſt

bus poſt vmbratam veritatem, nihil niſi eandem manifeſtam dari reſtaret. Vetus enim teſtamentum, veritatem promiſit, non dedit: nouum dedit, ſed non oſtendit. Quid reſtat, niſi vt eadem veritas in alia vita manifeſtetur? Vnde & venerabilis Beda presbyter ait in expoſitione huius euãgelici capituli: Non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos. In hac vita lumine ſanctarũ ſcripturarum & ſacramẽtorum cœleſtium refectione opus habemus: in futuro autẽ talibus nõ egebimus ſubſidijs, vbi iuxta Pſalmiſtæ vocem, quicunque apparuerint cum iuſtitia, ſatiabuntur manifeſta gloria Chriſti. Quomodo enim egebimus refectione vbi ſempiterna erat ſacietas? vel quomodo egebimus ſacramento, quod vtique oculus corporaliter videt: cũ Deus diligentibus ſe (teſte Apoſtolo) quod oculus non vidit, & auris nõ audiuit & in cor hominis non aſcendit, præparauerit? Item cùm ipſe dominus nobis præceperit, quotieſcunque hoc facimus facere ad ſuã commemorationẽ: cũ eum videbimus ſicut eſt, quomodo neceſſaria erit huiuſmodi cõmemoratio: cùm in præſente eiùs viſione, nulla poſsit intercidere obliuio? Vnde D. Hieronymus in primã Epiſtolã ad Corinthios: Hãc vltimam memoriam nobis reliquit, quemadmodum ſi quis peregre proficiſcens, aliquod pignus ei quem diligit relinquat: vt quotieſcunque illud viderit, poſsit & eius beneficia & amicitias memorari: quem ſi ille perfectè dilexerit, ſine ingenti illud deſiderio vel fletu videre nõ poteſt. Ideo hoc Saluator tradidit ſacramentũ: vt per hoc ſemper commoneamur, quia pro nobis mortuus eſt. Nam & ideo cùm accipimus, à ſacerdotibus cõmonemur, quia corpus & ſanguis

Luc. 6.

In cap. 2.

ſanguis eſt Chriſti: vt non ſimus ingrati tātis eius beneficijs. Quia igitur commemoratio mortis non erit neceſſaria ad concitandum deſiderium vel fletum, vbi non peregrè profecta, ſed præſens ſemper erit vita æterna & gaudiū: ideo Apoſtolus huic ſacramento, ne æternum videatur, finē denuncians ait: Quotieſcunq; manducabitis hūc panem & calicem bibetis: mortē domini annunciabitis donec veniat. Quod Auguſt. exponēs in libro contra Fauſtum ait: Significat finem ſeculi, quando erit ſanctorum requies, non adhuc in ſacramento ſpei, quo in hoc tempore conſociatur Eccleſia, quando bibitur quod de Chriſti latere manauit: ſed iam in ipſa perfectione ſalutis ęternæ, cū tradet regnum Deo & patri: vt in illa perſpicua contēplatione incommutabilis veritatis, nullis myſterijs corporalibus egeamus. Quia ergo hoc ſacramento nō eſt in æternū mors Chriſti annunciāda, ſed tantū donec veniat, quia poſtea nullis myſterijs egebimus: cōſtat illud tranſitorium eſſe ſignum & temporale, quo tantū egemus nunc, dum videmus per ſpeculum & in ænigmate. Vnde item Auguſt. in ſermone ſuper orationē dominicam: Cū tranſierit vita iſta, nūquid petemus panem quotidianū? Tunc enim nō vocabitur quotidie, ſed hodie. Nunc vocatur quotidie, quādo tranſit dies, & venit alius dies. Nunquid vocabitur quotidie quando erit æternus vnus dies? Sanè duobus modis intelligēda eſt iſta petitio de pane quotidiano, ſiue pro neceſsitate carnalis victus, ſiue pro neceſsitate ſpiritualis alimoniæ. Norūt ſpiritualē alimoniā fideles, quam & vos ſi puri eſtis accepturi eſtis de altari Dei. Panis erit & ipſe quotidianus huic vitæ neceſſarius.

Euchari-

rius. Nunquid enim Euchariſtiam accepturi ſumus, quum ad ipſum Chriſtũ venerimus, & cum illo in æternum regnare cœperimus? Ergo Euchariſtia quotidianus panis eſt: Sed ſic accipiamus eum, vt nõ ſolũ ventre, ſed & mẽte reficiamur. Et paulò poſt: Quando illuc venerimus, ipſum verbum manducaturi ſumus & bibituri, quomodo angeli modo. Vidẽt enim ipſam veritatem, & ipſo fonte ſatiantur, vnde nos irroramur. Quũ igitur Euchariſtia ſit panis quotidianus, huic vitæ neceſſarius, quem non ſumus accepturi, cùm ad ipſum Chriſtum venerimus, quando manducaturi ſumus ipſum verbũ quomodo angeli modo: conſtat eam non eſſe ęternam ſpecietenus, quam tamen ipſa ſui veritate æternam credimus. *Euchariſtia panis quotidianus.*

Quia igitur panis myſticus fit nobis, non naſcitur, nec ipſo ſuo myſterio ęternus habetur, ſed tẽporalis & quotidianus, quod nec origine, nec æternitate Chriſto cõgruit: quomodo vnius perſonæ cum ipſo credendum erit, cũ de noſtra perſona etiam dominus dixerit: Quia capillus de capite veſtro nõ peribit? *Luc. 21.* Quapropter de forma huius ſacramẽti ita iudicemus, ſicut b. Auguſtinum in libro primo contra Maximinum formam imperſonatam & formam myſticam diſtinxiſſe cognouimus. Ait enim, Adhuc in forma humana eſt filius, quam leuauit in cœlum & ſempiterna erit in regno, hæc eadẽ forma immortalis. Nam de ſpiritu ſ. qui nullam ſuſcepit formã ad vnitatẽ pſonæ ſuę, quãuis ſe per ſubiectã creaturã viſibiliter & ipſe, ſiue per columbæ ſpeciẽ, ſiue per linguas igneas ſit demõſtrare dignatus: nunq̃ dictus eſt minor patre. Ad horã quippe apparuerũt illa quæ ſpiritũ ſanctum ſignificando mõſtrarent vi-

ſibiliter

ſibiliter inuiſibilem, columba propter amorem ſanctum, ignis autem propter charitatis lumen atq; feruorem: & peracto ſignificationis officio corporales illæ ſpecies tranſierunt, atq; eſſe vlterius deſtiterũt, ſicut columna ignis nubiloſa per diem, luminoſa per noctẽ. Chriſtus autẽ non humanam ad horam ſumpſit effigiẽ, in qua hominibus appareret, ac deinde ſpecies illa periret: ſed in vnitate perſonæ ſuæ, manente inuiſibili Dei forma accepit viſibilem hominis formã, non ſolùm natus in ea de homine matre, verũ etiam creuit in ea, manducauit, bibit, dormiuit, occiſus eſt in ea, reſurrexit, aſcendit in cœlũ, ſedet ad dexterã patris in ea, & in regno ſuo ei qui illi ſubiecit omnia, erit ſubiectus in ea. Sic igitur in ſacramento corporis Chriſti, panis formam Chriſto non dicamus imperſonatam. Sed quãuis ipſa panis ſubſtantia mirificè in corpus Chriſti conuerſa ſit, panis tamen forma in ſacramento remanens, manſura perpetualiter in Chriſti corpore non putetur: ſed ſicut cætera ſacramentà poſt hanc vitam omnino deſiſtere credatur, ne de impanatione aliqua hæreſis oriatur. Nam ſi impanatur Chriſtus, vel in panem conuertitur, quod eſt nefarium, cùm ſit immutabilis, vel fit panis ſicut verbum caro factum eſt, quod friuolum eſt: cùm non aſtruat autoritas Euangelica vel Prophetalis, cùm econtrario etiam panis fiat caro Chriſti, ita vt nõ remaneat panis. Non enim eſſet magnum quòd Apoſtolus ad cõmendandam hominibus Dei dilectionẽ, & humanæ naturę dignitatem ait, quia filius Dei angelos non apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehẽdit: ſi ille qui naturę angelorum cõtempſit perſonaliter vniri, brutæ

Species ſacramenti non ſunt perpetuæ

Cõtra eos qui credũt ſubſtantiã panis manere.

brutæ panis ſubſtantię imperſonatus, panis vellet fieri. Sua enim imperſonatio iam non hominibus ſingularis, quia etiam panibus facta communis: ſicut humanæ naturæ minueret dignitatem, ſic etiam Dei erga homines minus cõmendaret dilectionem. Non ergo moueat quẽquam quòd ipſe de ſe ait: Ego ſum panis viuus figuratè, quia ſi ipſe creditur panis fieri verè: quomodo eandem redemptionẽ, quã ſemel fecit in cruce, operari poterit, etiam in altari quotidie? Nam qui ſemel incarnatus, paulo minus ab angelis eſt minoratus, quia factus paſsibilis: hic toties impanatus, quoties in altari conſecratus, ipſis hominibus multo minor fieret, quia factus irrationalis. Sicut enim imperſonationis iure, vt verus homo eſſet in homine, accepit animam cũ ratione ſua, & carnem cum ſenſibus ſuis, vt in ea pati poſſet, ſic panem acciperet cum irrationalitate ſua: & ita quia minor fieret ſuis redẽptis, nõ videretur ęquum & ſufficiens eſſe preciũ redẽptionis. Si enĩ neq; in cœlo, neq; in terra, neq; ſubtus terrã inuentus eſt dignus qui aperiret librũ noſtræ redemptionis, quia neq; angelus, neq; viuus homo, neq; mortuus: quãto minus aliquis infra hominem factus. Abſurdũ eſt igitur de Dei ſapientia tam ſtultè ſentire, aliquáſq; ſcripturas ad huiuſmodi ſenſum inflectere. Cur enim Deus fieret aliud quàm quod ſemel factus eſt, homo ſcilicet ad noſtram ſalutem: cùm nihil aliud operetur in ſacramento, quam quod ſemel operatus eſt nobis in ſeipſo, in cruce ſ. & altari, noſtram redemptionẽ: ad quã ſemper dignè ſuſcipiendã, ſemper ſigno ſuæ præſentiæ noſtram voluit excitare deuotionẽ, per tanti ſui beneficij præſentis & præ-

Ioan. 6.

Apoc. 5.

teriti commemorationem? Sicut ergo ſpiritus ſanctus in ſpecie columbę vel linguis igneis ſine vnitate perſonæ apparuiſſe creditur: ſic Chriſtus in ſacramento panis & vini corporaliter confici, ſed non perſonaliter vniri aſtruatur.

Quòd nouus panis & vinum in corpus Chriſti mutata, nouã carnẽ vel ſanguinẽ nõ generant. CAP. IX.

SEd iterum huius mutationis trahũt aliqui nimis ſimpliciter à cõmuni natura ſimilitudinẽ: vt ſicut panis & vinũ in viuẽtem carnem & ſanguinem transfertur noſtrum, vel etiam in viuentem & viuificatricẽ carnẽ ipſius Chriſti, quàm diu nobiſcum cõuerſatus eſt per naturam comeſtionis: ſic etiam in viuentem & viuificatricẽ carnem & ſanguinem Chriſti transferatur per gratiam ſacerdotalis benedictionis. Sed longè aliter panis & vinũ fit caro & ſanguis Chriſti in Sacramento per gratiam: quàm in cuiuſlibet vel etiam ipſius Chriſti ſtomacho per naturã. In ſtomacho enim Chriſti panis & vinum non mutata vel deficiẽte ſubſtantia ſed forma, nouã carnem & nouum ſanguinem, corruptioni aliquatenus obnoxiũ, ſicut in cæteris hominibus generauit: in Sacramento autẽ mutata ſubſtãtia nõ forma, panis & vinũ nõ fit noua caro & nouus ſanguis, ſed exiſtẽs ſubſtãtia panis & vini mutatur in coexiſtentem ſubſtantiam corporis Chriſti: ita vt nouitate ſua nihil in ipſo innouet, mutatione ſua nihil immutet. Si enim eſt mutabilis, vel in augmentũ mutatur vel in detrimẽtum. Sed ſi eget augmento, non in virum perfectum reſurrexit: Si detrimento obnoxius eſt, corruptionẽ nondũ euaſit.
Epiſ. 146. Sed ecõtra Aug. in epiſt. ad Conſentium de corpore

pore Domini poſt reſurrectioné: Cõſtat itaq; nec vllo modo dubitandum eſt, corpus Chriſti quod licet corruptionis putredinem in ſepulchro non viderit: vnde ſcriptum eſt, Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: clauis tamen & lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione conſiſtere. *Pſal. 15.*

Si quæris itaq; quomodo res corruptibilis in incorruptibilem, exiſtens in coexiſtenté, noua in antiquam ſine illius innouatione vel mutatione mutetur: reſpondet tibi Auguſt. in libro ſententiarum Proſperi. Si quæris modum quo id poſsit fieri, breuiter ad præſens reſpondeo: Myſterium fidei eſt, credi ſalubriter poteſt, inueſtigari vtiliter non poteſt. Item idé contra Felicianũ: Omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem: ne operibus ſuis similé dicamus eſſe factoré. Et poſt pauca: Hoc fides credat, intelligentia non requirat ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare. Item Ambroſius in libro de myſterijs initiãdis, omnis naturæ terrenæ originem vel cõditionem ab hoc ſingulari diuinæ gratiæ ſacramento excludẽs ait: Fortè dicas, Aliud video, Quomodo tu mihi aſſeris, quòd corpus Chriſti accipiã? Et hoc ſupereſt nobis vt probemus. Quantis vtimur exemplis, vt probemus, nõ hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio cõſecrauit: maioremq; eſſe vim benedictionis, quàm naturę, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgã tenebat Moyſes: proiecit eam & facta eſt ſerpens. Et poſt pauca: Tetigit Moyſes petram, & aqua de petra profluxit. Nunquid non præter naturam operata eſt gratia: vt aquam vomeret petra, quam non habebat *Cap. 8.* *Cap. 9.*

 natura?

natura? Aduertimus igitur maioris eſſe gratiam, quàm naturã. Quòd ſi tãtum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret: quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba Domini ſaluatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti conficitur ſermone. Sermo igitur Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Nónne maius eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas? Quid argumentis vtimur? ſuis vtamur exẽplis, incarnationiſq; exẽplo aſtruamur myſterij veritatẽ. Nũquid naturæ vſus præceſsit, cũ Chriſtus Dominus ex Maria naſceretur? Liquet ergo quòd præter naturæ ordinem virgo generauit. Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid hic quęris naturę ordinem in Chriſti corpore cũ præter naturam ſit ipſe dominus Ieſus partus ex virgine? Vera vtiq; caro Chriſti: quę crucifixa eſt, quę ſepulta eſt. Vere igitur carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe dominus Ieſum clamat: Hoc eſt corpus meũ. Ante benedictionẽ verborũ cœleſtiũ, alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. In quo notandũ eſt, quia b. Ambroſius ad comprobãdum huius ſingularis myſterij tertiũ miraculũ, duo mirabilia opera Dei præmiſit: vnum creationis, qua fecit exiſtere quæ non erant: alterum mutationis, qua ea quæ erant fieri fecit quod non erãt. Quorum quia ab altero quieuit, ne deinceps ex nihilo ſubſtantias creet ac formas: alterum naturæ communicauit, quo ea quæ ſunt, in id quod non ſunt, mutantur

Tria mirabilia opera Dei.

ſecun-

ſecundum formam: vt virga in ſerpentem, mirabiliter, & omne ſemen in fructum ſui generis naturaliter. Tertiũ priuilegio diuini ſermonis aſcribens, ſubiecit: & hoc quod cõficimus corpus, ex virgine eſt. In præſenti enim quod dixit, cõficimus nouitatẽ panis: in corpore quod ex virgine eſt immutabilitatẽ antiquæ veritatis aſtruxit: vt dum panis manente forma ſua mutatur in id quod non erat, corpus ſcilicet Chriſti quod ex virgine erat præter ordinem naturę: nec de nihilo credatur corpus Chriſti creari in ſacramento, ſecundum primariæ naturæ originem: nec panis formam mutari ſecũdum naturæ cõmunicatam conſuetudinem: ſed nouo & inaudito modo ita mutari ſubſtantiam panis in ſubſtantiã corporis Chriſti, vt panis non ſit, ſed appareat eſſe quod fuerat, & corpus Chriſti non deſiſtat eſſe quod erat. Dignum namq; erat, vt quia hoc ſibi in ſeipſo erat propriè propriũ: cæteris ſuis operibus incõmunicabile faceret tanti ſui myſterij miraculum. Quæritur autẽ cùm dominus ante paſſionem diſcipulis ſacramentũ corporis ſui dederit, quando erat naturæ paſsionibus obnoxium, ſi ita incorruptibile & immortale dederit illud in ſacramento, ſicut datur nobis modo: maximè cũ dixerit, Hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur, hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur. Sed non eſt mirũ, ſi ille qui ante paſsionem trãſfigurauit ſe in tale corpus, quale poſt reſurrectionẽ habiturus erat, & poſt reſurrectionẽ oſtẽdit corpus ſuum vulneratum & palpabile, quale ante paſsionẽ habuerat: ita immortale dederit corpus ſuum in ſacramento quod erat moriturum, ſicut poſt reſurrectionem idem corpus ſuũ quod

Quale corpus Chriſtus in cena dederit.

erat inuulnerabile, oſtẽdit vulneratũ. Sicut hoc, ſic & illud diuinæ potentiæ aſcribatur. Diuina enim operatio (vt ait B. Gregorius) ſi ratione cõprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio prębet experimentũ. Qui ergo duplici forma, humana ſcilicet & ſacramentali præſentem ſe exhibuit quaſi alterum, cùm omnino idem eſſet, & comedendum ſe diſtribuit cùm viuus & integer permaneret: nónne in illo ſacramẽto ſe incorruptibilem & immortalem præbuiſſe credendus eſt, in quo nec morſibus attritus corrumpi, nec comeſtione tot hominum deuoratus potuit occidi? Sicut ergo moriturus in ſeipſo, factus eſt immortalis in ſacramẽto ſupra naturam: ſic etiam tũc cùm caro eius & ſanguis cibis & potibus innouari poſſet, ac mutari per naturam in ſeipſo, non tamẽ nouo vino et nouo pane innouari aut mutari potuiſſe credenda eſt eadem caro vel idem ſanguis in ſacramẽto. Quòd autem ſeipſum diſtribuerit diſcipulis, teſtatur Auguſtinus in tit. Pſalmi 33. cùm fugeret Dauid Saul perſecutorem inquiens ita. Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc verò quomodo fieri poſsit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam nõ inuenimus: in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quãdo cõmendãs corpus ſuũ ait: Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Cùm ergo conſtet, quia ſeipſum moriturus immortalẽ, viſibilis inuiſibilem in ſacramento dederit: cõſtat quia illud corpus ſuũ, quale nos modo ſumimus, tale fuit, vnum idemq́; omnino in ſubſtãtia et tunc et nũc: ſed tunc

Homi. 26. in Euang.

ſed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate, in hominis et ſacramẽti forma, nũc hominis tantum et ſacramenti forma. Quam identitatem ſubſtantiæ, diuerſitatem'q́ formæ Auguſtinus diſcernens: de identitate ſubſtãtiæ, vt omnem nouitatem vel diuerſitatem excludat, ait in Serm. ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de Chriſti latere. Erit enim ei mors, nõ vita, qui mendacẽ exiſtimauerit vitã. Qui ergo de ſubſtantia tam veraciter aſtruxit, illud idem hic eſſe quod ibi fuit: de diuerſitate formæ in epiſtola ad Ireneum ita ait, Non hoc corpus quod videtis mãducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Ipſum quidem et non ipſum. Ipſum inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter. Quaſi diceret: Ipſum quidem ſecundum inuiſibilem ſubſtantiam, et nõ ipſum ſecundum viſibilem formam.

Quòd non de quolibet filio hominis, ſed de ipſo Chriſto intelligendũ eſt: Niſi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitã in vobis. CAP. X.

SEd ex hac beati Auguſtini ſententia qua dicit: non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, et ex ipſius Domini verbis nata eſt hæreſis tempore Cœleſtini Papæ, et Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, quibus adnitentibus celebrata eſt Synodus Epheſina, et deſtructa eſt hæreſis, quæ dicebat panem et vinum altaris, non in propriam carnem et ſanguinem Chriſti, quæ iam in cœlo erat, poſſe in mundo mutari, ſed in carnem et ſanguinẽ cuiuſlibet filij hominis iuſti et ſancti, qui templum Dei, et merito ſuo

corpus Chriſti eſſet de quo Chriſtus ipſe dixerat: Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, non habebitis vitã in vobis. Igitur 150. epiſcopi in Epheſo congregati, contra hanc hæreſin, ita ſcripſerunt Neſtorio epiſcopo hæreticorum: Sanctificamur participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti, omniũ noſtrũ redẽptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati & verbo cõiuncti ſecundũ dignitatis vnitatem, àut ſicut diuinã poſſidentis habitationem: ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, qui eidem propriæ carni vnitus eſt, viuificatricem eã eſſe profeſſus eſt. Et ideo quãuis dicat, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non tamẽ eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam ſuã viuificatrix eſſe poterit caro hominis? Sed profitemur verè propriã eius factam, qui propter nos filius hominis & factus eſt & vocatus. Quũ ergo hac Synodo ſatis aſtructum ſit, non alicuius de vulgo hominis carnem & ſanguinem in myſterio ſumi, ſed carnem viuificatricẽ, & ipſius verbi propriam factam: ne tamen verbis b. Auguſtini, quibus dixit ex perſona Domini, non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, quaſi illud remouendo à ſe, & iterũ myſteriũ veſtrum in menſa Domini poſitũ eſt, eſtote quod videtis & accipite quod eſtis, ne ex hac quaſi vnitatis familiaritate ſubrepat, vt ad hãc dignitatem aſpirare præſumat aliquis, vt ſuum vel alicuius corpus de vulgo ſumi ęſtimet in ſacramẽto: quod verè ſolius Chriſti corpus ibi ſit aſtruamus. Auguſtinus in libro de Trinitate 4. Quis tam ſanctus &

Ioan. 6. *al. 200.* *Synodus Epheſina de eucha.*

Cap. 14.

ctus &

ctus & iuſtus ſacerdos, quàm vnicus filius Dei? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectũ ſacerdotis noſtri? vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idem vnus ipſe verúſq; mediator per ſacrificium pacis reconciliãs nos Deo, vnum cum illo maneret cui offerebat, vnũ in ſe faceret pro quibus offerebat, vnus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat. Item Leo Papa in epiſtola Anatholio epiſcopo miſſa: Aliter in Eccleſia Dei, quę corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia: niſi in noſtrę proprietate naturę verus nos Põtifex recõciliet, verus immaculati agni ſanguis emũdet: qui licet in patris ſit dextera cõſtitutus, in eadẽ tamen carne quam ſumpſit ex virgine, ſacramentũ propitiationis exequitur. Item Leo: Dicente domino, niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, nõ habebitis vitã in vobis: ſic ſacræ mẽſæ cõmunicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis: Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra, Amẽ, ab illis reſpondetur: à quibus cõtra id quod accipitur diſputatur. Itẽ Euſebius Emiſſenus: Inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate cõuertit, ita dicens: Accipite & bibite, Hoc eſt enim corpus meum: Et repetita ſanctificatione: Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis vbi prę-

Epiſt. 24.

Sermone ſexto de ieiunio ſeptimi mẽſis.

Hom. 5. de Paſcha.

cipit virtus, rei ſeruit effectus. Quis ergo de vulgo talis, vt vnicus Dei filius, qui in eadem carne quam ſumpſit ex virgine ſacramentum propitiationis nobis in dextera Dei ſedens exequitur, & inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam ſui corporis conuertit? A qua præſumptione Euſebius prorſus nos compeſcens ait: Cùm ad reuerendum altare cibis ſatian-
*aſcendis dus * accedis: ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice, mente continge, honora, mirare, cordis manu ſuſcipe, & maximè hauſtu interiori aſſume. Et poſt pauca. Ad agnoſcẽdum & percipiendũ ſacrificium veri corporis, ipſa te roboret potentia conſecrantis. Qui tunc latuit prę figuratus in manna, eſt tibi manifeſtatus in gratia. Ipſum autem in mannæ illius ſpecie præſig-
Pſal. 77. natum etiam Propheta oſtẽdit dicens: Panẽ angelorum mãducauit homo. Et quis eſt panis angelorum, niſi Chriſtus qui eos cibo ſuæ charitatis, & lumine ſuæ claritatis exatiat?

Quòd in Sacramento viſibili ſit ſpirituale & inuiſibile corpus Chriſti. *CAP. XI.*

SEd ecce ex verbis Euſebij, quibus aſtruit inuiſibilem ſacerdotem, viſibiles creaturas, in ſubſtantiam ſui corporis conuertere: nóſque monet ipſum Dei corpus & ſanguinem, fide, mẽte, cordis manu, interiori hauſtu, ſpiritualiter ſumere: videtur quærendũ, ſi ſacerdos eſt inuiſibilis, quomodo ſua ſubſtantia ſunt, cùm ſint viſibilia corpus & ſanguis? Sed ſciendum quia poſt reſurre-
1. Cor. 15. ctionem corpus Chriſti ſicut incorruptibile, ita & inuiſibile fuit: quia vt ait Apoſt. non animale, ſed ſpirituale ſurrexit: & quale prodijt de ſepulchro,

pulchro,tale eſt in panis & vini ſacramẽto.Quòd *Ioan.* 20.
enim legitur poſt reſurrectionẽ diſcipulis oſtendiſſe manus & latus,beatus Gregorius ita diſtinguit in homilia paſchali: Corrumpi neceſſe eſt *Homilia*
quod palpatur,& palpari non poteſt quod non 26.*in* Eu.
corrumpitur.Sed miro & inęſtimabili modo,redẽptor noſter & incorruptibile poſt reſurrectionem,& palpabile corpus exhibuit:vt monſtrãdo incorruptibile inuitaret ad præmium, præbẽdo palpabile formaret ad fidem. Et incorruptibilẽ ergo ſe,& palpabilem demonſtrauit:vt oſtenderet corpus ſuum poſt reſurrectionem & eiuſdem naturæ,& alterius gloriæ. Quòd autem corpus Chriſti ſpirituale ſit, & incorruptibile, & inuiſibile,nec tamen minus ſubſtantiale in ſacramento:teſtãtur cęteri ſancti cum Euſebio: Vnde Ambroſius in libro de ſacramentis: His ſacramentis *De myſte-*
paſcit Chriſtus eccleſiã ſuã,quibus animæ firma- *rijs initiã-*
tur ſubſtãtia. Quid edamus & bibamus,per pro- *dis.*
phetam ſpiritus ſ.expreſsit dicens: Guſtate & vi- *Cap.*9.
dete quoniã ſuauis eſt dominus. In illo ſacramẽ- *Pſal.* 33.
to Chriſtus eſt,quoniam corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt. Corpus
enim*Dei,corpus ſpirituale eſt: corpus Chriſti, **Domini*,
corpus eſt Diuini ſpiritus. Item Auguſt. Hoc eſt quod dicimus ſacrificiũ eccleſiæ duobus cõſtare, viſibili elementorum ſpecie,& inuiſibili domini
noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine.Itẽ idẽ.Nos *Caßiodo-*
autẽ in ſpecie panis & vini quã videmus res in- *r⁹ in Pſal.*
uiſibiles,id eſt,carnem Chriſti & ſanguinem ho- 109.*uerſu*
noramus.Sed in iſta carne & ſanguine nil cruẽ- *Tu es ſac.*
tum,nil corruptibile mẽs humana cõcipiat: ſed *ſecũ.ordi.*
viuificatricẽ ſubſtãtiã atq; ſaluatricẽ & ipſius ver- *Melchiſe-*
bi propriã factã,in pane & vino,per quæ ſi dignè *dec.*

ſuman-

ſumantur, nobis eſt peccatorum remiſsio collata. Item Auguſt. ad Ireneũ, Nõ hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis. Ipſum quidem & non ipſum. Ipſum inuiſibiliter, & non ipſum viſibiliter. Vnde & ſubditur: Si neceſſe eſt viſibiliter illud celebrari, neceſſe eſt inuiſibiliter intelligi.

Quia ergo corpus Domini ſpirituale, nõ eſt corporalis eſca, ſed ſpiritualis, & neceſſe eſt inuiſibiliter illud intelligi, ideo Auguſtinus in libro 3. de

Cap. 16. doctrina Chriſtiana ait: Locutio ſi flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficẽtiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis, inquit, carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo eſt pręcipiens paſsioni Domini eſſe communicãdum, & vtiliter recondendũ in memoria, quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata ſit. Quod &

Luc. 22. ipſe Dominus præcepit, Hoc facite in meã commęmorationem. Item Hieronymus in Homilia ſuper Leuiticum: Non ſolũ in veteri teſtamento

Litera occidens. litera occidens deprehenditur: Eſt & in nouo teſtamento litera, quæ occidit eũ qui non ſpiritualiter aduertit. Si enim literam ſequaris, hoc ipſum quod ſcriptum eſt, niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, occidit hæc litera. Si enim ſpiritualiter eã intelligas, non occidit, ſed ſpiritus viuificans eſt in ea. Quod

Auguſtin. Auguſtinus in expoſitione Pſalmi 54. apertius exponens, prima, inquit, hæreſis in diſcipulis Chriſti, velut à duritia ſermonis eius facta eſt. Quum enim diceret: niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, nõ habebit vitam æternam: illi non intelligentes, dixerunt

xerunt ad inuicẽ: Durus eſt hic ſermo: & ſepara-
uerunt ſe ab illo. Illis deſcendentibus, inſtruxit *Ioan.6.*
illos qui remanſerant: Spiritus eſt, inquit, qui vi-
uificat, caro non prodeſt quicquã. Verba quæ lo-
cutus ſum ad vos, ſpiritus & vita ſunt. Intellexi- *Aug. tra-*
ſtis ſpiritualiter: ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſtis *cta.27.in*
carnaliter: & ſic ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non *Ioan. et in*
ſunt. Spiritualiter intelligite quæ locutus ſum. *Pſal.98.*
Non hoc corpus quod videtis, mãducaturi eſtis,
nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt
qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis
commendaui: ſpiritualiter intellectum, viuifica-
bit vos. Caro autem non prodeſt quicquam, ſed
quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe ſic
intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur,
aut in macello venditur. Sciens autem Ieſus ait:
Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium ho- *Trac.27.*
minis aſcendentem vbi erat prius. Quid eſt hoc? *in Ioannẽ*
Illi putabant illum erogaturum corpus ſuum, il-
le dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtiq; integrum.
Cùm videritis filium hominis aſcendentem vbi
erat prius: certè vel tũc videbitis quia nõ eo mo-
do, quo putatis, erogat corpus ſuũ: certè vel tunc
intelligetis, quia gratia eius non cõſumitur mor-
ſibus. Non enim reuera credendum eſt corpus
Chriſti, cũ ſpirituale ſit & inuiſibile, more ciborũ
communium dentibus & morſibus noſtris poſſe
diſcerpi & conſumi: ſed quàmuis in ſacramento
ſuo verè ſit, & verè ſumatur quantum ad ſubſtan-
tiam, verius tamen & perfectius fide ac deuotio-
ne ſumitur quantum ad ſalutis gratiã. Vnde Au-
guſtinus in libro ſecũdo de Pœnitentia: Vt quid *Trac.25.*
paras dentes & ventrem? Credere in eum, hoc eſt *in Ioan.*
manducare panem viuum. Qui credit in eũ man-

ducat eum. Item idem in libro de verbis Domini: Tunc autem vita vnicuiq; erit corpus & ſanguis Chriſti: ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur. Quod euidẽtius Gregorius in homilia paſchali exponens ait: Quid ſit ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper vtrunque poſtem ponitur: quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In vtroque enim poſte agni ſanguis eſt poſitus: quãdo ſacramentum paſſionis illius, cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoq; intenta mente cogitatur.

Homil. in Euan. 22.

In quo notãdum eſt, quod Auguſtinus & Gregorius idem dicunt, in ſacramento viſibiliter ore corporis ſumi, quod in ipſa veritate ſpiritualiter ore cordis hauriri: non quòd ſubſtantialiter aliquid verius credatur corde, quã ſumatur ore. Sed ſi pura veritate ſumi veritas dicitur, quando quod ſpirituale eſt ſpiritualiter, inuiſibile inuiſibiliter, ſalutare ſalubriter, quod eſt ſicut eſt ſumitur interius amando. Quod idem tamen exterius non in ipſa veritate ſumi dicitur in Sacramento: quia in eo nec quod eſt ſicut eſt ſumitur, quãtum ad extraneam & viſibilem formam: nec quod eſt ſicut eſt malè ſumentibus operatur quantum ad gratiam. Licet enim alter guſtus ſine altero non proſit ſi negligitur: in hoc tamẽ ſpiritualis eſt verior, quia ſemper ſalutẽ operatur bonis, corporalis autem aliquãdo etiã mortẽ malis. Quia igitur ſpirituale corpus Chriſti & ſanguis non carnalis, ſed ſpiritualis cibus & potus eſt, quo ſpiritualiter Chriſtus, ſuã ſibi, vt corpus capiti vnit & incorporat Eccleſiam: ideo Auguſt. figuratã locutionem,

cutionem,qua caro Chriſti mãducari iubebatur, allegoricè intelligendam dixit. Itẽ Hieronymus literam occidẽtem,niſi ſpiritualiter intelligeretur,vocauit: vt corpus Chriſti non membratim diſcerptum, & coctũ vel crudũ mãducari debere videretur,ſed potius ſpiritualiter , vt dictum eſt, incorporari & vniri fidelibus crederetur. Quãuis autem corpus & ſanguis Chriſti ſpiritualis cibus & potus ſit,& ſpiritualiter ſumi iubeatur : nõ tamen ita per omnia accipiẽdum eſt ſpiritualiter, vt tantum animę & non corpori noſtro ſalutem æternam operetur. Ait enim Ambroſius in prima epiſtola ad Corinthios: Calicẽ myſticum ad tuitionem animæ & corporis percipimus: Caro Saluatoris pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt:vt totũ hominẽ ſaluum faceret . Item Auguſt.in ſermone 26.ſuper Ioan. Cùm dixiſſet,Qui mãducat carnem meã & bibit meum ſanguinem,habet vitã æternam : cõtinuo ſubiecit,Et ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die, vt habeat interim ſecundũ ſpiritum vitam æternã,in requie quæ ſanctorũ ſpiritus ſuſcipit.Quòd autem ad corpus attinet, nec ei vita æterna fraudetur,ſed in reſurrectione mortuorum in nouiſſimo die. Vnde etiam ſecundum corpus dicimur membra capitis Chriſti eſſe. Auguſtinus in ſer.de verbis Apoſtoli:Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus animam tãtummodo ſuſcepiſſet humanam, membra eius non eſſent niſi animæ noſtræ.Quia verò & corpus ſuſcepit, per quod etiã caput nobis eſt,qui ex anima & corpore conſtamus: profecto membra illius ſunt & corpora noſtra.Quia igitur nos ex corpore & anima conſtamus,Chriſtus autem ex corpore & anima & deitate: videamus

mus ſi in tam vnico vnitatis ſacramẽto, quo Eccleſiæ, vt corpori ſuo corpus ſuum incorporat, ſicut corporis & animæ dominicæ, ſic etiam ipſius diuinitatis ſuæ mereamur habere cõſortium.

Lib.6.c.1 Ait Ambroſ. de Sacramen. Quia idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſors eſt & diuinitatis & corporis: & tu qui accipis carnem eius, diuinæ eius ſubſtantiæ in illo participaris alimento.

Quòd corpus Chriſti, cùm in ſacramento ſit ſpiritualiter & inuiſibiliter, non tamen minus ſubſtantialiter & verè. *CAP. XII.*

QVia ergo ſpirituale & inuiſibile corpus Chriſti aſtruximus, & per ipſum tamen non ſolum ſpiritualiter, ſed & corporaliter humanitatis & diuinitatis eius participamur: eũdem habẽtes ad tuitionem noſtram in viatico, quem ad glorificationem habituri ſumus in præmio, vt ſubſtantialiter & verè in ſacramento ſuo eſſe credatur, quo ipſe nobis & nos ſibi vnimur: de veritate corporis eius, quãuis ſuperius manifeſtè dictum ſit, certius tamen adhuc diſſeremus. Cũ igitur Auguſt. dicat, erit ei mors, non vita, qui mendacem exiſtimauerit vitam: quis non credat ei, quẽ pater Deus mundo commẽdans, & vt ſummum pontificẽ præferens ait: Hic eſt filius meus

Mat. 3.17 Luc. 9. dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite? Inobedientes erimus Deo patri: ſi vt ipſe præcepit non audierimus filium, auribus audiendi, id eſt, auribus fidei. Ipſe autẽ filius teſtatus eſt mundo, quia niſi manducaueritis carnem filij hominis,

Ioan. 6. & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. Et quia omnis caro in ſua eſt poteſtate, ne poſſet alia quàm ſua propria caro intelligi,

ligi,ſubiecit: Qui manducat me, viuet propter me. Sed quia manducare hominem, erat contra humanam conſuetudinē & legem, diſcipuli eius ſcandalizati dixerunt: durus eſt hic ſermo, & receſſerunt ab eo. Vnde Auguſt. in pſal. 33. Videbātur ignaris infantilia verba Domini hæc: Niſi quis manducauerit carnem meam & biberit ſanguinem meum, nō habebit in ſe vitam æternam. Sed hæc verba tegebant virtutem ipſius. Quaſi inſanus putabatur Dominus, quando hæc dicebat: ſed norunt fideles, quia ſacramenta prędicabat. Item idem in libro de verbis Domini, Audiuimus veracem magiſtrum, diuinum redemptorem, humanum ſaluatorem, commendantē nobis precium noſtrum, ſanguinem ſuum. Locutus eſt nobis de corpore & ſanguine ſuo: corpus eſcā dixit, & ſanguinem potum. Sacramētum fidelium, agnoſcunt fideles. Cùm ergo commendans talem eſcam, & talem potum, dixiſſet: Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum non habebitis vitam in vobis, & hoc diceret de vita: quis alius loquebatur quàm ipſa vita? Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacē putauerit vitam. Scandalizati erant diſcipuli eius. Ne ergo, vt iſti diſcipuli putabant, per fruſta diſcerptus, & crudus vel coctus manducari crederetur ipſe ſummus ſacerdos ſeipſum pro nobis patri offerens, ſacramentum quo verè & ſalubriter manducari poſſet ac bibi, confecit: tradénſq; diſcipulis, ne in myſterio myſticè, & nō propriè vel verè loqui putaretur ait, Non futurum prædico, nō abſens aliquid denuncio: ſed hoc quod præſentialiter do, eſt corpus meum, non figuratum, ſed verum, ipſum quod pro vobis tra-

In præfatione.

Inter excuſos ſermone 2. de uerb. Apoſtoli.

vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus idem ipſe, qui pro nobis effundetur: addens etiam propriè proprium ſuæ carnis & ſanguinis effectum, ſcilicet in remiſsionem peccatorum. Cùm enim ſolius Dei ſit remittere peccata, cui ſoli peccatorũ debetur remiſsio: cuius ſanguis niſi ipſius Dei, poſſet remiſsioně peccatorũ operari? Vt enĩ hoc priuilegiũ remoueatur ab omni filio hominis, ſi etiã ſine vnitate Dei, filius eſſet virginis: quomodo remiſsionẽ peccatorũ mũdo faceret, cũ Adã ſine patre, ſine matre de virgine terra formatus, non modo hoc non præſtiterit, ſed etiam omnibus peccatum propagauerit, quia nec Deus fuit, nec Dei verbo regi voluit? Cùm igitur certiſsimo ſui ſanguinis priuilegio, veritatem carnis & ſanguinis ſui aſtruxerit in myſterio, ille cuius obedientia nobis iniũcta eſt patris edicto: reſtat tantum, vt ſcandalizatorũ ſtultitiam vitãtes, ipſum vt pater de cœlo iuſsit, audiamus: & quia veritas & vita eſt, veracem eſſe ſicut verè eſt, credamus. Quod vt certius & verius fiat: ſcandalizatis diſcipulis à Chriſto recedẽtibus, princeps Apoſtolorũ Petrus requiſitus cum alijs num & ipſe vellet abire, quid reſponderit videamus. Ait enim pro ſe & pro alijs, Domine, ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternę habes. Quam eius reſponſionẽ ne meo

Auguſtin. ſenſu interpretari videar, exponit Auguſt. in ſermone 27. ſuper Ioãnem ita: Videte quemadmodũ Petrus dante Deo intellexerit. Vnde, niſi quia credidit? Verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternã habes in miniſtratione corporis & ſan-

Ioan. 6. guinis tui. Et nos credidimus & cognouimus

Petrus. quia tu es Chriſtus filius Dei, id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo,

niſi

niſi quod es. Ecce idem quod Chriſtus de veritate corporis ſui, teſtatur & Petrus: & quia pro alijs etiam loquebatur, cum eo & alij Apoſtoli. Videamus itaq; ſi teſtimonio Chriſti cũ Petro & alijs Apoſtolis atteſtẽtur etiã cæteri ſancti. Ait Ambroſ. in lib. de Sacramẽtis. Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd corpus ſuũ accipiamus & ſanguinẽ. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Item Hilarius in lib. 8. de Trinitate, Ipſe ait: Qui edit carnẽ meã & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſsione & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: & hæc accepta atque hauſta, id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Et poſt pauca: Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus per carnem Chriſtum manentem habemus: victuris nobis per eum, ea conditione qua viuit ille per patrem. *Ambroſ. c. 5. lib. 4.* *Hilarius.*

Item Euſebius Emiſenus: Cœleſtis confirmat autoritas, Quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui autor eſt muneris, ipſe etiã teſtis eſt veritatis. Item Hieron. in epiſt. ad Edibiam: Nos autẽ audiamus panẽ quẽ fregit Dominus, deditq; diſcipulis, eſſe corpus Domini ſaluatoris, ipſo dicente ad eos: Hoc eſt corpus meũ: & calicẽ illũ eſſe de quo locutus eſt iterũ: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamẽti, q pro multis effũdetur in remiſsionẽ pecca- *Euſebius.* *Quæſt. 2.*

 torum.

torum. Si ergo panis qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini, & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis eſt illius noui Teſtamenti, qui effuſus eſt in remiſsionem peccatorum: non Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus. Ipſe cõuiua, ipſe cõuiuium: ipſe comedẽs, & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinem, ſine ipſo potari non poſſumus: & quotidie in ſacrificijs eius de germine vitis veræ, & vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, nouũ vinũ bibimus in regno patris, id eſt, in regno Eccleſiæ: non in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus.

Teſtimonio Chriſti teſtes alios adhibere præſumpſi: ſed quia ipſe quidẽ ſemper verè, aliquãdo tamen loquitur propriè, aliquando figuratè, auditoréſq; ſuos ita diſcreuit, vt his datum ſit noſſe myſterium regni Dei, cęteris autem in parabolis, *Mat. 13.* ſciẽs cuius ſpiritus eſſent. Quòd ipſis ſanctis non pigrum fuit ſcribere, neceſſariũ duxi repetere: vt ipſe intellectus veritatis, non meæ videatur præſumptionis, ſed catholicę autoritatis, eorum qui ita crediderunt, & ita ſaluari meruerunt: quia fides chriſtiana quo fit certior, eo eſt vtilior. Vt ergo certior ſit, aliorum ſanctorũ ſubdatur autoritas. Ait Auguſtinus in expoſitione Pſalmi nonageſimi octaui. Inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellũ pedum eius. Suſcepit enim Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt: & de carne Marię carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandã ad ſalutem dedit: nemo autem illã carnẽ manducat, niſi prius adorauerit. Inuentum eſt quemadmodum tale ſcabellum pedũ Domini adoremus: & non

ſolùm

ſolùm non peccemus adorando,ſed & peccemus non adorando. Hanc filij Dei verè adorandam carnem B.Baſilius admirans, ait in Dialogo ſuo de dignitate ſacerdotij, O miraculũ,ô Dei in nos beneuolentiam. Qui ſurſum ſedet ad dexterã patris,ſacrificij tamẽ tempore hominum manibus continetur,traditurq́ꝫ lambere cupiẽtibus eum, & cum benedictione cõplecti, ſitq́ꝫ hoc totũ ſub oculis humanis. Item ipſe, Cùm ſacerdos ſpiritum ſanctum aduocauerit, & reuerẽdam illã hoſtiam immolauerit,communemq́ꝫ omnium dominũ ſubinde contigerit:vbi illũ dic mihi,noſtra æſtimatione ponemus? Quantam ab eo integritatem exigemus? quantam religionem?Expende enim quales oporteat eius eſſe manus tantarum rerũ miniſtras,qualem linguam verba illa fundentem,aut quo genere non mundiorem & ſanctiorem animam,talis ſpiritus receptricem. Tũc etiam angeli circunſtant ſacerdotem,& tribunal atq́ꝫ altaris locus cœleſtibus virtutibus adimpletur,in honorem illius qui immolatur etc. Item Gregorius in quarto Dialogorum libro. Quis fidelium habere dubiũ poſsit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorũ choros adeſſe,ſummis ima ſociari,terrena cœleſtibus iũgi, vnũ ex viſibilibus atq́ꝫ inuiſibilibus fieri?Sed neceſſe eſt vt cùm hęc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus. Et qui paſsionis dominicę myſteria celebramus: debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis Deo hoſtia erit:cùm nos ipſos Deo hoſtiã fecerimus. Vnde Auguſt. in libro 10. de Ciuitate Dei: In forma ſerui Deus maluit ſacrificiũ eſſe quàm ſume-

Eucharistia adoranda.

Io. Chryſoſto. de ſacerdot. lib. 3. c. 4

Li. 6. c. 4.

Gregor. cap. 58.

re:ne per hãc ſaltem occaſionem quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandũ eſſe creaturæ. Pro hoc & Sacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio: cuius rei Sacramentum, quotidianum voluit eſſe ſacrificium Eccleſiæ, quæ cùm capitis ipſius corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre. In quo notandum eſt, in Sacramento verè Dei carnem eſſe: quæ tantæ dignitatis eſt, vt eã angelicæ virtutes honorent miniſtrando, & homines adorando, & ſeipſos hoſtias offerẽdo. Hac certitudine ſancti manducari Chriſtum affirmant. Auguſtinus in Ser. 26. ſuper Ioannem, Temporaliter hi profectò moriuntur, qui Chriſtũ manducant: ſed viuũt in æternum, quia Chriſtus eſt vita æterna. Item idem in Homilia ſecunda Pſalmi 33. Acceſſerunt Iudæi vt Chriſtum crucifigerent: nos ad eum accedamus, vt corpus eius ac ſanguinẽ accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati ſunt: nos mãducando crucifixum & bibẽdo illuminamur. Et poſt aliqua: Verè magnus dominus & magna miſericordia eius verè, qui nobis dedit corpus ſuũ manducare, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem ſuum bibere. Item Ambroſius de ſacramentis: Iſta eſca quam accipis, iſte panis viuus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternę ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunq; hunc manducauerit non morietur in ęternum, & corpus eſt Chriſti. Itẽ idem: Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non ſicut cæteri homines per gratiam, ſed quaſi filius per naturam, id eſt, ex ſubſtantia patris: ita vera eius caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus eius ſanguis eſt quem potamus. Item Auguſt. in homilia Pſal. 65. Modo homicidis donatus eſt fuſus ſanguis innocentis: & ipſum

Ambro. de myſterijs initiand. cap. 8.

De ſacramẽtis lib. 6. cap. 1.

ipſum ſanguinem quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberũt. Item idem in Pſal. 45. ad Iudæos. In illius nomine quem occidiſtis baptizamini, & dimittuntur vobis peccata veſtra: Medicũ vel poſtea cognouiſtis, iam ſecuri bibite ſanguinem quem fudiſtis. Item idem in ſermone 38. ſuper Ioannem: Crediderũt inde multi, donatus eſt eis ſanguis Chriſti: vt magis eum biberẽt quo liberarentur, quam rei de illo effuſo tenerentur. Item idem in Sermone de quarta feria, Si ſanguinem Chriſti tota cum reuerentia percipis: cognoſces per illũ tua tibi dimitti peccata. Itẽ idem in Sermone 31. ſuper Ioannem: Illi viderũt Chriſtum ſuo ſcelere morientem, & crediderunt in Chriſtũ, ſuis ſceleribus ignoſcentẽ. Quouſq; biberent ſanguinem quem fuderant, de ſua ſalute deſperauerãt. Item Leo Papa in ſermone de paſſione domini, Fefellit illum malignitas ſua, intulit ſupplicium filio Dei, quod cunctis filijs hominum in remediũ verteretur. Fudit ſanguinem iuſtum, qui reconciliando mũdo & precium eſſet, & poculum. *Sermo. 11.*

Quòd veritas corporis Chriſti viſibilibus etiam ſignis ſit ſæpius oſtenſa. CAP. XIII.

QVid ergo de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento dici poteſt certius: niſi forte eam ipſam oculis videre velimus? In quo tamen nec ipſe Dominus nobis deeſſe voluit: ſed modicæ fidei noſtræ per omnia conſuluit. Quàmuis enim ipſius Chriſti, & tot ſanctorum teſtimonijs, & vniuerſalis etiam Eccleſiæ Catholica fide, quæ ab initio conuerſionis ſuæ ita credidit, & ita ſaluata eſt, ſufficienter

aſtructum ſit, quòd vera caro Chriſti verúſq; ſanguis in menſa Dominica immoletur: ne quis tamen peruerſor aliter intelligeret vel exponeret, facta ſunt à Deo congrua huic noſtræ fidei miracula, quando vel vbi, vel quibus reuelare dignatus eſt huius myſterij ſecreta: quæ nimirum facta eſſe nō ignorabit, quiſquis ſtudioſius ſanctorum patrū geſta legerit, quæ teſtantur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ablata panis & vini ſpecie, carnem & ſanguinē naturali ſua ſpecie, ſicut eſſe ſolet exhibuiſſe. Vt enim ait Auguſtinus contra Felicianū: Si incōprehenſibilis eſt ratio, & veritas prompta eſt: facilius in negotijs fidei teſtimonijs creditur, quàm ratio inueſtigatur. Hæ igitur ſcripturę quàmuis cū Propheticis & Apoſtolicis æquam autoritatis excellentiam nō obtineant: eandem tamen fidem cū fidelibus & ſanctis anteceſſoribus noſtris nos tenere ſufficiēter probant, huiúſq; probationis in hoc ſibi perfectá autoritatem vendicant: quia niſi ita eſſet vt docent, in ſacris canonibus vel Romanorū pontificum decretis, ſicut hæretica vel apocrypha ſcripta damnatæ eſſent: nec eas in Eccleſia catholici viri vel legerent vel recitarent.

Auguſtin. cap. 2.

Cùm ergo præteriti & præſentes fideles vbiq; terrarū hoc credant & hoc aſtruāt: ſi hæc vniuerſalis Eccleſię fides vera ad ſalutem nō extitit, aut nunq̃ Catholica Eccleſia fuit aut perijt. Sed aut non fuiſſe, aut perijſſe Eccleſiam nemo catholicus conſenſerit. Nam cùm Eccleſia & Prophetijs & Euangelijs inſtituta ſit, vbi eſt quod veritas Abrahæ promiſit, In ſemine tuo benedicētur omnes gētes? Itemq; vbi eſt quod eadem veritas Apoſtolis ait: Docete omnes gentes. Qui crediderit ſal-

Gen. 22.

rit ſaluus erit? Cùm enim omnes gẽtes ita ſe credere gloriẽtur: ſi ſalutis benedictione carẽt, vtrobiq; veritas Dei, & in Prophetia & in Euangelio periclitatur. Item cùm carnem & ſanguinem ſuũ naturali ſua ſpecie fidelibus ſuis reuelare dignatus ſit: ſi cauſa deſiderij ſatiandi fecit & ita nõ eſt, ſeruorum ſuorum deuotionem non compleuit, ſed fefellit: ſi cauſa dubietatis ſanandæ fecit & ita non eſt, infirmorum errorem non abſtulit, ſed auxit: quòd de pietate & veritate diuina vel leuiter ſuſpicari, non modo ſacrilegũ, ſed & nepharium eſt. Anathema ergo maranatha ſit, qui autoritati diuinæ in hoc Sacramento contradicere præſumpſerit: & corpus Chriſti, panem verum qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo, verè vt eſt eſſe nõ crediderit: quem Ambroſius & Auguſtinus epiouſion, id eſt, ſuperſubſtantialem appellant, quia caro Chriſti omnibus creatis ſubſtantijs iure præcellit. Mat. ult.

Quòd corpus Chriſti eſt, cùm ſit locale in cœlo & in terra. *CAP. XIIII.*

QVia igitur ſpirituale corpus Chriſti & ſanguinem in Sacramento panis & vini verè & ſubſtantialiter eſſe, ipſius Chriſti, & tot ſanctorum teſtimonijs euidenter aſtructum eſt: quòd de veritate conſtat, de eius etiam poteſtate videamus. Quàmuis enim omne corpus, omníſq; creatura localis ſit: de hoc tamen ſuperſubſtantiali corpore credendum eſt, quod eodem tempore & verè eſt in Sacramẽto ſuo in terris, & verè in cœlo ſedet ad dexteram patris. Fruſtra enim immolationis ſuæ tẽpore diceremus. Qui ſedes ad dexteram patris miſerere nobis: ſi quem adoramus

in Sacramento, mentiremur eſſe in cœlo. Quia ergo aſtructum eſt de Sacramento vbi minus eſſe videbatur: aſtruamus & de cœlo, vbi aſcendens corpus ſuum coram teſtibus ſuis Apoſtolis leuauit, & ſymbolo etiam fidei noſtræ atteſtante, ibi ſedet ad dexteram Dei patris, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Cùm igitur vſq; ad diē iudicij ibi ſedere credatur: quin ibi ſit etiam hora immolationis ſuę nihil dubitationis relinquitur. Vnde, vt dictum eſt, Auguſtinus libro *ſecundo contra Maximinum, Adhuc in forma humana eſt filius quam leuauit in cœlum: & ſempiterna erit in regno hæc eadem forma immortalis. Et poſt pauca: Chriſtus accepit viſibilem hominis formam, non ſolùm natus in ea: ſed & aſcēdit in cœlum, & ſedet ad dexteram patris in ea. Item idē in Pſal. 75. Si patrem & filium ſecūdum diuinitatem cogitas, vbiq; præſens eſt. Si autem filiū ſic intelligis, quomodo viſus eſt in carne inter homines, & crucifixus eſt & reſurrexit: nouimus quia aſcēdit in cœlū, & in circuitu eius ſunt angeli. Item idem in Pſal. 54. Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt dominus: ſed tamen hic etiam nobiſcū, veritas Dominus. Corpus enim in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet: veritas autem eius vbiq; diffuſa eſt. Item idem in Sermone 27. ſuper Ioannem. Chriſtus ſecundum vnitatē perſonæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quomodo filius Dei in terra. Filius Dei in terra in ſuſcepta carne: filius hominis in cœlo in vnitate perſonæ. In quo notādum eſt, quia forma illa humana, in qua Chriſtus cœnans cum diſcipulis, tradidit illis ſeipſum in Sacramento quaſi alium, & tamen eundem

*al. primo

dem: vno loco eſt in cœlis ad dexterá patris integra, ſicut integra fuit in cœna, quando in Sacramento comedebatur à diſcipulis: & tamen & in humana, & in ſacramentali forma, idem verus vtrobique Chriſtus, & in cœlo & in terris. Vnde Leo Papa in epiſtola Anatholio epiſcopo miſſa: Qui licet in patris ſit dextera conſtitutus, in eadé tamen carne quam ſumpſit ex virgine, ſacramentum propitiationis exequitur: Item Baſilius in dialogo ſuo: Qui ſurſum ſedet ad patris dexterá, ſacrificij tamen tempore hominum manibus cótinetur. Vnde etiam ſacerdos vice Chriſti corpus Dominicum in terreno altari conficiens, nec tamen aliquid ſuis meritis, ſed totum diuinę potétiæ & gratiæ attribuens, orat in Canone Deum patrem dicens: Iube hæc oblata tibi per manus & virtuté filij tui angeli tui qui eſt angelus magni conſilij, nó in hoc humile & viſibile altare vbi modo eſt, ſed in ſublime altare tuũ, id eſt, filium tuũ, qué vſq; ad dexterá tuá in conſpectu maieſtatis tuę ſublimaſti, deferri: vt fiat nobis corpus & ſanguis dilecti filij tui: oſtendés ipſum filiũ, iuſsione patris in cœlis eſſe offerenté, & hoſtiá, & id ſuper quod offertur: quia omnino fidei & gratiæ eius innitimur, quod terrena corpora in Chriſtũ conuerti, ipſumq; in cœleſtibus ad dexteram patris ſedenté, pro nobis interpellare, & in Sacraméto altaris cóſecrari & eſſe credimus. Cùm ergo dictum ſit quia corpus Chriſti tale accipimus in ſacramento, quale poſt reſurrectioné eſt in ſeipſo: cuius gloriæ & virtutis corpora noſtra poſt reſurrectionem futura ſint videamus: vt viſis mébris, facilius prærogatiuam tantæ dignitatis in capite cognoſcamus. Ait Auguſtinus in libro Enchiri-

Ioá. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio c. 4

Enchiridion: Reſurgẽt ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla corruptione, ſine oneris difficultate. In quibus tanta facilitas, quãta fœlicitas erit: propter quod & ſpiritualia dicta ſunt, cùm procul dubio ſint futura corpora, non ſpiritus. Item Auguſtinus in libro 12. de Ciuitate Dei: Surget corpus ſpirituale, quia ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur: vſq; ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſsimam voluntatem, omni moleſtię ſenſu, omni corruptibilitate, omni tarditate detracta. Et poſt pauca: Corpora, carnis ſunt habitura ſubſtãtiam: ſed nullam tarditatem corruptionemq́; carnalẽ ſpiritu viuificante paſſura. Quòd ſi tantæ facilitatis futura ſunt corpora ſanctorũ, vt adimplendam voluntatem ſpiritus nulla ſua tarditate impediantur: quid de corpore Chriſti capitis noſtri credendum eſt, cui nõ modo facilitas qua non tardetur ad faciendũ quę voluerit, ſed etiam
Matt. ult. vt ipſe ait, Omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra, vt cũ Deo in vnitate perſonę omnia poſsit? Si corpora noſtra ſpiritualia futura ſunt quia ſpi-
**al. perſonaliter* ritui*corporaliter iũcta: quid corpus Dei niſi diuinum, quia Deo vnitũ? Carnem igitur diuinam ſubſtantialiter quidem eandem cũ Deo non dici-
1. Cor. 15. mus: ſed profectò cùm Apoſtolus dicat, quia omnia ſubiecta ſunt ei, præter eum qui ſibi ſubiecit omnia: & ipſe filius Dei teſtetur, quia omnis poteſtas ei data eſt, ſic in vnitate perſonæ, Deo coniunctam credimus, vt quod habet Deus per naturam, hoc ipſa per gratiam. Cùm ergo nos habituri ſimus, & angeli modo habeãt, vt quantacũq; interualla locorũ, nullo ferè tẽporis interuallo, nimia ſua celeritate pertranſeant: non tamẽ hoc habent,

habent, vt vnde recedunt, ibi remaneant. Quo priuilegio ſola caro Chriſti, quæ ſuper omnem creaturam à Deo exaltata eſt, ſuper omnẽ & præter omnem naturã inſignita eſt: vt per omnipotentiam, quæ ei data eſt in cœlo & in terra, vbicunq;, quomodocunq; ſibi placuerit, nõ de loco ad locũ tranſeundo, ſed ibi, vbi eſt, remanẽdo, & alibi vbicunq; voluerit exiſtendo, tota & integra & ſubſtantialiter ſit & in cœlo & in terra. Quàm enim omnipotentiam ab eo, qui totus vbiq; eſt reciperet: ſi ipſa vbicunq; vellet ſubſtantialiter tota eſſe non poſſet? Vel in quo differret ab angelis, quibus eſt ſuperexaltata: ſi non aliter niſi de loco ad locũ recedendo, poſſet eſſe in cœlo & in terra? Artificio humano molẽtis mola circuitus ſui nimiam celeritatem, ſtabilitatem eſſe mẽtitur: Natura humana in ictu oculi tot terrarũ maris, & aëris ſpacia ab occidente ad oriẽtem in videndo ſolem tranſuolans atomũ momenti æquare videtur: Et cùm celeritas angelorum ſit velocior, in quo his creaturis caro Chriſti ſuperexaltabitur: ſi quod eſt in cœlo & in terra, non poteſtati, ſed celeritati aſcribitur?

Caro Chriſti ſuper omnem creaturã exaltata.

Quòd corpus Chriſti diuiſum & à fidelibus ſumptũ, permanet incorruptum & integrum. *CAP. XV.*

VT ergo & in cœlo & in terra omnipotẽtiam ſe habere oſtenderet Chriſtus, Deificum corpus ſuum cœlo illaturus & mũdo daturus, quod quantum ad humanam formam nobis abſtulit, non minus tamen ſubſtãtialiter & verè in Sacramẽto corporis & ſanguinis ſui nobis obtulit, vt hic & ibi præſens etiam corporaliter: vtpote qui vnius perſonæ cum illo eſt qui nuſquam deeſt, & ibi re-

ibi recõciliationem cum patre,& hic in altari redemptionem,remiſsionem'q; peccatorum nobis operetur ſicut ſemel fecit in cruce: dũ ipſum corpus ſuũ in ora fideliũ datũ ,& ſingulis diuiditur, & vnum totum vniuerſis indiuiduũ & integrum habetur,ſumptum non conſumptũ: vt ſicut indiuiduũ cum diuiditur, ſic incorruptũ cũ ſumptum fuerit,credatur. Quomodo enĩ incorruptionẽ nobis largiretur,ſi in ſeipſo corruptionem reſurgẽs pateretur? Aut quomodo Sacramento ſuo nos ſibi incorporans,vt corpus capiti,vel nos nobis vt membra mẽbris vnũ faceret:ſi in ſeipſo nõ vnitus,ſed diuiſus & cõminutus dentibus ſumentiũ eſſet? Quomodo tamẽ corpus Chriſti & cœlo & mundo pręſens,& diuidatur indiuiſum,& ſumatur inconſumptum ratio ſtupet, fides ipſa miratur:ſed ex adiunctę diuinitatis potẽtia,quę vbiq; tota præſens eſt in corpore ſuo ſpirituali , imò per omnipotẽtiam ſibi collatam , diuino iam facto,id fieri poſſe,non diffidẽs veneratur . Si enim facta,vel miracula,vel dicta,quibus filius Dei maieſtatem ſuam mũdo aperuit,perfectè rimari velimus, inueniemus hominem, quem ſibi vniuit, in vna perſona,in nulla diſiunctũ gratia,vt etiam pro parte carnis omnia (vt dictum eſt)ſint ei ſubiecta,præter eũ qui ſubiecit ſibi omnia . Sed huic miranti & mirandę fidei,vtrum ſancti conſentiãt videamus. Auguſtinus in ſermone de verbis Domini, Inuitat Dominus ſeruòs,& præparauit cibum ſeipſum. Quis audeat mãducare dominum ſuum? Et tamen ait: Qui mãducat me, viuet propter me. Dum enim Chriſtus manducatur , vita manducatur : ne occiditur , vt manducetur, ſed mortuos viuificat quando manducatur , quia

Chriſto homini ſubiecta ſunt oĩa.

ſurrexit

ſurrexit occiſus: nec quando manducatur, partes de illo facimus. Et quidem in ſacramento ſic fit. Norunt fideles quemadmodum carnem Chriſti manducent. Vnuſquiſq; partem ſuam accipit, per partes mãducatur & integer manet: totus in cœlo, totus in corde tuo. Item Euſebius Emiſenus: De hoc pane vetus narrat hiſtoria: Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: eò quòd Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute cõſiſtat. Quod corpus ſacerdote diſpenſante, tantum eſt in exiguo, quantũ eſſe cõſtat in toto: quòd cũ Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis, ita integrũ eſſe probatur in ſingulis. De hoc pane quum aſſumitur, nihil minus habẽt ſinguli quàm vniuerſi. Totum vnus, totum duo, totum plures ſine diminutione percipiunt: quia benedictio huius ſacramẽti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi. Item Auguſtinus in ſermone de verbis Domini: Putatis, quia de hoc corpore quod videtis, partes facturus ſim, & mẽbra mea cõciſurus, & vobis daturus? Quid ergo ſi videritis filium hominis aſcẽdentem vbi erat prius? Certè qui integer aſcendere potuit, cõſumi nõ potuit. Ergo de corpore & ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrẽ refectionẽ: & tam magnam breuiter ſoluit de integritate ſua quæſtionẽ. Manducent ergo & bibant: vitam manducent, & vitam bibant. Illud manducare, refici eſt. Sed ſic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Mãduca vitam, bibe vitam: & integra eſt vita. Item Ambroſius de myſterijs initiandis, Conſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique eſt corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum.

Auguſtin.

Ambroſ. Cap. 9.

cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxiũ ſi in diem alterum ſeruaretur: hoc alienũ ab omni corruptione, Quod quicunq; religioſè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit. Item Ambroſius Dominica quinta
Præfatio poſt Epiphaniam: Singuli accipiunt Chriſtum
miſſæ. Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

Sed quomodo impoſsibile videatur, vt caro verbi Dei, quæ multo ſpiritualior & potẽtior eſt verbo noſtro, ſit tota & integra in ore omnium ſumẽtium: cùm verbum noſtrum vnum idemq́;, totum & integrum ſit in auribus omnium audientium? Quòd euidentius ipſe Chriſtus in ſeipſo manifeſtans, in cœna corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis diſtribuit: & cũ ipſe à ſingulis ſumptus comederetur & biberetur in Sacramẽto, ipſe tamen viuus & integer manſit in ſeipſo. Sed quid mirũ ſi Chriſtus comeditur & integer ma-
3. Reg. 17 net: cum Sareptana vidua non minus oleum comederit, quia teſtãte ſacra hiſtoria, lechythus olei
3. Reg. 17 non eſt imminutus: cùm eadem ſcriptura dicat,
Io. Chryſ. abĳt & fecit iuxta verbum Heliæ, & comedit ipſa
Homil. 17 & domus eius? Vnde Ambroſius in epiſtola ad Hebręos: In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternã potens. Quid ergo nos? Nõne per ſingulos dies offerimus? Offerimus, ſed ad recordationem mortis eius: & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo vna & nõ multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus, Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, ſemper idipſum. Proinde hoc idem ſacrificium vnum ſolũ, Alioquin quoniã multis in locis offertur, multi ſunt Chriſti? Ne-

ſti?Nequaquã,Sed vnus vbiq; eſt Chriſtus: & hic plenus exiſtens,& illic plenus,vnum corpus. Sicut enim quod vbiq; offertur vnum corpus eſt,& non multa corpora:ita & vnum ſacrificium. Põtifex autem ille eſt, qui hoſtiã obtulit nos mundantem. Ipſam offerimus etiam nunc : quæ tunc oblata,conſumi non poteſt. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius , quod factum eſt. Hoc enim facite, ait , in meam commemorationem. Quòd igitur vt ſancti teſtantur, diuerſis locis,diuerſisq́; temporibus ſacrificatur: non multa tamẽ corpora, ſed vbiq; vnum Chriſti corpus eſt,quod à diuerſis ſumitur,& vnum idemq́; corpus integrum eſt : omnipotentiæ , quæ Chriſto etiã pro carnis parte collata eſt, attribuẽdum eſt: qua vt ſupra dictũ eſt , & in cœlo & in terra præſens etiam corporaliter poteſt eſſe, vbicũq;,quomodocunq; ſibi placuerit: vt ideo vbicunq; voluerit ſit caro Chriſti , contra naturã carnis integra & præſens, quia facta in cœlo & in terra omnipotẽs. Quòd autem Auguſtinus ait, Et quidem in ſacramento ſic fit , vnuſquiſq; accipit partem ſuam,& per partes manducatur : ne hoc quidem impedit eius integritatẽ aliquatenus. Fieri enim hoc dicit in ſacramento,quod videtur, non in re ſacramenti , quæ non videtur , corpore ſcilicet Chriſti quod inuiſibile eſt. Cùm enim, vt idẽ Auguſtinus ait, corporalia ſacramẽta ſint quaſi quędam verba, quia ſigna rerum ſunt hæc vt illa , ſicut varijs nominibus appellatus Cephas, Symõ, Petrus, idem eſt Petrus: Sic Chriſtus non eſt alius, quamuis varijs ſacramentis repræſentatus : quia cùm ſpecies panis & vini duo ſint ſacramẽta, nõ tamen in eis duo diuerſi Chriſti , ſed in vtroque

vnus eſt Chriſtus,qui nec diſtributione ipſius ſacramenti in ſeipſo diuiditur, nec pro quantitate portionis maius vel minus accipitur: quia in ſpirituali ſua virtute ſemper totus eſſe creditur, ita vt nec qui plus Sacramenti acceperit, abundet, nec qui minus,deficiat: Quia ſemper idem eſt totus,in magno totus, in paruo totus, in integro totus, in fracto totus, quia quomodocunque varíetur ſigna,ſemper idem eſt in ſeipſo. Vnde merito Euſebius ait, Verè vnica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda non ſpecie: nec exteriori cẽſenda viſu,ſed interiori affectu. Vnica enim eſt,quia nõ varietate locorum vel temporũ ſunt multæ: ſed vna ſemper hoſtia perfecta, quia nec augeri poteſt nec minui. Et quia ſpecies elementorum, panis ſcilicet & vini,Chriſti figura eſt non veritas: ideo non æſtimanda ſpecie,vel exteriori cenſenda viſu,ſed interiori fidei affectu: quia & ſi videtur ſacramentalis ſpecies elemẽtorum variari in ſigno,corpus tamẽ Chriſti immutabile creditur in ſeipſo. Sicut ergo mãna ſpecietenus erat vnimodum,ſed ita intrinſecus varijs ſaporibus condiebatur pro volũtate, vel voluptate vtentium, vt multorum corporum ſapor in vna eſſet ſpecie: ſic econtrario omnimoda eſt corporis Chriſti veritas interius in varia ſacramentorũ quantitate: vt ſicut legitur de manna, nec qui plus collegerat habuit amplius,nec qui minus parauerat reperit minus: Ita in Sacramento corporis Chriſti,nec in minori defectus,nec in maiori fit abũdantia: quia non in ſpecie vel quantitate Sacramenti,ſed in virtute Chriſti eſt gratia.

Euſebius.

Quòd immolatio Chriſti in altari, non dicitur quod iterum

iterum occidatur: ſed quod vera eius immolatio repræſentata, idem in altari nunc, quod tunc in cruce operetur. *CAP. XVI.*

VIdendum autem eſt, cùm Ambroſius paulò ante dixerit, quia in Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens, cur quaſi quotidiana noſtra oblatio poſt illam ſemel oblatam verã, nõ eſſet vera: vel poſt illã potentem & ſufficientẽ ad ſalutẽ, eſſet ſuperflua quæſierit: Quid ergo nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Sed ſciendũ, quia ſi noſtra quotidiana oblatio alia eſſet ꝙ illa in Chriſto ſemel oblata: non vera eſſet, ſed ſuperflua. Cũ enim oblatio illa in Chriſto ſemel oblata, & verè ſit vera, quia verè vita æterna & ſufficiẽs, vt eã nobis cõferat, ipſa ſola noſtra oblatio: quã aliã vitã poſſet promittere vel cõferre, ſi eſſet alia? Aliã enim oblationẽ, aliã oporteret conferre ſalutem: vel ad eãdem ad quam conferendam ſola Chriſti ſufficit oblatio, eſſet ſuperflua & vana. Quia ergo impoſsibile eſt aliam cõferri ſalutem, oportet eandẽ eſſe illã ſemel oblatam, & noſtrã quotidianã oblationem: vt eadem ſibi ipſi non ſit ſuperflua, ſed eadẽ ſemper ſufficiens & ſemper neceſſaria. Primum itaque vtrum eadem noſtra & illa ſit videamus: deinde vtrum ſemper eandẽ ſemper idem ſalutis ſequatur effectus. Sed Ambroſius quaſi reſpondẽs ſuæ quæſtioni ait: Offerimus, ſed ad recordationem mortis eius: Et vna eſt hoſtia nõ multæ, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, ſemper idipſum. Ioã. Chry. Ioã. Chry.

Notandum ergo quia quotidianum noſtrum ſacrificium idem ipſum dicit cum eo, quo

 Chriſtus

Chriſtus ſemel oblatus eſt in cruce, quantum ad eandem verá hic & ibi corporis Chriſti ſubſtantiam: quòd verò noſtrum quotidianum illius ſemel oblati dicit eſſe exemplum, id eſt, figuram vel formam: non dicit vt hic vel ibi eſſentialiter alium Chriſtum conſtituat: ſed vt eũdem in cruce ſemel, in altari quotidie alio modo immolari & offerri oſtendat: ibi in veritate paſsionis, qua pro nobis occiſus eſt, hic in figura & imitatione paſsionis ipſius, qua Chriſtus non iterũ verè patitur, ſed ipſius verè memoria paſsionis quotidie

Io. Chry. nobis iteratur. Quod & ipſe Ambroſius notans ſubiecit: Quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam cõmemorationem. Non aliud Sacrificium, ſed ipſum ſemper offerimus, magis autem Sacrificij recordationem operamur. Non ergo eſt in ipſius Chriſti veritate diuerſitas, ſed in ipſius immolationis actione: quæ dum veram Chriſti paſsionem & mortẽ quadam ſua ſimilitudine figurando repræſentat, nos ad imitationẽ ipſius paſsionis inuitet & accendat, cõtra hoſtem nos roboret & muniat, & à vitijs purgans & virtutibus condecorans, vitæ æternæ nos idoneos ac dignos exhibeat. Licet enim eius oblatio in cruce ſemel, ſuffecerit ad omnium ſalutem & redemptionem: tamẽ quotidie eſt etiam neceſſaria ad muniendam & mundandam humanã fragilitatem, quæ quotidie tentatur & labitur, vel criminalibus, vel ſaltẽ venialibus peccatis, ſine qui-

NOTA bus hæc vita duci non poteſt. Non enim hac ſingulari victima tantũmodo peccatorũ abſolutionẽ à Deo conſequimur, ſed & contra tentationes munimur: quia cùm ex perceptione corporis

Chriſti

Chriſti viderit aduerſarius hoſpitium noſtrũ occupatũ cœleſtis fulgore præſentiæ, intelligẽs locum tentamentis ſuis intercludi per Chriſtum, fugiet ac recedet. Sciendum igitur, quia licet oblatio Chriſti ſemel in cruce ſit vera, quotidiana autem in altari ſit figurata: prorſus tamen eadem hic & ibi noſtræ ſalutis eſt gratia, hic & ibi vera, ſufficiens, & ſemper neceſſaria, quia hic & ibi idẽ verus Chriſtus potens eſt ad omnia. Quòd quàm euidenter ſancti atteſtentur, ſubiectis eorum autoritatibus videamus: tam de Chriſti hic & ibi eſſentiali veritate, quàm de noſtræ ſalutis hic & ibi vera & æqua vtilitate. Auguſt. in libro ſententiarum Proſperi: Semel oblatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Quod ita intelligendum eſt, quia in manifeſtatione ſui corporis, in diſtinctione ſuorum membrorum omnium, verus Deus & verus homo ſemel tantum in cruce pependit, offerens patri ſeipſum, hoſtiam viuam, paſsibilẽ, mortalem, viuorum atque mortuorũ redẽptionis efficacem: eorum videlicet, quos altitudo diuini conſilij redimẽdos iudicauit, præſciuit, prædeſtinauit, modis atque temporibus quibus id fieri congruebat. Dicit ergo Chriſtum in manifeſto corpore ſuo, & in diſtinctis membris humanitatis ſuæ, ſemel paſſum in cruce: qui nõ manifeſtè, ſed inuiſibiliter eſt in ſacramẽto quotidie, nõ paſſus, ſed quaſi pati repręſentatus. Vera enim paſsione Chriſtũ iterum immolari nullatenus congruebat, tum quia impoſsibile erat immortalem occidi, tum quia crudele erat in ſacrificio Eccleſiæ hominẽ more beſtiarum ſacrificando laniari, dentibúſque vorari. Quia itaque in Deum ſimul eſſe non poteramus

crudeles & deuoti, incruentum eſſe congruebat, quod pium erat fidelibus Chriſti: vt non vera Chriſti paſsione & morte ab eis immolatio cõpleretur, in qua Chriſtus propitiationem ſuam exequi omnibus dignaretur. In quo enim meliores eſſemus his qui eum crucifixerunt: niſi pietate & deuotione differremus ab eis, qui eũ per-

Io. Chry. dere præſumpſerunt? Vnde Ambroſius in Epiſtolam ad Hebræos: Sed in iſta carne & ſanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana cõcipiat, ſed viuificatricẽ ſubſtantiã, atq; ſaluatricẽ & ipſius verbi propriã factã in pane & vino credat: per quæ ſi dignè ſumãtur, nobis eſt peccatorum remiſsio collata. Vnde Auguſt. in lib. de Sa-

Ioan. 6. cramentis altaris: Veritas ait, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Alioquin quomodo verũ erit, panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mũdi vita: niſi vera ſit caro? Sed quoniã Chriſtũ vorari dentibus fas non eſt, voluit hunc panem & vinum in myſterio verè carnem ſuã & ſanguinẽ cõſecratione ſpiritus ſancti potentialiter creari, & quotidie pro mũdi vita myſticè immolari: vt ſicut de virgine per ſpiritũ vera caro ſine coitu creatur, ita per eundẽ ex ſubſtãtia panis & vini, myſticè idem corpus Chriſti cõſecretur. Iteratur autẽ quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit: quia quotidie peccamus, ſaltẽ peccatis, ſine qbus mortalis infirmitas viuere nõ poteſt. Et ideo quia quotidie labimur: quotidie Chriſtus ꝓ nobis myſticè immolatur. Hanc autem immolationem non vero, ſed imaginario actu paſsionis & mortis fieri, & tamẽ veram ſalutẽ operari, teſtatur Gregorius in quarto

Cap. 58. libro dialogorum: Hęc ſingulariter victima ab

æterno

ęterno interitu animā ſaluat, quę nobis mortem vnigeniti per myſteriū reparat. Qui licet ſurgēs à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in ſeipſo immortaliter atq; incorruptibiliter viuens, pro nobis iterū in hoc myſterio ſacræ immolationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutē partitur: eius ſanguis nō iam in manus infideliū, ſed in ora fideliū funditur. Hinc ergo pēſemus quale ſit pro nobis Sacrificiū: quod pro abſolutione noſtra paſsionē vnigeniti filij ſemper imitatur. Quāuis ergo nō dixerit, paſsionē vnigeniti operatur verè, ſed imitatur imaginariè: tamen teſtatur illā victimā, nos verè ab ęterno interitu ſaluare. Vnde venerabilis Beda in homilijs ſuis. Non ſolū lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinē ſuū fudit in cruce: verùm etiam quotidie lauat nos in ſanguine ſuo à peccatis noſtris, cùm eiuſdem beatę paſsionis memoria ad altare replicatur, cū panis & vini creatura in ſacramentū carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus trāsfertur ſanctificatione: ſicq; corpus & ſanguis illius nō infideliū manibus ad perniciem ipſorum funditur & occiditur, ſed fideliū ore ſuam ſumitur in ſalutē. Item Euſebius Emiſenus: Quia corpus aſſumptū ablaturus erat ab oculis noſtris, & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat, vt nobis in hac die Sacramētum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, vt coleretur iugiter per myſteriū, quod ſemel offerebatur in preciū: vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominū ſalute redēptio, perpetua etiā eſſet redemptionis oblatio: & perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in

Rom. 6.

Euſebius.

Auguſtin. gratia. Item Auguſtinus in Serm. de 4. feria. Si
Cap. 4. ſanguinem Chriſti tota cum reuerētia percipis, cognoſces per illum tua tibi dimitti peccata. Itē
Cap. 6. in eodem. Tu anima Chriſtiana, vide ne deſeras menſam ſponſi tui, vt pulchra permaneas. Carnes eius quotidie manducabis, vt vitam æternam habeas: & ſanguinem eius potabis.

Quotidianam igitur Chriſti immolationem peccatorum remiſsioni, vitæ æternæ adeptioni neceſſariam, & ſufficiētem nobis aſtruximus. Ipſi autem Chriſto non ſupplicio paſsionis vel occiſionis eſſe moleſtam: ſed quadam ipſius paſsionis imaginatione nobis vtilē ad memoriā cōcitandam, et deuotionem augendam, & imitatio-
Io. Chry. nem prouocandam oſtendimus. Cur enim beatus Ambroſius ad recordationē mortis eius hoſtiam Chriſti quotidie offerri diceret, & noſtrum ſacrificium, exemplum illius ſacrificij: ſi tātis beneficijs nos vellet eſſe ingratos & non magis deuotione & imitatione noſtra, tantæ gratiæ eſſe obnoxios? Sed tamen quia conſacramentales & concorporales ſumus Chriſto, licet non vera, ſed imaginaria paſsione in ſeipſo immoletur, vera tamen & non imaginaria paſsione in membris ſuis immolatur: quando nos, qui in memoriam paſsionis ſuę Sacramētū tātę ſuę pietatis agimus ſacrificādo ipſum, flendo & cor noſtrū vera compunctione atterendo, mortem tam pij & dilecti Domini & patris annunciamus. Sicut enim cùm Petrus diceret: Domine quo vadis? Chriſtus reſpondit, venio Romam iterum crucifigi, vel ſicut Paulus ait, Suppleo ea quæ deſunt paſsionium Chriſti in carne mea: ita & omnibus mēbris ſuis compatitur, vt & ſibi cōpatientibus conregnare

faciliu s

facilius credatur: quia reuera dignabitur eos eſſe participes ſuæ gloriæ, quorum non dedignatur eſſe particeps erumnæ. Cùm enim vinum pro Chriſto, aqua ſacrificetur pro populo, & vtrũq; vnus ſanguis fiat, quid niſi capitis & mẽbrorum inde compaſsione & morte vnitatem ſignificat? Vnde Auguſtinus in lib. 10. de Ciuitate Dei: Huius rei ſacramentum, quotidianũ voluit Eccleſiæ eſſe ſacrificiũ: quæ cum capitis ipſius corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre. Nõ enim poteſt corpus crucifixi eſſe, qui crucifixus non eſt. Vnde Apoſt. Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vnde Gregorius in dialogorum libro 4. Qui paſsionis Dominicę myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis Deo hoſtia erit: cùm noſipſos hoſtiam fecerimus. Item Ambroſius in libro de ſacramentis: Quia crucis ipſius ſignatus es forma, ab ipſius paſsione accepiſti ſignaculũ atq; ſimilitudinem: vt ad ipſius formam reſurgas, ipſius viuas figura, qui peccato crucifixus eſt & deo viuit. Gregor.

Quia igitur beneficijs & exẽplis tam eximiũ, tam'q; vtile nobis eſt corporis Chriſti Sacramentum: videamus ne nobis tantam gratiam aliquis error ſupplãtet: Sed potius ipſa fidei veritas, ſicut certos ad ea quæ exhibet, ſic fortes conſtituat ad ea quæ monet. Infirmi enim qui circumferuntur omni vento doctrinæ, ſtatim vt audiunt quæ ignorant, de fidei veritate dubitant: quos quantum poſſumus, Deo annuẽte, ſanare ſtudeamus. Quia enim ſacramentum eſt figura veritatis Chriſti, & in figura Sacramenti fit figura imaginariæ actionis ſacrificij, in tot figuris veritatem latere titubãt; maxime cùm dicatur Chriſtus ſemel immo-

lari in ſeipſo,& quotidie in ſacramēto: quaſi verus intelligi debeat, cùm dicitur in ſeipſo,& non verus,ſed imaginarius in ſacramento. Sed ſciendum quia Chriſtus immolari dicitur in ſeipſo,id eſt,in humana forma, & in ſacramento, id eſt,in panis & vini forma: non quin tam verè hic immoletur in ſeipſo quantum ad ſubſtantiam,ſicut ibi,ſed vt notet hic & ibi diuerſam eiuſdem ſubſtantiæ formam.

Idē Chriſtus ī cruce & altari.

Quòd dupliciter vel tripliciter dicitur corpus Chriſti. CAP. XVII.

HAc de cauſa etiam ſancti de corpore & ſanguine Domini variè loquūtur, ſed non contrarie:adeò vt beatus Hieronymus illud dupliciter,Auguſtinus autem tripliciter aſtruat accipi debere.In quo ne ſibi vel aliȷs ſanctis diſſentire videantur:quomodo corpus Chriſti duplex credēdum ſit videamus. Ait Hieronymus in epiſtolam ad Epheſios. Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur, vel ſpiritualis illa atq; diuina, de qua ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus:&,Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis ſanguinem meũ, non habebitis vitã æternã: vel caro illa quę crucifixa eſt,& ſanguis qui militis effuſus eſt lancea.Quod non dixiſſe quantum ad duplicem ſubſtantiam credendus eſt,ſed quãtum ad duplicem eiuſdem ſubſtantiæ formam, qua nunc in humana, nunc in panis & vini intelligitur forma. Quod Auguſtinus apertius oſtendit, qui cùm tertiũ modum corporis Chriſti dixiſſet Eccleſiam, de eodẽ duplici corpore, vnde Hieronymus ita diſſeruit: Corpus Chriſti eſt & illud myſticũ quod ex ſub-

Hierony.
Auguſtin.
In Cap. 1.

ſtantia

ſtantia panis & vini per ſpiritum ſanctum conſecratur. Et addidit: Cæterũ illud corpus, quod natum eſt ex Maria virgine, in quod illud transfertur etc. Quod iſtud per cõſecrationem altaris in illud transferri & conuerti dicit, nota eandem ſubſtantiam. Quod autem diſcernit dicens, hoc vel illud: facit, vt dictum eſt, ſecundum diuerſam formam. Quam ſubſtantiæ identitatem perfectè ſubinnuens, ait de tertio corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Ad quem ſi rectè cõmunicamus, mẽtem dirigimus: vt nos corpus eius ex ipſo & ab ipſo carnem ipſius illo manente integro ſumamus. Cùm enim carnem ipſius ex ipſo nos monet ab ipſo ſumere: quid niſi dantem & donum idem ſignificat eſſe? Et addidit: Quæ nimirum caro ipſa eſt, & fructus ipſius carnis, vt idem ſemper maneat, & vniuerſos qui ſunt in corpore paſcat: Hoc corpus dicit Euſebius, ſyderibus illatũ, coli iugiter à nobis per myſterium. De hoc Sacerdos in fine cuiuſdam miſſæ orat, vt quod nos ſpecie gerimus, rerũ veritate capiamus: idẽ quidem notantes in ſubſtantia, diuerſum in forma. Quam ſuam duplicitatem in cœna ipſe Chriſtus oſtendit, cũ ipſe in humana forma præſens ſeipſum in Sacramento diſcipulis exhibuit. Hãc duplicitatem non ſubſtantiæ, ſed formæ, ſancti notauerunt, quoties de corpore Chriſti ipſum non ipſum dixerunt: vt ipſum ſecũdum ſubſtantiam, non ipſum ſit ſecundum formam.

Cùm igitur corpus Chriſti in humana forma, corpus Chriſti in ſacramẽto, corpus Chriſti Eccleſia tripliciter dicatur: his qui in ſacris ſcripturis hoc diſcernere nequeũt, magna cõfuſio naſcitur: vt quod de vno corpore Chriſti dicitur, de alio

de alio dictum eſſe credatur. Eſt & alia item confuſio, quia cũ corpus Chriſti tripliciter dicatur, corpori Chriſti in altari panis & vini attribuunt ſacramẽtum, ipſumq́ꝫ corpus Chriſti in altari, ſacramentum faciunt corporis Chriſti in humana forma. Dum ergo forma panis & vini, ſacramẽtum corporis Chriſti in altari, & ipſum corpus Chriſti in altari ſacramentũ dicitur humani corporis Chriſti: quod ipſum eſt, nõ idem ipſum eſſe contendunt, ſed hoc quaſi diuerſum ab illo conſtituunt. Dicit enim aliquis. Illud in altari, quod tu aſſeris eſſe verum corpus Chriſti, in Sacris literis appellatur ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, ſacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid ſunt, nulla verò quæ ad aliquid ſunt, poſſunt eſſe id quod ſunt ea ad quæ referuntur: Non eſt igitur Sacramentum, corpus Chriſti. Et ſic de cæteris vocabulis. Verũ his vocabulis in nullo præiudicatur fidei qua credimus, & veritati quam tenemus. Vt enim ſuperius dictum eſt, quantum ad viſibile Sacramẽtum, ſpecies & ſimilitudo illarum rerũ ſunt nomina: quæ ante fuerunt: panis ſcilicet & vini, nõ corporis Chriſti: Corpus verò & ſanguis Chriſti vocantur nũcupatiue, eo locutionis modo, quo res ſignificãs, ſolet rei ſignificatæ vocabulo nuncupari. Vnde Auguſtinus in libro locutionum Geneſ. cap. 59. Locutio notãda eſt, vbi aliqua ſignificantia earum rerum quas ſignificãt nomine appellantur: inde eſt quòd ait Apoſt. Petra autẽ erat Chriſtus, non ait, petra ſignificabat Chriſtũ.

1. Cor. 10.

Quòd inuiſibile corpus Chriſti in Sacramento, ſacramẽtum ſit viſibilis corporis Chriſti in humana forma, ve-

ma, verum veri, idem eiuſdem. *CAP. XVIII.*

ET hoc quidē Sacramentum vel figura, diuerſa eſt à re ſua, vt res viſibilis ab inuiſibili, vt ſupra dictum eſt. Sed tamen non iuſtè quiſquā mouebitur, ſi etiam eadem vera caro, idem'q; ſanguis Chriſti ſui ipſorum ſacramenta exiſtant, ſecundū aliud atq; aliud accepta, imaginaria panis fractione & ſanguinis de calice effuſione, ita repręſentando veram fractionem corporis ſui & effuſionē ſanguinis in paſsione: verbi gratia, ſicut ego ſenex balbutiendo & reptando & alia puerilia mea imaginando repreſentarem me puerū, non alium tamen, ſed me ipſum, eſſem'q; ego ipſe figura & figuratus: actio tamen qua me ipſum repræſentarem in me ſene, eſſet imaginaria illius, quę in me puero fuiſſet vera. Sed & Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diuerſa actione diuerſáq; temporū ratione, ſui ipſius typum geſsit & figuram. Vt enim ait Auguſt. apparens duobus diſcipulis, dū finxit ſe longius ire, ſignificauit ſe poſt paucos dies aſcenſurum in cœlū: quod iter longius eſt remotum à cōmuni hominū vita. Chriſtus itaq; longius ſeſe ire fingens: ſacramentum eſt Chriſti aſcendētis in cœlum. Idem eiuſdē: nec tamē vſquequaq; eiuſdē. Idem nanq; verus Chriſtus & fingens & aſcēdens: veruntamen aliud eſt figmentū terreni itineris, aliud eſt veritas in cœlum aſcendentis. Nec aliquis ita deſipit, vt propterea neget fingentem ſe lōgius ire, eſſe verum Chriſtum: quia figmento longioris itineris, ſignificat ſe verū Chriſtum in cœlum aſcenſurum. Ne ergo in re tanta, fide rudes titubent, diuina gratia aſpirante, quid de hac re ſentiendum ſit, ſanctorum autoritates oſtendent: vt corporis

Accōmodum exemplum.

Luc. ult.

Chriſti

Chriſti in Sacramento Sacramentum ſignificans & ſignificatum, in panis & vini forma, itemq́ in hominis forma ſubſtãtialiter & verè, vnum eundemq́; Chriſtum credant eſſe. Et de Sacramento quidem panis & vini, quòd ſignificet & ſit nuncupatiuè corpus Chriſti, ſuperius dictũ eſt. Quòd verò verum corpus Chriſti inuiſibile poſt reſurrectionem ſit Sacramẽtũ viſibilis corporis Chriſti, in paſsione ſcilicet ſui ipſius: teſtatur Auguſtinus in libro ſentẽtiarum Proſperi, Caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & ſanguis eius quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum ſanguinis. Carne & ſanguine vtroq́ inuiſibili, intelligibili, ſpirituali, ſignificatur corpus viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti, & palpabile: plenũ gratia omniũ virtutũ, & diuina maieſtate. Item in eodem, Sicut ergo cœleſtis panis, qui verè Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum reuera ſit Sacramentũ corporis Chriſti, illius videlicet, quod viſibile, palpabile, mortale, in cruce poſitum eſt: vocaturq́ ipſa carnis immolatio, quæ ſacerdotis manibus fit Chriſti paſsio, mors, crucifixio, non in rei veritate, ſed ſignificante myſterio: ſic Sacramẽtum fidei, quod baptiſma intelligitur, fides eſt. Vnde itẽ b. Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaciũ: Nõne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? Et tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: nec vtiq́ mentitur qui interrogatus, eũ reſponderit immolari. Si enim Sacramenta quãdam ſimilitudinem earũ rerum, quarũ ſacramenta ſunt, non haberent: omnino ſacramenta non eſſent.

Auguſtin.

Ex hac

Ex hac autẽ ſimilitudine, pleruncꝙ etiã ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt.

In quo notandum eſt, immolationem quam non rei veritate dixit fieri, ſola ſimilitudine Sacramenti veram immolationẽ Chriſti repræſentantis, mortẽ, paſsionẽ, crucifixionẽ, ipſo myſterio ſignificante debere intelligi: ſicꝙ baptiſma, quod eſt ſacramentũ fidei, non in rei veritate, ſed ſola ſimilitudine fidẽ dici. Quod verò verã carnẽ Chriſti ſuo modo corpus Chriſti dixit vocari, cũ reuera ſui ipſius Sacramentũ ſit, nõ ita intelligẽdum eſt, quaſi nõ verè dicatur corpus Chriſti, ſed ſuo modo, id eſt, ſibi ſingulariter proprio: quia cũ omne corpus ſit viſibile atcꝙ palpabile, ſolum corpus Chriſti poſt reſurrectionẽ mutata natura non ſubſtãtia, nõ eſt corporale, ſed ſpirituale inuiſibile, vt dictũ eſt ſuperius. Quòd verò dixit ad Bonifacium: Sicut Sacramentũ corporis Chriſti ſecundum quendam modum corpus Chriſti eſt, ita Sacramentũ fidei fides eſt: intelligendum eſt de forma panis & vini, quæ non verè, ſed figuratè & nũcupatiuè dicitur corpus Chriſti. Quia igitur Auguſt. ad comprobandũ, quod Sacramentum fidei fides diceretur, duas ſimilitudines dedit, Vnam actualis Sacramenti, immolationis ſcilicet imaginariè, alteram verò realis, formæ ſcilicet panis & vini: vt ſicut immolatio imaginaria figuratè vocatur mors, & crucifixio Chriſti, & ſicut forma panis & vini figuratè vocatur corpus Chriſti; ſic Sacramentum fidei,

ſcilicet

ſcilicet baptiſma, figuratè vocetur fides. Notandum quod in altera harum ſimilitudinum cœleſtem panem, qui verè Chriſti caro eſt, non cõmuni, ſed ſuo, & quaſi proprio modo corpus Chriſti vocari dixit: quia ſcilicet corpus illud nõ corporale, ſed ſpirituale & diuinum præ omnibus
*viuit corporibus ſingulariter * vidit. In altera autem Sacramentum corporis Chriſti, id eſt, formã panis abſolutè ſecundum quendã modum corpus Chriſti dixit: quia communi figura non exiſtentiũ quod dicuntur, illud dici corpus Chriſti notauit. Quòd autẽ inuiſibile corpus Chriſti Sacramentum viſibilis corporis Chriſti dixit: intelligibiliter tantum per exteriorem aliquam actionem, & non ſenſualiter accipiendum eſt.

Quomodo enim more cæterorum ſacramentorum viſibilium, id quod videri non poteſt, rei viſibilis eſſe poterit ſignũ: niſi per exterioris alicuius actionis circa ſe imaginem?

Quòd Sacramẽtũ duobus modis ſignificat: vel ſua ex ſe ſimilitudine, vel alicuius actiõis erga ſe. Cap. XIX.

QVia itaq; de tertio corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſuperius ſatis dictum eſt, quia ſcilicet conſacramentalis eſt capiti ſuo Chriſto, & vt caput & membra vnum corpus cum ipſo eſt per gratiam, aliud tamen per ſubſtantiam: quot modis ſacramenta ſuis rebus ſimilentur, & eas ſignificent in triplici corpore Chriſti videamus. Duobus enim modis id facere videntur: ſcilicet vel ſua ex ſe ſimilitudine, vel alicuius exterioris actionis circa ſe. Sua ex ſe ſimilitudine ſacramẽtum
Ioan. 6. ſignificat, ſicut cùm dominus dicit: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &,

Ego

Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi:quia ſicut cibus & potus temporalẽ vitam,ſic ipſe dat æternam. Vnde ait:Si quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternũ. Et merito. Si enim tãta vis eſt in cibo qui non viuit,nec manet,vt labentem vitã huius temporis foueat & retineat quàm diu Deo placuerit:quãto magis Chriſtus cibus viuẽs immortaliter,vitã æternã cõferre credendus eſt, quibus ſibi placuerit? Magis enim credendus eſt vitam conferre, qui vitam in ſe habet, & vita eſt: quàm qui nõ habet. Cùm enim ſit via, & veritas, & vita:corpus eius nobis viaticum eſt,ne moriamur & deficiamus in via, ſed perducamur ad vitã: Veritas eſt, ne eius promiſsionibus fallamur. Vita eſt,vt ea in peruẽtione feliciter fruamur. In hac ergo mortali vita immortali cibo vitæ nos paſcit,ne in æternum moriamur. Nec ſolùm ſua ex ſe ſimilitudine cibi & potus nomine & ſpecie,ſignificari ſe voluit vitã æternam : ſed etiã ex panis & vini ſimilitudine ſignificari voluit aliud corpus ſuum,id eſt,Eccleſiam. Vnde Auguſtinus in ſerm. de Sacramentis fidelium Feria 2. Paſchę. Quia paſſus eſt pro nobis, cõmendauit nobis in iſto ſacramẽto corpus & ſanguinem ſuum, quod etiã fecit noſipſos. Nam & nos corpus ipſius facti ſumus,& miſericordia ipſius quod accipimus, *ipſi ſumus. Et poſt pauca: Ad aquam veniſtis, *al. nos conſperſi eſtis,panis Dominicus facti eſtis. Quomodo vnũ videtis eſſe quod factum eſt: ſic vnum eſtote vos,diligendo vos. Item in ſerm. 26. ſuper Ioãnem:Hunc itaq; cibum & potum,ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia. Et poſt pauca: Huius rei Sacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis

Chriſti,de menſa Dominica ſumitur :quibuſdam ad vitam , quibuſdam ad exitium : res verò ipſa cuius Sacramentum eſt , omni homini ad vitam, nulli ad exitium , quicunq; eius particeps fuerit. Cùm enim cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant neq; ſitiāt:hoc veraciter nō præſtat niſi iſte cibus & potus , qui eos à quibus ſumitur,immortales facit , id eſt, ipſa ſocietas ſanctorū , vbi pax erit & vnitas plena atq; perfecta. Propterea quippe Dominus corpus & ſanguinē ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnū aliquid rediguntur ex multis . Nanq; aliud in vnum ex multis granis conficitur , aliud in vnū ex multis acinis confluit . Eccleſiaſticam ſocietatem, cibum & potum ac panē Dominicū dixit : tū quia verè ſatiat in æterna beatitudine , tū quia multos in vnū redigit,vera charitate: quam ſocietatē qui verè acceperit , non poteſt priuari æterna ſalute. Quia ergo ſacramentum corporis Chriſti, ipſum Chriſtū,vel eius Eccleſiam ſua ex ſe ſimilitudine ſignat:videamus ſi ſimilitudi ne alicuius exterioris actionis circa ſe idem faciat . Auguſtinus in libro ſententiarū Proſperi : Dū frangitur hoſtia,dū ſanguis de calice in ora fidelium funditur : quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúſq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur?Ideo etiam ipſe corpus ſuū fregit & tradidit: vt ſignaret, quod ſponte ſua in paſsionē ſe frangeret & traderet pro nobis, qui ſolus poteſtatem habebat ponendi animā ſuam: quod etiā in altari vice ſua imitātur ſacerdotes, vt idem repręſentent,id eſt,corpus Chriſti ſacramentū Chriſti &
Serg.pap. Eccleſiæ per exteriorē actionē . Ait Sergius Papa,Triforme eſt corpus Domini, Pars oblatæ in

calicem

calicem miſſa, corpus Chriſti quod iam reſurrexit monſtrat: pars comeſta, ambulās adhuc ſuper terrā: pars in altari vſq; ad finem Miſſæ remanēs, corpus iacens in ſepulchro: quia vſq; ad finē ſeculi corpora ſanctorū in ſepulchris erunt. Item Iulius Papa in decretis epiſcopis per Ægyptum miſsis: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populū intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cùm in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur: & credentiū plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini: vt mixtio illa non poſsit ſeparari. Nam ſi vinum quis tātummodo offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aquā ſolam, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Sciendū tamen, quia licet prius myſtice vinū & aqua miſceatur, poſt conſecrationem tamē non niſi ſanguis bibitur: quia prius per aquā baptiſmatis renati, poſtmodū non ſolùm concorporales, ſed & conſanguinei Chriſto ſpiritualiter efficimur. Ad ſignandum autem Chriſtum, vinum: & ad ſignandum populū aqua miſcetur: quia etſi vinum de aqua, dignius tamen per vitē, & Chriſtus de carne noſtra per Mariam generatur, & potentius ad reficiendū & inebriandū quàm aqua inuenitur, quia calix Domini inebrians, quàm præclarus eſt? dum ſui amoris feruore mens debriata, omnium terrenorum obliuiſcitur. Vnde etiā inuſitato & ſtupendo miraculo poſtquā ſpiritum emiſit, de latere Chriſti ſanguis & aqua cōtra naturā manauit: vt regenerationis & redemptionis vnum noſtræ ſalutis opus eſſe myſticè

Iulius pa.

Pſal. 22.

Ioan. 19.

 ſignaret:

ſignaret: dum hoc duplici Sacramento vnū corpus Chriſti & Eccleſiæ per ſpiritū ſanctum con-
1. Ioan. 5. formaret. Vnde & tria ſunt, quę Chriſto teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: quia & mirū fuit, mortales de cœlo ſecundū promiſſionem Chriſti, ſpiritum ſanctū accipere: & mortuum more viuētis non ſaniem, ſed ſanguinem, imò ſupra morē viuorū & mortuorū, cū ſanguine aquam de vulnere lateris fundere: quod tamē ſicut miraculum, ſic cōſtat fuiſſe & myſteriū. Sed quid curram per ſingula? Quicquid fit in officio Miſſæ, ſacramentum eſt Chriſti & Eccleſiæ. Vnde & Auguſt. in libro de Trinitate: Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo & bibendo carnem & ſanguinē, quæ pro nobis oblata ſunt ſignificamus. Quod enim corpus Chriſti in ſacramēto manibus fidelium tenetur, frangitur, dentibus atteritur, & ipſis incorporatur: ſignificat eum in paſsione manibus impiorum tentum, & vſq; ad mortem fractum, & propter noſtra ſcelera attritum: Eccleſiam verò, corpus ſuum ſcilicet, huius ſuæ paſsionis imitatione ſibi incorporatam & conformatam. Quod ipſi Chriſto iam immortali & incorruptibili facto nullus putet eſſe indignum, ſi fidelium deuotio hoc ſibi in ſacramento repræſentet, ad dominicæ paſsionis imitationē, quod ipſe Dominus paſſurus fieri præcepit ad ſuā cōmemorationem: vt tantæ rei memoria excitata, præſentiæq; diuinæ auxilio & exemplo roborata, velit & poſſit per ipſius gratiam quod nullatenus præſumit per ſuæ fragilitatis naturā. Quòd enim in Chriſti corpore permiſſum eſt malis ad ſuam damnationē, nec ignominioſum viſum eſt Deo patri pro-

pter noſtram ſalutẽ: multo magis ipſi placitũ & glorioſum eſt, vt fidelium ſuorum manibus deuotè in ſacramento frãgatur, dentibus atteratur, ſicut ipſe præcepit, in ſuam cõmemorationem: non in veritate quidem paſſionis, crucifixionis, mortis, vt ſupra dictum eſt, ſed ſignificante myſterio, vt ipſe quidem fractus & attritus integer permaneat, & redemptionis ſuæ gratia omnibus diuiſa proficiat. Quod vt certius innoteſcat fidelibus: Berengarij Andegauenſis hæretici confeſſio, quã de huius rei catholica fide ſcripſit, & Romæ præſente Nicolao papa, coram 113. epiſcopis iureiurando firmauit, ad medium deferatur.

Ego Berengarius indignus Eccleſiæ ſancti Mauritij Andegauenſis diaconus, cognoſcẽs veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſin, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum: quæ aſtruere conatur panem & vinũ quæ in altari ponũtur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: nec poſſe ſenſualiter niſi in ſacramẽto ſolo, manibus ſacerdotũ tractari, vel frãgi, vel fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & ore & corde profiteor de Sacramẽtis Dominicæ mẽſæ eandem me fidem tenere, quã dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus autoritate Euangelica & Apoſtolica tenendam tradidit, mihiq́ firmauit: ſcilicet panẽ & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationẽ non ſolum ſacramentũ, ſed etiã verũ corpus, & verum ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter nõ ſolùm in ſacramento, ſed & in veritate

Palinodia Berẽgarij

tate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurâs per ſanctam homouſion trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Euangelia, etc.

Quia in ſacrificio eſt Sacramentū corporale, & corpus ſpirituale, duæ ſunt etiam eius comeſtiones, vna corporalis, altera ſpiritualis: & boni quidem duabus comeſtionibus ſumunt corpus Chriſti: mali tantum vna. CAP. XX.

QVia igitur aſſertione Berengarij hæretici in ſancta ſynodo panis & vinum poſt conſecrationem non ſolū Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguis Domini eſt: quod etiam Auguſtinus modis omnibus approbare contendit, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobúſq; conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Chriſti carne & ſanguine, ſacramento ſcilicet & re ſacramenti: ſecundum hæc duo, ſunt etiam duæ comeſtiones corporis Chriſti in Eccleſia, vna corporalis, altera ſpiritualis, vna fit ore, altera fit corde. Quarum corporalis communis eſt bonis & malis, his ad ſalutem, illis ad iudicium: ſpiritualis autem tantum bonis. Et corporali quidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de altari dominico ipſum Dominicum corpus ſubſtantialiter per manum ſacerdotis in Sacramento panis & vini accipimus: corde verò ſpiritualiter comedimus & bibimus, quoties vt ait beatus Auguſtinus, hoc quod pro ſalute noſtra filius Dei in cruce pependit in memoria recondimus: & non ſolū ad huius rei cōmemorationem, ſed etiam ad imitationem crucifigendo carnem noſtram cum vitijs & concupiſcentijs,

piſcentijs, noſipſos accendimus. De corporali comeſtione ipſe Dominus ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur. Item Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. De ſpirituali verò comeſtione ait Auguſtinus in ſer. 26. ſuper Ioannem: Panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Et poſt pauca vtranq; etiã comeſtionem diſcernens ſubiecit, Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex eo manducauerit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutẽ ſacramẽti, non quod pertinet ad viſibile ſacramẽtum: qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit dente. Item idem in libro de verbis Domini: Tũc autem vita erit vnicuiq; corpus & ſanguis Domini, ſi quod in Sacramẽto viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur. Item Gregorius in Homilia Paſchali: Sanguis agni ſuper vtrunq; poſtem ponitur: quando non ſolùm ore corporis, ſed etiã ore cordis hauritur. In vtroq; enim poſte agni ſanguis eſt poſitus, quãdo Sacramentũ paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoq; intenta mente cogitatur. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Quòd ſicut nec minus à malo, nec magis à bono ſacerdote conſecratur veritas corporis Chriſti: ſic nec minus à malo, nec magis à quolibet bono ſumitur quãtum ad ſubſtantiam. CAP. XXI.

QVàuis igitur ſpiritualis comeſtio corporis Chriſti prior & dignior ſit quàm corporalis, quia illa tantũ bonis, hæc autem communis

eſt & bonis & malis: cùm vtraꝗ tamen ſit ad ſalutem neceſſaria, & quantum ad ſubſtantiā dominici corporis, vera: videtur quęrendum cur b. Auguſt. dixerit, quia tunc erit vnicuiꝗ vita corpus Chriſti, ſi in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur: quaſi non in ipſa veritate corporaliter ſumatur, & mali qui corpus Chriſti Sacramentotenus tantum ſumunt, non verum illud ſumant, quia non ſpiritualiter illud capiunt. Vnde etiam aliqui errantes Chriſtum à Sacramēto ſuo ſeparari autumant, ita vt malos purū Sacramentū & non corpus Chriſti ſumere aſtruant: & ipſum Iudam proditorem, quibuſdam ſanctorum autoritatibus contendāt in cœna Domini cōmunioni corporis Chriſti non interfuiſſe, quaſi corpus Chriſti non poſsit niſi qui incorporatur Chriſto verè ſumere. Propoſitis itaꝗ his, quibus ſuū cōcipere videntur errorē, nos Deo volente ſubſequenter liberius aſtruemus ipſam veritatem: qua ſcilicet bonos verè omnino credamus corpus Chriſti ſumere: malos autē verè quidem quantū ad ſubſtantiā, & non verè quantū ad effectus gratiam. Ait Auguſt. in ſerm. 27. ſuper Ioannē: Carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantum in ſacramēto, quod & multi mali: ſed vſꝗ ad participationē ſpiritus, vt in corpore Domini tanꝗ membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur. Item idem in libro ſententiarū Proſperi: Eſcam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit: qui in Chriſto manet, et cuius habitator eſt Chriſtus. Nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem Chriſti manducat, nec ſanguinē bibit: etiam ſi tantæ rei ſacramentū ad iudiciū ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat. Ecce malos carnem

Auguſtin.

Chriſti

Chriſti tantum in ſacramẽto quaſi non verè, ſed tantũ figuratè ſumere: itemq́ eos etiam ſi Sacramentum accipiant, carnẽ Chriſti non manducare, aſtruere videtur: quòd tamen non dicit quãtũ ad ſubſtãtialem corporis Chriſti veritatẽ, quam licet indigni ad iudicium ſuũ, verè tamen ſumũt: ſed quantum ad gratiæ Sacramenti virtutẽ quam negligunt. Sed iterum b. Hilarium Pictauienſem in expoſitione ſuper Matth. quaſi teſtẽ huius rei faciunt, qui manifeſtè videtur aſſerere, à Domino Iudam à tanti ſacramenti cõmunione excluſum, quia indignum. Ideóq; eum non potuiſſe bibere ſanguinem Chriſti in myſterio, quia eũ non erat bibiturus in regno. Dicit enĩ ita: Poſt quæ Iudas proditor indicatur, ſine quo Paſcha accepto calice & fracto pane cõficitur. Dignus enim ęternorũ Sacramentorũ cõmunione non fuerat: quia ęternæ vitæ indignus erat. Nã diſceſsiſſe ſtatim hinc intelligitur, quod cum turbis reuerſus oſtẽditur. Neq; ſanè cum eo bibere poterat in myſterio, qui non erat bibiturus in regno: cùm vniuerſos tunc bibentes ex vitis iſtius fructu bibituros ſecũ poſtea polliceretur. Si itaq; Aug. ita verè et nõ verè à Sacramento malos remouiſſe, et Hilariũ ita ipſum Iudam à communione excluſiſſe oſtenderimus, vt ſibiipſis vel alijs ſanctis non ſint contrarij: manifeſtum erit, Deo volente, quia mali corpus Chriſti ſumunt, verè quantum ad ſubſtãtiam, et non verè quantũ ad gratiam. Et prius quidem verba beati Hilarij concorditer cum alijs ſanctis exponantur. Sine Iuda enim Paſcha, id eſt, tranſitum ad vitam confici dicit: quia ſpiritualiter eius particeps non fuit. Vnde etiam ſubiecit, Dignus enim æternorum Sacramẽtorum communione

Hilarius. *Ca. 30.*

nõ fuerat,quia æternæ vitæ indignus erat. Quod ex affectu operis approbat, quia ſtatim poſt buccellam ad perditionem exiuit. Quod ſe nõ ſecundum corporalem & temporalem cõmunionem dixiſſe:ſed ſecũdum ſpiritualem & æternã,cuius tantũ boni participes ſunt, oſtendit cùm ſubiungit:Neq; ſanè cũ eo bibere poterat in myſterio, qui nõ erat bibiturus in regno. Quomodo enim corporaliter corporale cũ eo bibere Sacramentũ non poſſet: qui eatenus ab ordine Apoſtolico & ſuo conſortio remotus non fuerat,cũ teſte Apoſtolo & cęteris ſanctis malos quotidie videamus ſumere indifferenter corpus Domini non ad ſalutẽ,ſed ad iudiciũ? Niſi ergo Iudæ illa impoſsibilitas ſumendi corpus Domini ſpiritualiter aſcribatur,cũ cæteri mali illud corporaliter ſumere poſsint & conſueuerint: ipſum ſolũ non potuiſſe quod cæteri poſſunt, procedere non videtur. Quia ergo tolerabiliter expoſitũ eſt, Iudam à confectione corporis Chriſti ſpiritualiter vt indignum abfuiſſe: ſi teſtãtibus alijs ſanctis corporaliter affuerit,& ipſum ſacramentũ ab ipſo Domino ſumpſerit, videamus. Ait Leo Papa in ſermone cuius initiũ eſt: Scio quidem dilectiſsimi: Diſcũbentibus diſcipulis,ad edendam myſticam cœnã,cùm in Cayphæ atrio tractaretur quomodo Chriſtus occidi poſſet: ille corporis & ſanguinis ſui ordinans Sacramentũ, docebat qualis hoſtia Deo deberet offerri:ne ab hoc quidẽ myſterio traditore ſubmoto: vt oſtenderetur nulla iniuria exaſperatus, qui voluntaria erat impietate præſtitutus. Et poſt pauca: Cur infelix Iuda tanta benignitate nõ vteris? Non apoſtolici ordinis honor,non ſacramentorũ tibi communio denega-

Sermone de paßiõe domini 7. Leo Papa

**præſcitus.*

denegatur. Item Auguſt. in ſer. 26. ſuper Ioannẽ: Non vt putant quidã negligenter legentes, tunc Iudas corpus Chriſti accepit. Intelligendum eſt enim, quòd iam omnibus eis diſtribuerat Dominus ſacramentũ corporis & ſanguinis ſui, vbi & ipſe Iudas erat, ſicut S. Lucas euidentiſsime narrat: ac deinde ad hoc vẽtum eſt, vbi ſecundũ narrationem Ioannis apertiſsimè dominus per buccellam intinctã atq; porrectam, ſuũ exprimit traditorem. Quia igitur Leo traditorem à myſterio corporis Chriſti non eſſe ſubmotũ, & ipſam Sacramentorum cõmunionem non ei fuiſſe negatam: itemq; Auguſtinus ipſum Iudam interfuiſſe vbi Dominus Sacramentũ corporis & ſanguinis ſui omnibus diſcipulis diſtribuerat, Luca enim Euangeliſta teſte affirmat: videndum eſt quomodo Iudas & cæteri mali corpus Chriſti ſumere & non ſumere intelligãtur: ne tanti patres in quibus erat vnus ſpiritus nõ diſſenſionis, ſed pacis, à ſe diſſentire videãtur. Quã quæſtionem ipſe Auguſt. in ſerm. de blaſphemia ſpiritus ſ. tractãs ait: Illud etiam quod ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in eo: quomodo intellecturi ſumus? Nũquid etiã illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quòd iudiciũ ſibi mãducent & bibant, cùm ipſam carnẽ manducent, & ipſum ſanguinem bibant? Nunquid & Iudas magiſtri venditor, & traditor ipſius, quãuis ipſum manibus eius confectũ Sacramẽtũ carnis & ſanguinis eius cũ cęteris diſcipulis, ſicut apertius Lucas Euãgeliſta declarat, manducaret & biberet: manſit in Chriſto, & Chriſtus in eo? Sed profectò eſt quidam modus manducandi carnem Chriſti, & bibendi

De uerbis Domini ſerm. 11.

bibendi ſanguinem: quo modo qui manducauerit & biberit in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Item idem in ſermone de verbis Euãgelij: Quid eſt Chriſtum manducare? Non hoc ſolũ eſt in Sacramento corpus eius accipere. Multi enim indigni accipiunt, de quibus Apoſtolus ait: Qui mãducat & bibit calicem Domini indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit. Sed quomodo manducãdus eſt Chriſtus? Quomodo ipſe dicit: Qui mãducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Si in me manet & ego in eo, tunc manducat & bibit. Qui autem in me non manet, nec ego in eo: & ſi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormẽtum. Quod non dicitur quidẽ quaſi Chriſtus à Sacramento ſuo propter malitiam alicuius ſumentis ſeparetur quantum ad veritatem ſuæ ſubſtãtiæ, ſed quantum ad effectum ſuæ gratiæ: quia cùm corpus ſuũ det in ſacramento, vt perfecta vnitate ita incorporetur corpori ſuo, vt in ſe maneat tãquam capite ſuo, & ipſe in eo tanq̃ membro ſuo: non poteſt vniri tam mundũ caput fœdo & putrido membro. Ait enim Auguſtinus in Serm. ſuper Ioan. 26. Qui mãducat me, & ipſe viuet propter me. Participatio filij per vnitatem corporis eius & ſanguinis, quod illa manducatio potatioq́ ſignificat, nos efficit meliores. Viuimus ergo nos propter ipſum, manducantes eum: id eſt, ipſum accipientes vitam æternã, quam non habebamus ex nobis. Quãuis autem iſta ſignificatio vnitatis nõ compleatur in malis, vt meliores efficiãtur & viuant propter Deum: non tamen minus eſt ſubſtantialiter & verè corpus eius quod ſumũt. Vnde Aug. in libro 5. de baptiſmo: Sicut Iudas cui buccellam

tradidit

tradidit Dominus non malũ accipiendo, ſed bonum malè accipiendo, locum in ſe diabolo prębuit: ſic indignè quiſq; ſumẽs Dominicum Sacramentum non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malũ ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis, de quibus dicebat Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Quia ergo ſuperius ſatis aſtructum eſt, quòd corpus Chriſti manducare in veritate ſubſtantię poſſunt etiam mali, in veritate autem ſpiritualis gratiæ poſſunt tãtummodo boni: cùm etiam ſuperius dictum ſit, quòd corporalia ſacramenta ſunt quaſi quædam verba: videamus, ſi in verbis accedat etiam aliqua ſimilitudo ad hanc rem manifeſtandam ſacramentis. Sicut enim verbum eſt ſonus, ſignificans & continens intellectum: ita Sacramentum eſt ſpecies panis, ſignificans & continens Chriſtum. Et ſicut verbũ à quibuſdam auditur & intelligitur, & ſic omnimodis percipitur, à quibuſdã verò auditur, ſed non intelligitur: & tũc percipitur quidem exterius aure quantum ad ſonũ, non etiam interius corde quantum ad intellectum, nec minus tamen continet intellectum ſi non intelligitur, quàm habet ſonũ ſi non auditur: ſic incredulus vel indignus, ore quidẽ ſumit Sacramentum exterius in panis ſpecie, nec tamen interius ſumit corde corpus Chriſti in vnitatis & cõformitatis veritate: nõ tamen ſacramentum minus eſt corpus Chriſti in veritate ſubſtantię: cum qua percipitur etiam à malis, quàm cum & veritate ſubſtantiæ, & veritate ſpiritualis gratiæ, omnimodo percipitur à bonis. Vnde etiam Auguſtinus in

Cap. 8.

1. Cor. 11.

nus in Pſal.54. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt: Intellexiſtis carnaliter, etiā ſic illa ſpiritus & vita ſunt: ſed tibi non ſunt. Spiritualiter intelligite, quæ locutus ſum. Sicut ergo verba ſpiritualiter intellecta & non intellecta, ſemper ſpiritus & vita ſunt: ſic corpus Chriſti ſpiritualiter & nō ſpiritualiter ſumptū, nō minus eſt in veritate ſubſtātiæ, quamuis tibi non, quiſquis indignè accipis, in veritate gratiæ. Quodámodo enim quaſi ſentis corpus Chriſti corporali guſtu, ſed non ſapis ſpirituali affectu. Et pro quāta parte ſaporem dulcedinis & ſuauitatis eius nō percipis, corpus Chriſti tibi non eſt, quod tamē pro quanta parte exterius ſumere præſumis, corpus Chriſti non minus eſt: ſicut & verbū non eſt verbum audienti & non intelligēti, ſed tantū ſonus, & tamen non minus eſt verbum. Cùm ergo malos corpus Chriſti verè ſumere, ipſumq́; Iudam à ſummo ſacerdote Chriſto cū cæteris Apoſtolis accepiſſe ſancti teſtentur: aſtructū etiam videtur, non eſſe nobis noxiū, ſi à nobis vel nobiſcū mali malè ſumant ſacramenta, cùm Iudas ab ipſo Chriſto cum cæteris Apoſtolis acceperit: nec etiā à prauis minus verè confici ipſa Sacramēta, cùm ipſe proditor tanti officij miniſterium à ſummo pontifice accipiens cū cæteris, hoc facite in meā cōmemorationē, audierit. Si enim ſicut ei à Domino iniunctum fuerat, corpus Domini confeciſſet: nunquid verè minus ab ipſo prauo, quàm à quouis bono factū fuiſſet? Quia enim Iudas accuſatus & dānatus nō fuerat, ideo Chriſtus conſcientiam eius peruerſam, quāuis ſibi notā, damnare noluit: vt nos inſtrueret, quòd aliquorum

prauitas,

prauitas,nec conuerſatione, nec Sacramẽtorum conſecratione vel comparticipatione bonis aliquatenus nocere poſsit. Vnde Auguſtinus in*libro de corpore Domini: Intra Catholicã Eccleſiã in myſterio corporis Chriſti nihil à bono maius,nihil à malo minus perficitur ſacerdote:quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris,& in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito eſſet Sacerdotis, nequaquã ad Chriſtũ pertineret.Item Auguſt. ad Parmenianum libro 2.In omnibus quæſtionibus intelligendum admonemus:quia ſcilicet omnia Sacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus. Item Auguſtinus contra Donatiſtas,Communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramẽtorum: ſed conſenſione factorũ. Item idem in homilijs ſuis: Vt ſufferas etiam eum quem noſti malum, attende Apoſtolum dicentem: Vnuſquiſq; onus ſuũ portabit.Non enim cum illo communicas auaritiã: ſed Chriſti menſam. Et quid obeſt ſi communices cum illo menſam Chriſti? Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: ſibi inquit non tibi.Quia igitur, vt ait Leo,Iudæ Dominus nec negauit Apoſtolici ordinis honorem in conficiendis ſacramẽtis, nec communionem in ipſis percipiendis, multum prouidit Eccleſiæ ſuæ,oſtendens per*hunc ſolum innoxiam ei fore malorum prælationem vel conuerſationem,in quo niſi eſſet præſciſa tanti cauſa ſchiſmatis, multi magis ſuperbè quam religioſè calcibus etiam à ſe repellerent eos qui apud ſe minoris eſſe viderentur æſtimationis. Vnde Auguſtinus in Serm.49. ſuper Ioannem, Quid voluit

*ſermone

Cap.10.

Galat.6.

**hoc*

Domi-

Dominus admonere Eccleſiã ſuã, quando vnum perditum inter duodecim habere voluit: niſi vt malos toleremus, ne corpus Chriſti diuidamus? Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt & ſacrilegus: talis cum diſcipulis ad cœnam Dominicam acceſsit, conuerſari cum eis potuit, inquinare eos non potuit.

Quomodo verè & ſalubriter ſumi poßit corpus Chriſti. *CAP. XXII.*

MAlos quidem malè ſumere Sacramenta, ſed tamen verè oſtendimus: nunc qualiter boni non ſolũ verè, ſed & ſalubriter ſumere valeant,

Clem. pa. videamus. Ait Clemens Papa in epiſtola ſua: In perceptione corporis & ſanguinis Domini, magna diſcretio adhibenda eſt. Cauendũ eſt enim, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem

Ioan. 6. animæ pertineat, dicente Domino: Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiſcretè accipiat, timendum eſt illud quod

1. Cor. 11. ait Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ideo iuxta eiuſdem Apoſtoli vocem. Probet ſeipſum homo & ſic de pane illo edat, et de calice bibat: vt videlicet ab operibus carnis purificans corpus animamq́; ſuam, præparet ſe ad percipiendum tan-

Hila. pap. tum ſacramentum. Item beatus Hilarius, Si tanta non ſunt peccata vt excõmunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis Domini ſubtrahere. Vnde timendum eſt, ne diu abſtractus à corpore Chriſti, alienus remaneat à ſalute. Qui peccare quieuit, cõmunicare non deſinat. Item Am-

Ambroſ. broſius: Si quotieſcunque effunditur ſanguis

Chriſti,

Chriſti,in remiſsionem peccatorum effunditur: qui ſemper pecco,debeo ſemper accipere, debeo ſemper habere medicinam. Item beatus Cyprianus: Euchariſtiã quotidie ad cibum ſalutis accipimus. Quod diſtinguens Auguſtinus ſcribit ad Ianuarium: Dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiã, alius affirmet quotidie: faciat vnuſquiſq; quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neq; enim litigauerũt inter ſe, aut quiſquã eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio: cùm alter eorum gaudẽs in domo ſua ſuſceperit Dominum, alter dixerit, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: Ambo ſaluatorem honorificãtes, quãuis non vno modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Item idem alibi: Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo nec vitupero: omnibus tamen diebus Dominicis communicandũ ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quã purificari. Et ideo quamuis peccato quis mordeatur, peccãdi de cætero non habeat voluntatẽ, & cõmunicaturus ſatisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miſeratione: accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed de illo hoc dico, quem mortalia peccata non grauant. Quibus ſanctorũ verbis, magna nobis indicitur bene operandi neceſsitas: ne corpus Domini indignè ſumẽdo, ſumamus iudicium: vel ſumere ceſſando, hoc modo etiam alienati à vita, mortis nihilominus incurramus periculum. Neceſſario enim Agnus ſumendus eſt, vt à vaſtãte angelo protegamur. Sed

Cyprian. Ser. in orationem dominicã.
Auguſtin. Epiſt. 118. Cap. 3.
Matth. 8. Luc. 19.
Libro de Eccleſiaſ. dog. ca. 53.

ſi tantam medicinam ſumere vel non ſumere periculum eſt, quò euademus? Sed ne his anguſtijs circunuenta, humana deſperet infirmitas, Auguſtinus vnicuiq; ſumendi & non ſumendi propriæ diſcretionis relinquit arbitriũ: quàmuis pro certo à tãta medicina, vel peccati pertinacia, vel ipſius Sacramenti negligentia ſubtrahi, magnum ſalutis ſit detrimentũ. Non eſt enim ſine magno gratiæ priuilegio, quòd Deus etiam corporaliter humani corporis & cordis vti dignatur diuerſorio: nec tantum ad hoſpitandũ vt in templo ſuo, ſed ad incorporandum ſibi vt membrum capiti ſuo. Quid enim ad ſalutem nobis deerit: cùm ille qui ſalus eſt omnium, nobis vnitus fuerit? Nón eſt ergo deſperanda inuicta Dei gratia, quãtamcunq; hoſtis fraudem, quantamcunq; noſtram fragilitatem attenderimus: quia vel hoſtis fraude, vel noſtro vitio anguſtiorem Dei gratiá conſtituimus, ſi hoſtem potentiorem ad nocendum, quàm Deum ad liberandum: nos autem habiliores ad labendum, quàm ipſum ad ſtabiliendum crediderimus. Quid verò eſt quod ait Apoſtolus, Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: niſi hæc potentior ſit ad ſaluandum, quàm illud *ad perdendum? Non eſt ergo metuenda bene operandi neceſsitas, quibus in Deo tanta ipſius neceſsitatis eſt facultas: vt quicquid bene voluerimus, per eum qui omnia poteſt poſsimus. Vnde etiam b. Hilarius inchoantibus & imperfectis cõdeſcendens, ne quis Dei gratia diffidat, conſilium dedit, vt qui peccare quieuit, cõmunicare non deſinat: quamuis eos qui in affectu peccandi ſunt, vel de criminalibus dignè non pœnituerunt, vel ab his miniſtris qui extra Eccleſiam

Nota diligenter.

Rom. 5.

**al. ad perimẽdum?*

ſunt

ſunt conſcios ſumere interdicat autoritas. Quia igitur ſicut magna ſpe, ſic magna diſcretione ſumendum eſt corpus Domini, cùm de perfectis ſatis ſuperius dictũ ſit, quod corpus Domini ſint & ſumant, quia Chriſtus in eis & ipſi in eo maneāt: de imperfectis, qui corpus Chriſti fieri & ſumere volunt, qualiter hoc idoneè faciant videamus. Vt ergo de criminaliter peccantibus ſua decreta ſeruentur, quia etiam in Ægypto datus eſt agnus Iſraelitis, ſed inde ſtatim exituris: dãdus eſt item Agnus Dei peccatoribus, vt à vaſtante angelo protegantur, ſed deinceps peccatis renũciaturis. Exod.12.

In quo quia ab ipſa figura agni traximus ſimilitudinem: ab ipſa cõparemus etiã ſumendi diſcretionẽ. In vna domo agnus comedi, nec inde aliquid efferri præcipitur: quia cùm extra Eccleſiã non ſit locus veri ſacrificij, quantiſcunq; polleat moribus quis, nõ rite dat vel ſumit Agnum, niſi catholicus, vnitatem ſcilicet Eccleſiæ ſeruãs, tam fide, ne ſit hæreticus, quàm obediẽtia, ne ſit ſchiſmaticus. Vnde Hieron. in Eſaiam: Etenim paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus: qui nõ foris, ſed intus & in domo vnà comeditur. Accinctis autẽ renibus, calciatis pedibus, baculos tenẽtes, agnũ iubemur comedere, cũ lactucis agreſtibus feſtinantes: vt caſtitate præcincti, & ne à ſerpentibus in via huius ſeculi mordeamur, exemplis ſanctorũ patrum munientes greſſus actuum noſtrorum, virga diſciplinæ caſtigãtes carnis intemperantiã: comedamus agnũ cũ lactucis agreſtibus, id eſt, amara cõpunctione plenis, ita cum deſiderij feruore feſtinantes ad patriam. Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini, quo ex hoc mundo tranſiuit ad patrem: cum quo deſidia 1.Cor.5. Exod.12.

tardus, & ſuper ollas carnium in ſeculi Ægypto remoratus, tranſire non præualet, vt illuc perueniat vbi Chriſtus in dextera Dei ſedet. Sed vt dictum eſt, ideo ſe vnit nobis in Sacramento, vt quod nobis eſt impoſsibile, poſsibile fiat in ipſo

Cur Chriſtus corpus ſuum ipſa ſuæ paßionis hora dederit.

Vnde etiam ne quod dabat, inane videretur & friuolum: nec ante nec poſt, ſed ipſa paſsionis & tranſitus ſui hora Sacramentum corporis ſui dedit & ſanguinis: vt vnde dabat exemplum: daret etiam myſterij exordiũ, quatenus memoriæ noſtræ arctius paſsionis ſuæ characterem imprimeret, ſpei noſtræ certius tranſitus ſui, & noſtri viaticũ delegaret, cùm illud ſicut primus primum, ſic in extremo tẽporalis vitæ ſuæ ſub noui teſtamenti aſsignatione daret extremũ. Teſtamento enim ſanguinis ſui data redẽptione & peccatorũ remiſsione, pactum quod habebamus cũ morte deleuit, vitæ æternæ fœdus nobiſcum pepigit: & tanti teſtamenti Sacramentum ad confœderandam ſibi ſanctam Eccleſiam in cõmune omnibus reliquit: vt vnde habemus guſtum in via, ſacietatem quæramus in patria, & ipſum per ipſum inueniamus, cùm in manifeſta ſua apparuerit gloria. Cùm enim corpus Chriſti ſumpſerimus, & corpus eius facti fuerimus: tranſibit ipſe in nobis ad patrem, tranſibimus & nos in illo: vt cum illo in tanti tranſitus labore vnum facti, vnum ſemper ſimus in peruentionis gaudio.

Non ſolũ ſpiritualiter, ſed et corporaliter ſumendum.

Sciendum autem nõ tantum ſpiritualiter, ſed & corporaliter ſumendum eſſe corpus Domini: quia & agni ſanguis, qui à vaſtante angelo protexit, vtroq; poſte reſperſus eſt: vt verũ Agnum non minus ore corporis quàm ore cordis ſumĩ debere ſignaret: quia qui vtrunq;, corpus ſcilicet

& animam venit redimere,vtriq; ſe voluit in ſacramento ſuo communicare:vt dum anima crederet quod corpus guſtaret,vtriq; vna ſpes ſalutis æqualiter in Chriſto proueniret. *corpus domini.*

Videndum autem cùm ad edēdum agnum lex dederit in calceamentis cautelam, ne à vitijs fallamur:in baculo diſciplinā, qua perpetrata corrigamus:in lactucis compunctionē, vt non ſolùm exterius,ſed & interius pœnitentiam agamus:in feſtinatione,deſiderij ardorem, quo ad cœleſtia ſuſpiremus: cur accinctis renibus abſtinentiam libidinis expreſsius indixerit,cùm de cæteris vitijs nihil nominatim,ſed communiter omnium vel cautelam vel diſciplinam figurauerit.

Vnde ſciendum, quia Agnum Dei ſine macula,qui virginis eſt filius,luxurioſi & inceſti ſumūt periculoſius:quia cùm in Sacramento Chriſti ei vniri debeamus,conformitate paſsionis & mūditiæ,nihil ſic aduerſatur paſsioni crucis, vt voluptas,nihil ſic mūditiæ vt fœditas, nihil ſic eius vnitioni,vt fornicariæ ſocietatis vnitas. Libido enim appetitu ſuo allicit & incēdit, actu ſuo fœdat & eneruat, vſu lubricat & illaqueat : adeò vt placendo diſplicens,diſplicendo placens,difficilem aut nullam ſui penitudinem admittat: & niſi valida manu miſericordiæ Dei ſubuentum fuerit,miſerabili fine ſuo, amatores ſuos ſine fine perdat.Vt enim prætermittā eam quæ extra naturam abominabilis eſt & nephāda, & intra naturam in inceſtibus & adulterijs deteſtāda, vel in fornicationibus & ſtupris lætifera : illa etiam in coniugijs quæ eſt licita etiam ſi nō aufert vitam, adeò tamen minuit coronam: vt cùm virginitas centéſimum, viduitas ſexageſimum ,coniugalis *Luxurioſe uiuentes, maxime Chriſti ſacramento contumeliam irrogant.*

copula extremum & triceſimũ referat fructum. Si ergo ita humiliat, vbi quod non expedit, ſanat indulgentia: quantũ nocet illa, cui diuinæ imminet indignationis cenſura? Hæc enim peſtis, quo præ cęteris vitijs eſt naturę familiarior, eo ad cauendum difficilior: quia cùm repellitur, nolenti ſe ingerit importuna, cùm admittitur, voléti incumbit blandè oneroſa, & dum ſic ſenſim infundit amorem ſuum, prorſus extirpat amoré cœleſtium. Sed quid econtra faciendum eſt, ne pereamus?

Matth. 7. Quia ad vitam non peruenitur niſi per anguſtam viam difficilem, ſed coopèrãte Deo, non impoſsibilem ingrediamur ſemitam: vt quia humana nõ proficimus, angelicam in terris vitam ducamus, quatinus caſtitatis munditia, corde & corpore Chriſti munditiæ conformes, ne cœleſti alimonia indignè reficiamur: ſimus ſpe & conuerſatione cœleſtes, quia panis angelorum non

1. Cor. 11. niſi angelicæ vitæ eſt ſtipendium. Vnde etiá praui dum communicare præſumunt, cibo qui incommunicabilis eſt prauitati (vt ait Apoſtolus) imbecilles fiunt, & dormiunt multi, quia non diiudicant corpus Domini: vt vel corporalis infirmitatis moleſtia corrigantur per Dei miſericordiam, vel dormitione mortis corporalis vitam amittant temporalem & æternam. Ad quod pe-

Ibidem. riculum vitandum cõſulens Apoſtolus ait: Probet ſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: quia reuera ſolicitè debet perpendere cuius ſit actionis, vel ſaltem intentionis, qui tantæ vult fieri particeps communionis.

LIBER SECVNDVS.

Quòd Sacramẽtum corporis Chriſti nullatenus ſoluatur in digeſtionẽ vel aliquam fœdam corruptionem.

CAPVT I.

QVia ſuperiori libello de veritate & poteſtate corporis Chriſti, aſpirante ſua gratia, aliquantulum explicuimus: de ipſius Sacramenti quæſtiunculis, quantum Deus dederit videamus. Diximus ſuperius non minus ore corporis, quàm ore cordis, Corpus Domini eſſe ſumendum: ſed ex hac ipſa viſibili & corporali comeſtione, quæ ſacramentotenus fit, naſcitur hæreſis fœdiſsima Stercoraniſtarum. Dicunt enim tantum ſacramentum ſicut corporali comeſtioni, ſic & ſeceſſui eſſe obnoxium. Volunt autem hoc aſtruere cùm multis argumentis, tum ipſius Chriſti teſtimonio, ita in Euangelio dicentis: Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: cùm conſtet hoc eum dixiſſe non de ſpirituali cibo, ſed de communi & carnali. His igitur obſcęnis hæreticis periculoſum eſſet ſuper hoc aliquid reſpondere, magiſque dignum aures noſtras obturare: niſi periculoſius eſſet eos in ſcandalum Eccleſiæ talia proponere, & tantam eorum falſitatem nos nullis fidei Catholicæ rationibus reuerberare.

Stercoraniſtæ.

Matth. 15

Quibus primum illud beati Hilarij opponimus, quo non humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus monet loquendum. Deinde illud ipſius ſapientiæ elogium: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit

Lib. 8. de trinitate.

 Deus,

Eccle. 3.c Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus
Contra eius ne fueris curioſus. Quo nã enim modo pa-
curioſos nis efficiatur caro, vinum vertatur in ſanguinem
ſcrutato- Chriſti, vtriuſq; eſſentiæ mutata natura, vel vtrũ
res. vadant in ſeceſſum more ciborum cõmunium:
Hom. 22. iuſtus qui ex fide viuit ſcrutari & ratione conci-
in Euãg. pere non quærit. Vnde Gregorius in homilia Paſchali: Quod ex agno remanet, igni comburimus: quando hoc quod de myſterio incarnationis eius intelligere non poſſumus, poteſtati ſancti ſpiritus humiliter reſeruamus. Scimus enim hoc Sacramentum omnimoda reuerentia eſſe à communibus eſcis ſecernẽdũ. Quia, vt ait Apoſtolus, Qui manducat & bibit indignè, non dijudicans corpus Domini, id eſt, à cæteris eſcis non diſcernens, etc. Licet enim ſimili modo, quãtum ad comeſtionem per os in ventrem mittatur, abſit tamen vt tantum ſacramentum ſeceſſui credatur obnoxiũ, in quo ſi huiuſmodi naturæ ordo compleatur, myſterium fidei nimia ſua indignitate humilietur. Si enim, vt ait Euſebius, hęc hoſtia fide æſtimanda eſt, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, cùm huius hoſtiæ ſubſtantia credatur Chriſtus, cur pro ſpecie panis, qua opertus eſt, adiudicatur ei ſeceſſus indignitas, cùm exteriori ſpecie vel viſu non ſit cenſendus? Quod non ſolùm eſt contra fidem, ſed & contra naturæ rationem. In illis enim ſpeciebus panis & vini, vel nulla eſt niſi corporis Chriſti ſubſtãtia, vel fides noſtra eſt irrita. Panis enim & vini ſubſtantia in corpus & ſanguinem Chriſti conuerſa, dum facta eſt quod nõ erat, deſiſtit eſſe quod fuerat. Si ergo
**defecari* ſubſtantia panis ibi nõ eſt, quid *defœdari & corrumpi vſq; ad ſeceſſum poteſt? Nam ſubſtantia

Chriſti,

Chriſti,quæ verè ibi eſt,& in quam ſubſtãtia panis & vini cõuerſa eſt, nullatenus corrumpi credenda eſt:quia incorruptibilis eſt. Vnde Ambroſius:Corpus Chriſti alienum eſt ab omni corruptione: quod quicunq; religiosè guſtauerit,corruptionem ſentire nõ poterit.Et merito. Quam enim incorruptionis gloriam nobis largiretur, qui in ſeipſo tantam corruptionis ignominiam pateretur?Sed & qui,quãuis hoc mortis legibus debere videretur, corruptionem videre non potuit in ſepulchro:quomodo corrumpi credẽdus eſt in hominis ſtomacho?Cibi corporei qui angelis oblati ad comedendũ legũtur,per diuinam potentiam prorſus abſumpti, ſeceſſum naturæ ſuæ debitũ euaſerunt:& cibus ſpiritualis,qui dat vitam ęternam mundo, incurret ſeceſſum naturę ſuæ indebitum, maieſtate indignũ,potentię omnimodo contrarium?Vnde Ambroſius in lib. de Sacra. His Sacramẽtis paſcit Chriſtus Eccleſiam ſuam,quibus animæ firmat ſubſtantiam. Et poſt pauca:Quid edamus & bibamus per Prophetam ſpiritus ſanctus expreſsit dicẽs:Guſtate & videte, quoniã ſuauis eſt Dñs.In illo Sacramento Chriſtus eſt,quoniã corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca,ſed ſpiritualis eſt. Si ergo ſpiritualis & nõ corporalis eſca,quomodo corporali ſeceſſui obnoxia?Cibus enim ſpiritualis nobis cõmunis eſt cũ angelis,quia panẽ angelorũ manducauit homo:cibus carnalis,cõmunis eſt nobis cum beſtijs. Beſtialis, defectum patitur digeſtionis: angelicus,gloriam ſeruat incorruptionis.

De myſteriis initiandis,c.9
Pſal.33.

Sed notandum,quia eſcam quam Ambroſius non corporalem aſtruit,Auguſt.corporalẽ dicit: In quo ne diſſentiant,ſciẽdum eſt quòd Auguſt. corpo-

Quomodo corpus Chriſti eſ-

ca corporalis & non corporalis. corporalem dicit, quia ſacramentotenus corporaliter ſumitur: Ambroſius corporalem negat, quia cùm ſubſtantialiter ſpiritualis ſit, non corpus, ſed animam vegetat. Quia igitur Auguſtinus ſecundum Sacramenti ſpeciē eſcam hanc dicit corporalem: ne in ipſis ſpeciebus ſacramētalibus corporalis deputetur ſeceſſus, quomodo nec in ipſis eſſe poſsit videamus. In quibuſlibet ſubſtātijs formarum, colorū, ſaporumq́ue qualitates fundantur, quæ qualibet alteritate ſuperueniente, non manent in eis: & quod ſic mutantur, nō fit corruptione ſeceſſus, ſed ſola ſui alteratione defectus. Verbi gratia: Cū albedo mutatur in nigredinē: nūquid in defectu ſuo alicuius ſeceſſus patitur digeſtionē? Sic in formis & qualitatibus corporis Chriſti & ſanguinis, ſi aliquis deprēditur defectus, nō vſque ad ſeceſſum eſt humiliādus: quia cū à corporibus, quibus naturaliter inſunt, ſine ſtercore deficiant, quomodo quæ deficientibus ſubſtantijs ſuis in Sacramento Chriſti mirabiliter reſeruantur, defectu ſuo indignitatē ſeceſſus naturę ſuę contrariā incurrant? Sed & cùm de cæteris Sacramentalibus ſpeciebus, colūba ſcilicet & igne, in quibus ſanctus ſpiritus apparuit, Auguſt. contra Maximinū dicat, quia corporales illæ ſpecies peracto ſignificationis officio, tranſierunt & eſſe vlterius deſtiterūt: nihil indignius de his corporalibus ſpeciebus quæ Chriſti contegunt corpus, eſt ſentiendum. Officium enim huius viſibilis Sacramenti eſt corporali comeſtione & potu oſtendere, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuę incorporetur: quid deinceps de ipſo fiat ſi ſupradictæ rationes nō videntur ſufficere, Deo cuius eſt, fideliter & honeſtè committatur. Melius

eſt enim

eſt enim Deo humiliter committere quod ſcire non poſſumus: quàm peruersè contra eum fingere,& ſentire quod tamen neſcimus. *Deo committenda quæ ſcire non poſſumus.*

Sed quærunt dialectici,cùm ſubſtãtia panis in corpus Chriſti conuerſa, iam non ſit panis, in quo fundamento remanent qualitates, vt idem qui fuerat panis color & ſapor habeãt fundari & exiſtere:cùm ſubſtantia ipſius ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti, nec colore panis ſit coloratũ,nec ſapore ſapidum. Ad quod reſpondendũ eſt,quòd ſicut Deus in omnibus eſt mirabilis,ſic & in iſtis. Facit enim in ſuo ſacramento accidentales qualitates exiſtere per ſe: quod in cæteris eſt impoſſibile. Sed qui virgini dedit fœcũditatem ſine ſemine:quid mirum ſi ſine ſubſtantiæ fundamento facit qualitates exiſtere? Cùm ergo in tanto Sacramento non ſit quæ corrumpi poſsit panis & vini ſubſtantia,ſed tantum panis & vini,quæ deficere quidem,ſed ita *defœdari nõ poteſt cũ ſuis qualitatibus forma, qua etiam operta creditur, corporis Chriſti,quę eſt incorruptibilis ſubſtantia:non eſt ibi de ſtercore ſuſpicandum, vbi non eſt aliqua huius fœditatis natura,ſed tantummodo diuinæ virtutis miraculum. *Solutio. Mirabilis Deus in Sacramẽtis ſuis.* **defecari*

Non ſunt igitur obſeruanda Græcorum hæreticorum,qui merito Stercoraniſtæ vocantur, deliramenta:qui dicunt participatione corporis & ſanguinis Chriſti, ſolui Eccleſiaſtica ieiunia vſq; ad crapulã & ebrietatem ventriſq; diſtenſionem:putantes cœleſtem eſcam velut terrenã indifferenter accipi,& in ſordidum vẽtris ſeceſſum emitti. Sed abſit à cordibus fidelium,vt in diebus ieiuniorũ quotacũq; hora Miſſæ celebrẽtur, ſolui credant ieiuniũ:quia cùm non ſit corporalis, ſed ſpi- *Hæc contra Nicetam hæreſiarcham.*

ſed ſpiritualis eſca, corporalis per eá non ſoluitur abſtinentia. Sed nec obſeruãdum eſt quod in quibuſdam apocryphorum monumentis decernitur, ne ſcilicet cõmunis cibus accipiatur, donec ſumpta ſacramenta per ſe digerantur, ne vel cõmixtione alterius cibi corrumpantur. Neq; enim Dominus in cœna poſt eſum agni paſchalis ſacramenta corporis ſui dediſſet diſcipulis: ſi ex ciborum cõmunium admixtione corruptionem vidiſſet ſuis accidere Sacramentis, quãuis Eccleſia non hoc imitabile in ipſo decernat certis de cauſis, ſed prorſus alijs. Dignum enim erat, vt ipſe mediator Dei & hominum, finis legis, initium gratiæ, poſt eſum agni paſchalis, poſt completionem legis veteris, nouo Sacramento, nouum gratiæ teſtamentum inſtitueret ad veſperam: vt vtrunq; hoc in fine mũdi ſe agere declararet. Dignũ nihilominus vt Eccleſia, cui talis officij cauſa non ſuppetit, vt poſt vmbram veritatem inſtituat, talẽ ordinẽ in Chriſto non imitetur: decernens ob reuerentiam tanti Sacramẽti, vt ieiuno corpore dũ ſobrietas viget, carnis feruor quieſcit, animus ad intelligendũ ſerenior eſt, cibo ſpirituali homo interior prius reficiatur: quatinus ipſe qui in nobis præminet, cœleſtis cibi fortitudine roboratus facilius regat corpus ſibi ſubiectum, ne ad ſuperflua vel noxia relaxetur. Vnde

Auguſtin. Epiſt. 118. cap. 6. Auguſt. ad Ianuariũ: Placuit ſpiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramẽti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.

**poſt* Neq; enim quia *prius cibos dedit dominus, propterea prãſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendũ cõuenire debent: aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis

ſuis

ſuis iſta miſcere. Sed etſi quis ſpiritualiter refe- NOTA.
ctus,ob eandem ſacramenti reuerētiam aliquandiu ieiunet,vt hoſpiti ſuo Chriſto ſobria hilaritate cōdelectetur,bonum eſt:quãuis ablata omni ſuſpitione ſtercoris, ſicut ante cibũ,ſic & poſt, in periculo vitæ conſtitutis dari concedatur ſi neceſſe eſt.

Sed opponũt hæretici. Si multi panes & multa vina ſacrentur, diu hominem inde poſſe viuere:vt non de præterito, ſed de hoc præſenti & diuturno victu illũ aſtruant interim ſeceſſum habere. Dicũt*etiam aliquos per multa tẽpora hoc expertos,eo deſiderio, vt etiam in hac vita cibo alerẽtur angelico, quos ne defectu propriæ carnis, vt in infirmitatibus ſolet, ſeceſſum habuiſſe videantur,ita eos carne vegetatos his cibis & ſaginatos, ſicut & communibus aſtruunt: vt cùm negatur defectus carnis, probetur ſeceſſus ſacræ fuiſſe communionis. — *Obiectio.* — **enim*

Sed Deo annuente, nec ſic vincent hæretici, quia credẽdum quidem eſt, quod cœleſtis cibus, qui confert vitam æternã, poteſt quibus ſibi placuerit,conferre temporalem: Sed, ne in digeſtionem ſolui credatur,qui defectu carnis ſuæ ſeceſſum facit infirmo, de ipſa carne nec tamen deficiente non poteſt ſeceſſum dare ſano? Sareptanæ viduæ lecythus conſumebatur, nec minuebatur: & quid mirum ſi per tãti cibi virtutem caro alicuius comedentis & vegetetur, & creſcat, & digeratur,nec deficiat? Quinque panes hordeacei poſt ſaturitatem quinq; milium hominũ vſq; ad implendos duodecim cophinos creuerunt: Et cùm illi Deo iubente in ſua conſumptione acceperint augmentum; quid mirum ſi eodem volente — *Reſpõſio. Solo ſacramẽto poſſe quem ſuſtẽtari. 3.Reg.17* — *Ioan. 6.*

lente caro humana in ſua digeſtione non patiatur defectum? Aliquos quidem de ſanctis patribus legimus nullum aliud edulium ſumētes, ſola communione Dominica diebus Dominicis
3.Reg.19 refectos, multis annis vixiſſe: ſicut Heliā in fortitudine cibi illius quē angelus miniſtrauerat, quadraginta diebus ieiunaſſe, ſed cuius potentia, niſi illius, qui omnia quæcūq; voluit fecit in cœlo & in terra? Qui enim de nihilo fecit omnia, ſicut poteſt carnem alere ſine carnali victu, ſic etiam ei dare ſeceſſum ſine carnali defectu.

Obiect. Sed iterum opponunt hæretici ad tanti Sacramenti indignitatem, quòd panis & vinum in Sacramento mucidū vel putridum fiat, panis à muribus corrodatur, & in ventre eorum inueniatur, ignibus etiam comburatur.

Solutio. Sed quia (vt ait Auguſtinus) ideo Sacramenta dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: ita quod fit in eis, aliter videtur, aliter intelligitur. Sicut enim in quolibet corpore ſine detrimento ſubſtātiæ, albedo nigredine, vel quęlibet qualitas ſuperueniente contraria qualitate diſpellitur: ſic in Sacramento Chriſti, quicquid mutationis ſpecietenus, vel formæ, vel cæterarū qualitatū, ſeu ſoricum corroſione, ſeu vetuſtatis mucore, vel quibuſcunq; modis fieri videtur, ad Sacramenti ſubſtantiam, Chriſtum ſcilicet, non attinet: quem certiſsimè ſcimus incorruptū permanere in cœlis, quicquid in eius Sacramento contingere videatur in terris. Sicut enim in proprio corpore, modo hortulanus, modo peregrinus, modo phantaſma prout fides erat intuentiū apparuit, extrinſecus autem alapas, ſputa, flagella ſuſtinuit: ſic etiam ad probationem fidelium, & ſcan-

Caro Chriſti nūquā corrumpitur.

Ioan. 20. Luc. 24. Matt. 14.

Duo genera ui-

& ſcandalum infidelium vſq; in finem ſeculi, talia fieri permittet in ſuo ſacramento, vnde electi exerceantur, reprobi indurentur. Dũ enim Christus in ſacramento occultatus, tantaq́; ſua indignitate diſsimulatus, nõ minus tamen ibi creditur eſſe, nec minore reuerẽtia à fidelibus colitur: fides hoc modo probata, dum contra hoc quod videt de Deo ſentit, maiora meretur: infidelitas autem maiori ſuo ſcandalo indurata damnatur, quæ ibi contemnit Chriſti reuereri ſubſtantiam, vbi in repellenda Sacramẽti ſui indignitate, nullam viderit eius potentiã. Sed ſi ibi Chriſtus vel ſuæ præſentiæ euidentia innoteſceret, vel ſuæ potentiæ miraculis clareſceret: quod fidei eſſet meritum, cui ſuæ cognitionis tam manifeſtum daret experimentum?

dentium Euchariſtiæ ſpecies.

Fit etiam aliquando huiuſmodi indignitas, ad puniendam vel corrigẽdam miniſtrorum negligentia: pro eo quòd corpus Domini indignè tractauerint, vel contra eccleſiaſticas regulas minus attentè, vel diutius quàm deberent ſeruauerint. Nónne enim mãna, ſi in alterum ſeruaretúr diem putrifiebat, quia interdictum erat à Domino: & tamen ſi pridie ſabbati collectúm, vſq; in ſabbatum ſeruaretur, incorruptum permanebat, quia ſic erat inſtitutum ab eo.

NOTA.

Quicquid ergo deformitatis in Chriſti Sacramento contigerit ſpecietenus, non debet à nobis fidem extorquere veritatis eius: quia qui in corpore ſuo cũ verus Deus eſſet, multa indigna pertulit, nihilominus in ſacramento ſuo perfert, quãuis verè ibi ſit. Vt enim ait Gregorius in dialogo ſuo, in ſpecie leproſi Chriſtus Martyrio monacho apparuit: qui cum baiulatus de collo eius euanuiſſet,

Greg. homil. 39. in Euãgelia.

euanuiſſet, ſubſequenter ait: Quia non me erubuiſti ô Martyri in terra, nec ego erubeſcere te debeo in cœlo. Quis igitur in Sacramento Chriſti quaſlibet indignitates debeat erubeſcere: cùm pro digna eius reuerētia cœleſtē remunerationē debeat obtinere? Senex Symeon ſaluatoris quaſi brutam & inſenſatam infantiam, eiúſq; exilem & debilem quam in vlnis gerebat formā, vilibúſq; pannis obſitam perſonam non attendens: maieſtatem deitatis in tātillo corpore agnouit & credidit, Dominum vocauit, ſe eius ſeruum profeſſus eſt, vt ab eo in pace dimitteretur orauit, ſalutare Dei ſe videre perhibuit, lumen eſſe ad reuelationem omnium gentiū, & gloriam plebis ſuæ Iſrael prophetauit. Vt ergo quaſlibet indignitates in Sacramento Chriſti fides vera non erubeſcat: ſciendum eſt, quia ſicut multa agūtur in Sacramento Chriſti quę nō vidētur: ſic in eo multa videntur fieri quæ aliter diſpēſantur. Gregorius enim dicit in ipſa immolationis hora cœlos aperiri, angelorum choros adeſſe, etc. quæ quamuis verè fiant, non tamen videntur. Item idē ait: Caro eius in ſalutem populi partitur, eiúſq; ſanguis funditur: fitq́; aliter quàm videatur, cùm ipſe integer perſeueret & viuus. Sed quid mirum de his? Ipſum corpus Chriſti videtur panis eſſe, & nō eſt panis. In eo igitur quod videtur eſſe & non eſt, fieri multa videntur quæ non fiunt: velut, quia Chriſtus Martyrio leproſus apparuit, nunquid Chriſtus ſpecioſior ſole, vera lepra reſperſus fuit? In vitis patrum legitur: Aſpiciente quodam ſanctiſsimo patre angelum Domini quibuſdam indignè communicātibus corpus Domini ſubtrahere, & pro illo carbones porrigere. His igitur aliud

Luc. 2.

Lib. dialogorum 4. ca. 58.

aliud videbatur,& aliud fiebat.Itẽ legitur Tharſitius martyr corpus Domini ferens, cùm à paganis comprehenſus requireretur quid ferret,& ſanctum canibus dare nollet: martyrium obtinuiſſe.Cumq́ illo mortuo curiosè quęrerẽt quid ferret:corpore Chriſti cœlitus ſublato,linteamina tantum quibus ipſum continebatur, reperta ſunt. Sic & alia multa in hoc ſpirituali Sacramento inuiſibiliter fieri credenda ſunt, angelico miniſterio. *S. Tarſitius martyr.*

Quicquid igitur in ſacramento Chriſti ſpecietenus(vt dictum eſt)fieri etiam monſtruosè videatur:ſeu pro aliquorum negligentia puniẽda vel corrigenda,ſeu pro fide probanda & inſtruenda, ſeu pro perfidorum ſcandalo & ruina, fidẽ Chriſti non euacuat:quia diſpenſante aliter Deo,nullatenus ad ſui corporis indignitatẽ attinere credendum eſt. Nec ſolũ corpori Chriſti, ſed & ipſi ſacramẽto viſibili eadem cauſa mucorem negamus & putredinem,qua ſuperius digeſtionẽ:quia cùm illę ſpecies ſine panis & vini ſubſtantia ſint, quomodo muceſcere & putreſcere magis quàm digeri poſsint,non facilis patet cauſa. Ipſis verò ſpeciebus,cùm non ſint æternæ, defectum negare non poſſumus: ſed ipſum defectũ ita dicimus ſimplicem,vt nullam fœditatis admittamus corruptionem.Poſſunt tamen videri mucidæ & putridæ,quãuis ita non ſint: ſicut Chriſtus hortulanus,peregrinus, pro vt erant intuentium mentes:ſed hac viſione cum eis quibus fit ita agitur, vt ſupradictæ cauſæ in eis compleantur.

Quòd autem ventrem diſtendere vel inebriare dicũtur,ne hoc quidem ſuum eſſe approbamus: ſed quando * iſta facere videntur, eiſdem ſupra- ** ita*

dictis cauſis id fieri credimus. Si autem in vomitu ebriorum vel infirmorum huiuſmodi forma deprehenditur, vel etiam in ventre beſtiarũ quid aliud protenditur, niſi quia cum ebrioſis vel impœnitẽtibus infirmis, vt dignũ eſt, manere contempſit: vel eos à quibus ſeruari & ſumi debuit beſtijs deteriores oſtendit? Cùm enim pręter peccatum creatori, qui vbiq; eſt, omnia munda ſint: quomodo videtur immũdius eſſe in ventre muris, quàm in ventre adulteri impœnitentis?

Quòd autem etiam à religioſis incendio tradi, & ibi diſparere dicuntur ipſæ ſacramentales ſpecies, non ad indignitatem Chriſti fit, quaſi ignibus exurendus tradatur, quod impoſsibile eſt, cùm ſit omnium elementorum Deus: ſed quoties aliqua talis indignitas ipſi ſacramẽto negligẽter acciderit, vt horrorẽ ſumendi incutias ipſæ ſenſuales ſpecies, quas ibidem Deus altiſsimo ſuo conſilio poſt mutationem ſuæ ſubſtantiæ remanere voluit, ignibus traduntur: vt oſtendát quod ſuum eſt, deficiendo & diſparendo ſine omni fœditate in illo puriſsimo ignis elemento.

NOTA. Quapropter ſicut ſumma ſumi reuerentia, ſic ſumma etiam ſeruari debet diligentia: quia res tantæ dignitatis, tantæq; ſalutis, negligentiæ vel obliuioni ſubiacere non debet: ſed quod magna Dei gratia agitur, decet & oportet vt magna Eccleſiæ ſolitudine deuotè & indeſinenter ſuper omnia honoretur.

Cur viſibile ſacrificiũ, inuiſibili Deo fiat. CAP. II.

QVæritur autem cùm ſacrificium Eccleſiæ conſtet viſibili elementorũ ſpecie, cur Deus

Ioan. 4. illud viſibile eſſe voluerit; cùm ipſe inuiſibilis

ſit, &

ſit, & à veris adoratoribus patrem in ſpiritu & veritate adorandum eſſe dixerit, & Pſalmiſta ſacrificium Deo ſpiritum contribulatum aſtruxerit? Sed ſciendum quia in Sacramento viſibili præſentiam inuiſibilis corporis ſui exhiberi nobis voluit: vt ſic noſtram magis excitaret memoriam ad recolendam tantæ ſuæ pietatis gratiam. Sicut enim cum omnia poſſet, non in nobis ipſis, ſed in exterioribus alimonijs temporalem vitam noſtram retineri voluit: ne nobis debere videremur quod ſumus, ſed ei potius à quo ſunt illa munera vnde viuimus: ſic etiam viſibili ſuo Sacramento quo vitæ æternę pignus accipimus, admoneri nos voluit, eius gratiæ eſſe referendum, quod ab ipſo vitam æternam accipimus, quam in nobis non hahebamus, imò per nos perdideramus. Sicut ergo teſte Apoſtolo, inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſic inuiſibilis præſentiæ ſuæ ſignum ſacramentum ſuum eſſe voluit, vt ſic intellectum noſtrum de ſua reddens gratia certiorem, affectum noſtrum faceret erga ſe ardentiorem. Ne autem exiſtimetur, cùm ipſe inuiſibilis ſit, viſibilium ſacramentorum ſacrificia ei non congruere: ait Auguſtinus in libro 10. de Ciuitate Dei, Qui autem putant hæc viſibilia ſacrificia dijs alienis congruere, illi verò tanquàm inuiſibili, inuiſibilia, & maiori maiora, meliori'q; meliora, qualia ſunt purę mētis bonę'q; volūtatis officia: profectò neſciūt hæc ita eſſe ſigna illorū ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerū. Quocirca ſicut orātes & laudātes ad Deū dirigimus ſignificātes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus; ita ſacrificātes non alteri

Pſal.50.

Rom.1.

viſibile ſacrificium offerendum eſſe nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium noſipſi eſſe debemus. Sciendũ enim eſt, nos qui non ſolùm ſpiritus, ſed & corpora ſumus, corporalia etiã ſacrificia exhibere debere: vt ſicut ex vtriſq; conſiſtimus, ne quid ocioſum remaneat, ex vtriſq; Deo corporaliter & ſpiritualiter ſeruiamus.

Cur ſacrificium Eccleſiæ non conſtet ſolo ſacramento, vel corpore & ſanguine Chriſti ſine ſacramento, vel cur vtroque. CAP. III.

QVæritur autem, quare Sacrificium Eccleſiæ non conſtet ſolo ſacramento, vel tantũ corpore & ſanguine Chriſti ſine ſacramẽto, vel quare vtroq;. Ad quod reſpondetur, Quia ſi ſolo ſacramento, id eſt, pane & vino conſecrato & non mutato conſtaret, non eſſet cauſa, quare noui Teſtamenti ſacrificium veteri Teſtamento ſuperordinatum eſſet: cùm ſicut illud tantummodo fuit vmbra & figura futurorum, ſic iſtud tantummodo eſſet figura & commemoratio præteritorum. Cùm enim Chriſtus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem: quid niſi figuraret & repræſentaret præteritam Chriſti paſsionem? Conferamus ergo nouam vmbram veteribus, ſimplicem ſimplicibus: vt quæ ex his præpolleant tam corporaliter quàm ſpiritualiter videamus. Cùm enim præſens Sacramentum ſi tantummodo Sacramentum eſt, corporalis cibus ſit ſicut vetus fuit: nónne manna quod Deus de cœlo pluebat, & omne delectamentum ſaporis in ſe continebat, erat dignius & melius? Itemq; panes propoſitionum, ſimilagines, & vituli, & cætera quæ ille

populus

populus ſacrificabat, nónne meliora erant ad reficiendum, quàm modicum panis & vini vix ad deguſtandum? In nouo enim ſacramento ablata fide gratiæ interioris, exterior ſpecies in panis mica vel vini gutta nullius eſt æſtimationis, quia & in eo ideo nullius ęſtimationis, exteriora facta ſunt, vt ei quæ interius creditur gratiæ, omnis impéderetur ſumma deuotionis. Caſſa enim videretur tot hominum aſsiſtẽtium, & huic Sacramento miniſtrantiũ vel adorantiũ veneranda ſedulitas: niſi ipſius ſacramẽti lõgè maior crederetur quàm videretur veritas & vtilitas. Cùm ergo exterius quaſi nulla ſint, quibus tanta impẽduntur venerationis obſequia: aut inſenſati ſumus, aut ad intima mittimur magnæ ſalutis myſteria.

Sed & ſacramentali officio non prępollet nouum veteri. Cùm enim ſit memoria tantum & figura paſsionis Chriſti: tãto indignius eſt nouum renunciando præterita, quod memoriæ cuiuſlibet hominis eſt, quanto vetus melius & diuinius eſt, prænunciãdo eadem futura, quod ſolummodo prophetiæ diuinæ eſt. Si enim panem nõ verè carnem Chriſti, ſed vmbraticè tantum in memoriam crucifixæ eius carnis dicimus: nónne nouũ Sacramentum vmbra tantũ & figura, ſicut & vetus erit? Ideo autem deterius, quia illud vmbra futurorum fuit ſpiritualiter: iſtud præteritorum carnaliter. Sed & effectu non præpollet, quia nec peccata remittit, nec cœli ianuam aperit. Cùm enim ſolummodo vetus in cibis & potibus & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis non potuerit iuxta cõſcientiã perfectum facere ſeruientẽ, vt ait Apoſt. quia vmbrã quidem futurorum Hebr. 9. bonorum habebat, nõ ipſam imaginem rerum:

quomodo nouũ, cùm ſimiliter ſit vmbra, remiſſione peccatorum, profectu virtutum, iuxta conſcientiæ munditiam, perfectum ſeruientem reddere poterit? Quia ergo vetus in hac vita, perfectam meritorum conferre nõ potuit gratiam, ideo nondum reſerata paradiſi ianua non ſtatim poſt hanc vitam, perfectam mercedem contulit, ſed diſtulit coronam: ſanctis quidẽ animabus requiem tribuẽs à labore, ſed requiem cum gloria non retribuens pro labore. Cùm igitur nec ventris ſaturitate, nec ſacramẽtali prophetia, nec effectu ſpiritualis gratiæ, tẽporalis & æternæ, nouum veteri præpolleat: quomodo magis quàm illud proficere habeat? Niſi enim in hac vita cõferat plenitudinem gratiæ, poſt hanc vitam non conferet plenitudinem quietis & gloriæ. Si ergo nouum ſacramẽtum neq; corporaliter neq; ſpiritualiter melius eſſet antiquo: quare ei ſuperordinari deberet nulla eſſet ratio. Quid ergo dignius cõtuliſſet Chriſtus quàm Moyſes, filius Dei in domo propria, quàm ſeruus in aliena? Si autem vmbrã vmbra mutaret, nec cõpleret: quãdo vel à quo veritas veteribus ſacramentis figurata & promiſſa, complẽda eſſet, ſi ille qui veritas eſt, nõ veritatem, ſed vmbram pro vmbra daret? Dedit ergo Eccleſię ſuæ veritas veritatem, Chriſtus corpus ſuum & ſanguinẽ: vt quod vetus vmbra non poterat, ipſe redemptionem remiſſionemq; peccatorum, quam ſemel fecerat in cruce, faceret ſimiliter in altari quotidie: & quotidiano peccatorum contagio, ſalubrius quotidiano ſubueniret remedio: idemq; ipſe qui futurus erat electis vita & præmium, in præſenti eſſet medicina & viaticum. Niſi enim ipſe ſacerdos qui cœlos penetrauit,

netrauit,fieret nobis via ad ſeipſum, cœli ianua nobis clauſa foret in æternũ:quæ ideo poſt paſſionem Chriſti reſerata eſt credẽtibus, quia idem qui eſt ſacerdos ſacrificiũ factus vnitur ſibi commorientibus:vt dum vnum fiunt cum ipſo, vbi ipſe eſt*ipſi ſint in ipſo. Vnde etiam ad magnam *ibi ſpem iuſtis & peccatoribus, in paſsione Chriſti, eadem die latro, eadem die iuſtus, eadẽ die cum Chriſto in paradiſum eſt aſſumptus, præ omnibus iuſtis primus:vt non ſolùm conſtaret eadem die paradiſi ianuam hominibus reſeratam, ſed & conſtaret Dei gratiam non articulo temporis aſtringi, non peccatorum quãtitate vinci: cui ad æternæ vitæ præmia ſtatim conferenda ſuffecit vix vnius horæ pœnitẽtia poſt tot flagitia. Quis ergo dubitet Chriſti paſsionem, verè omnium peccatorum eſſe remedium: quæ tam ſero, tam cito, quaſi omnium peccatorum primitias iuſtificauit & ſaluauit ſceleratiſsimum? Tantam gratiæ prærogatiuam in Sacramento Chriſti beatus Ambroſius intuens:ait in ſerm. de Sacramentis *Cap. 8.* ad Neophytos, noua Sacramenta veteribus præferens: Summo ſtudio volumus comprobare, quòd & antiquiora ſunt ſacramenta Eccleſiæ, quàm ſynagogæ, & præſtantiora quàm manna. Et pauló poſt: Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ ſacramenta, nunc cognoſce potiora. Reuera mirabile fuit, quòd Deus mãna pluerit patribus; ſed tamen qui illum panem manducauerunt, omnes in deſerto mortui ſunt. Iſta autem eſca quam accipis, iſte panis viuus qui deſcendit de cœlo: vitę æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat, & corpus eſt Chriſti. Conſidera nunc *Cap. 9.* vtrum præſtantior ſit panis angelorum an caro

Chriſti,quæ vtiq; eſt corpus vitæ.Manna illud è cœlo,hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxiũ, hoc alienum ab omni corruptione. Illis aqua de petra fluxit,tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horã ſatiauit aqua,te ſanguis diluit in æternum.Iudęus bibit & ſitit:tu cùm biberis ſitire nõ poteris. Illud in vmbra,hoc in veritate. Si illud quod miraris vmbra eſt, quantum iſtud eſt,cuius & vmbrã miraris? Cognouiſti præſtantiora. Potior eſt enim lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus autoris q̃ mãna de cęlo. Et paulo poſt: Accipe quod dico, diuiniora eſſe ſacramenta chriſtianorum quàm Iudæorum. Iure ergo noua ſacramenta ſuperordinata ſunt veteribus: quæ ita eis pręminẽt veritate, dignitate, poteſtate & gratia, vt omnia compleant, quæ illis fuerant immobilia. Quàm verè enim Chriſtus ſeipſum daturus eſt ſanctis ad gloriam in futuro, tam verè ad omnem gratiam dat ſeipſum Eccleſiæ ſuæ modo: quamuis nõ ita manifeſtè, ſed ſub Sacramento. Si enim ſine Sacramenti velamine corpus ſuum & ſanguinẽ daret, quis ſumere non abhorreret?

NOTA.

Vt enim ſuperius ait Auguſtinus & Hieronymus, homines hominem comedere flagitiũ eſſet aut facinus: quia interdictũ eſt diuinis & humanis legibus. Vnde etiam diſcipuli audiẽtes quòd carnem ſuam daret ad manducandum & ſanguinem ad bibendum, putantes quod crudum, aut coctum aqua, vel veru aſſum, viſibiliter daturus eſſet ſeipſum: receſſerũt ab eo dicentes, Durus eſt hic ſermo. Igitur, vt ait Ambroſius, ne plures hòc dicerent, velut quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis: ideo in ſimilitudine

Ambroſ. lib. de Sacramẽ. 6. cap. 1.

dine quidem accipis ſacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemq́ꝫ conſequeris.

Et vt probemus Chriſtum ſalubrius ſumi cum Sacramento quàm ſine Sacramento, quid inde proueniat, modis omnibus attentemus. Aut enī eum viuum ſumeremus aut mortuum. Sed ſumi mortuum eſt impoſsibile cùm ſit immortalis: Chriſtus enim reſurgēs ex mortuis, iam nō moritur. Rom. 6. De cętero, quā vitā ali eo ſperaremus quem mortuum ſumeremus? Nō igitur per partes conciſum, vel elixatum, vel aſſatum, vt illi putabāt, poſſumus eum ſumere. Si autē viuum: aut in eo ſtatu quo fuit ante paſsionem, aut in eo quo fuit poſt reſurrectionē. Sed ſi in eo ſtatu quo fuit ante paſsionem: quis deglutire poſſet hominem triginta annorū viuum & integrum? Quod ſi etiam fieri poſſet per eandē potentiam, qua ipſum corpus integrū per integra matris virginalia traiecit: non ergo fides haberet meritū, cui tāta euidentiæ ſuæ ratio præberet experimentum. Si autem in eo ſtatu quo poſt reſurrectionem eſt: glorificatū ergo corpus ſuū quale in cœlo eſt oſtendēs, intolerabilem claritatem ſuā oculis intuentium offerret, & nō ſuſtineret humana fragilitas. Vnde Auguſt. in lib. ad Oroſiū: Clarificata carne vtiq; Chriſtus reſurrexit: ſed noluit in ea clarificatione diſcipulis apparere, quia nō poſſent oculis talem claritatem perſpicere. Si antequā moreretur & reſurgeret, quando transfiguratus eſt in monte, diſcipuli eum videre non potuerunt: Matth. 17 quanto magis clarificata carne Domini eum videre non potuerunt? Si autem ſua potentia claritati viſum noſtrum contēperaret, non ſuo loco aut tempore in contemplationem ſuæ gloriæ

remunerationem ſuam nobis prçordinans, meritum auferret: quia amplius laborare non liberet, ſicut & Petrus in transfiguratione dixit: Bonum eſt nobis hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. Quod (vt ait Leo) non erat improbum, ſed inordinatum. Vnde & ipſe Chriſtus filios Zebedæi petẽtes ſibi ſedẽ à dextris eius, vel à ſiniſtris: prius miſit ad laborem quam ad requiem dicẽs, Calicem meum bibetis: quia vidit eis magis expedire, vt per meritorũ ordinem dignius & fructuoſius ad præmia peruenirent. Quia igitur nec per ſe ſacramentum, nec per ſe expediebat in ſacrificio ſuo dare corpus ſuũ: ſacramẽtum vnum omnibus legalibus ſacramẽtis dignius ſuperordinauit: quo & nobis prædictas incommoditates horroris vel ſplẽdoris corpus ſuum abſcondendo auferret, & veritate ſui corporis vmbras & figuras ſacrificiorum veterum complendo vt ſuperfluas repelleret, & eis ipſa ſui ſacramenti figura quia plus quàm figura eſt, præcelleret. Licet enim Auguſtinus dicat quia Sacramenta in ſignis diuerſa ſunt, in re quæ ſignificatur paria: hoc tamen ſingulare ſacramentũ, dũ figura & corpus Chriſti eſt, ſicut Ioãnes, quia quod prędixit oſtendit, propheta & plus quàm propheta fuit: ita etiã hoc Sacramentum figura eſt & plus quàm figura, ſignificando quidem par conſignificantibus, ſed ſignificans & ſignificatum exiſtendo, præcellens tantum ſignificantibus. Nec ſolùm pius Dominus vmbras & figuras veteres vt ſuperfluas, ſuperueniente nouitate & veritate ſui ſacrificij diſpulit: ſed & multiplicitatẽ Sacrificiorũ veterum ſingularitate ſui Sacrificij abbreuiãs, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorũ nobis gra-

Ibidem. *Matt. 20.* *Matth. 11.*

bis gratiam multiplicauit: vno vnico ſuo Sacrificio redēptionem remiſsionemq́ peccatorum faciens, profectuq́ fidei, cæterarumq́ virtutum, ad vitam æternam perducens. Sciendum enim quòd ideò Deus tam multa ſacrificia dedit in lege, vt nullum eorū ſufficiens eſſe oſtenderet, quia cætera eſſent ſuperflua, ſi vnū ſufficere poſſet, vt vnum ſuum ſufficiens magis deſideraretur: & interim in eis, etſi modicum ſentirent ſuffragium in eorum tamē multitudine maiori occuparentur exercitio, quo Deū diſcerēt colere, & ab idolorum cultura recedere, & certiori tot figurarum inſtruerētur teſtimonio, quo futuram veritatem non dubitarent ſperare. Egregium igitur & ſuper omnia excellens Sacramentum nobis prouidit Deus in ſacrificio ſuo, quo corporis & ſanguinis ſui veritatē panis & vini qualitatibus tectam abſcōdit digna cauſa: ne ſcilicet infidelibus pateat, & eorum blaſphemijs vileſcat, néve nos iudicent inhumanos & crudeles, vtpote humani corporis comeſtores & ſanguinis bibitores. Fidelibus autem quibus parauit ad ſalutem, in panis & vini ſpecie & ſapore ſumēdi fecit aptitudinem: ne, vt ſuperius dictū eſt, ſi carnis & ſanguinis humani colorē videret, ſaporēq́ ſentiret, humana pietas abhorreret: ſplēdore autē eius ſi intolerabili præſtringeretur, ſtuporem mentis incurret: ſi glorioſo demulceretur, bonorum operum torpore hebeſceret. Sicut enim carnalē nobis occupationē abſtulit, extirpata multitudine ſacrificiorū veterū, vt mētem ſpiritualibus expediret: ita inuſitatis quibuſlibet ſacrificij ſui circunſtantijs impedire noluit, quo ſpiritualius & liberius nos ſibi in ſuo Sacramento vniret.

Ne ergo

Ne ergo inſolita viſione mens turbaretur, conſuetam ſuo ſacramento reliquit ſpeciem: vt ad interiora contemplanda puriorem fidei dirigeremus aciem. Per acceptionē enim huius Sacramenti Chriſto perfectè vniri & incorporari debemus, & in hac vita conformitate innocentiæ quantum poſſumus, & poſt hanc vitam ſimili beatitudine quantum digni fuerimus: nec decet ad exteriora diſtendi, nec ad multiplicia diſsipari, quos ab omnibus, vt vnum cum Chriſto ſint, oportet recolligi. Quod tamē Eccleſię ſuæ Deus voluit eſſe tam fructuoſum, non omnimodo voluit eſſe ocioſum: quia dum in myſterio, quod non eſt apparet, quod eſt occultatur, fidei lucta proponitur vt meritum augeatur: dum cōtra hoc quod videtur, credens quod non videtur, de credita intus veritate, de ſuperata exterius falſitate duplicē aſſequitur gratiam. Cætera enim Chriſti miracula cùm ſint infidelibus in ſignum, vt conuertantur: hoc ſolū fidelibus datur ad meritum, vt illo erudiantur. In illis enim quæ Deus in extrinſeca materia fecit, roboratur fides: in hoc autem ſolo quod ex ſeipſo facit, fides exercitatur: vt victa & inuicta felicius coronetur.

Victa inquam ne comprehendat, ſed inuicta ne diffidat: dum exteriores quidem ſenſus, obiecta panis & vini ſpecie, colore, odore, & ſapore, ipſum quod fuerat mentiendo, panem & vinum quod non eſt nituntur aſtruere: interior autem intellectus, ipſum quod eſt corpus ſcilicet Chriſti contemplans, nec comprehendere ſufficiens, non tamen deſiſtit credere. Hanc credendi difficultatem ſancti attendentes & cauentes, de hac ſacramentali confectione aſtruenda diu multūq; labora-

laborauerunt:quia non ſolũ inuiſibile,ſed etiam inuſitatum eſſe viderunt, & admirabile,vt inuiſibilis ſacerdos,viſibiles creaturas in ſubſtantiam ſuæ carnis inuiſibiliteꝛ conuertat, & quod terrenum eſt,cœleſte faciat, vt qui pro nobis tanta in ſe operatur, nobis de nobis maiora promittat. Qui enim aquam pro nobis figuratè oblatã ſicut & vinum pro ſe oblatum, in veritatem & vnitatem ſui ſanguinis mutat in ſuo & noſtro ſacramento:quanto magis nos ſecum faciet vnum in æternitatis ſuæ præmio? Sed & in tanti myſterij fide,intellectus intrinſeci & exteriorum ſenſuum luctam ſubinnuens ait Auguſt. in ſermone de verbis Domini: Quod videtis in altari panis & calix eſt,quod etiam oculi veſtri renunciãt:quod autem fides poſtulat inſtruenda,panis eſt corpus, calix eſt ſanguis. Sed poteſt animo cuiuſpiã cogitatio talis ſuboriri, Dominus Ieſus Chriſtus nouimus vnde carnem acceperit,de virgine Maria ſcilicet, nutritus eſt, creuit, ſepultus eſt, reſurrexit,cœlũ aſcẽdit, illuc leuauit corpus ſuum, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Ibi eſt modo ſedens ad dexteram patris: Quomodo ergo panis corpus eius, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis eius? Iſta ideo fratres dicũtur ſacramẽta, quia in eis aliud videtur,aliud intelligitur,quod videtur,ſpeciẽ habet corporalẽ: quod intelligitur,fructũ habet ſpiritualẽ. In quo videtur innui, quaſi quæratur cùm Chriſtus in humana forma rationabiliter ſe geſſerit, vel natura humana,vel potentia diuina,& in cœlo vſq; ad diem iudicij corporaliter manſurus ſit: quis corpus Chriſti huc deduxerit, vel panẽ noſtrum illuc leuauerit, vt tam ſubito in corpus Chriſti Auguſtin.

mutari

mutari poſsit? Quod quia ineffabile eſt, quomodo corpus Chriſti hic fiat, & ibi maneat, ad intelligentiā ſpiritualem & fidem talia cogitantes reuocat: quia etſi ſciri non poteſt, credi poteſt: quia quod videtur, nō materiale corpus panis eſt, ſed ſpecies corporalis, quod autē intelligitur Chriſtus eſt, qui omnia quæcunq; vult in cœlo & in terra poteſt. Sicq; dum exteriorum ſenſuum teſtimonio non acquieſcit, nec interiore inquiſitione cōprehendens, de veritate tamē non titubat: fit per Dei gratiam, vt in tali ſuo agone fides noſtra exerceatur, exercendo augeatur, augēdo perficiatur, perfecta coronetur. Vnde Auguſtinus in ſermone ſuper Ioan. 68. Fides qua eorum, qui Deū viſuri ſunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur: quod nō videt, credit. Nam ſi vides, non eſt fides. Credenti colligitur meritū, videnti redditur prēmium. Eat ergo Dominus, eat ne videatur, lateat vt credatur: creditus deſideretur, vt deſideratus habeatur. Quia ergo in hac peregrinatione noſtra, expedit latere Chriſtū vt credatur, etc. bene igitur Chriſtus ſub ſacramento de-

NOTA. dit nobis ſeipſum, vt per hoc nobis & fidei meritum, & gratię ſuæ augeat beneficiū: dum in terrena quadā, & prorſus ſtolida panis & vini forma, maieſtatem ſapientiæ verbi Dei ſubſtantialiter comprehenſam, incomprehenſibilem credere & venerari non erubeſcimus: quæ quātitate & qualitate ſua ita eius excellentiæ videtur indigna, vt nullatenus etiā æſtimari debeat, niſi quia ipſe eſt Deus, qui omnia quæcunq; voluit fecit in cœlo & in terra, niſi quia etiam caro eius ipſa eſt cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: vt poteſtate tali ſit in vnitate perſonæ in cœlo &

in terra, quandocunque, quomodocunque ſibi placuerit. Hac fide ipſum ſacramentum quaſi diuinum quiddam adoramus, quaſi viuum quiddam & rationabile alloquimur & rogamus: Agnus Dei qui tollis peccata mũdi miſerere nobis: quia non quod videtur, ſed quod verè eſt, Chriſtum ibi eſſe credimus. *Sacramẽtũ quare adoremus*

Cur fides tãtopere exigatur in hoc Sacramento corporis Chriſti. *CAP. IIII.*

QVæritur autem quare fides tantopere exigatur in hoc ſacramento: quia videlicet falſa fide mundus periijt, quando Adam plus diabolo quàm Deo credere pręſumpſit, dũ in ligno ſcientiæ boni & mali vetito plus ſperauit diuinitatem aſſequi, quæ ab hoſte promittebatur, quàm incurrere mortem quam Deus minabatur. Sicut ergo diabolus non vmbram in ligno inobedientiæ, ſed ipſum verum & viſibilem fructum exhibens, promiſit id quod non videbatur, ſcilicet, eritis ſicut dij: ſic & Deus non vmbram, ſed ipſum qui in ligno pependit obedientiæ, in ſuo viſibili Sacramento exhibens, promittit vitam æternam quæ non videtur, vt dum in ea re plus ei modo creditur quàm hoſti, vt dignum eſt, ſanetur hac vera fide illa perfida fides, qua olim plus diabolo quàm ſibi iniuſtè creditum eſt. Sicut igitur non in ligno vetito, ſic nec in Chriſti Sacramento debet viſus aut guſtus, ſed fidei vigere iudicium: quia ſicut pomum viſu decorum & ſuaue ad comedendũ, cibus vitalis videbatur, & mortem intulit: ſic econtrario Sacramentũ corporis & ſanguinis Chriſti videtur cibus mortalitatis noſtræ, cùm verè vita ęterna ſit. Quapropter *Gen. 3.*

vtrique

vtrique rei media vera fides videtur neceſſaria: Adæ, vt crederet mortem eſſe in pomo, & ita vitaret: nobis, vt in Sacramento Chriſti vitam credamus, & ita eam aſſequamur. *Vtriq; enim ex ſe contrarium viſui effectum parit, illud dum videtur cibus voluptatis & vitæ, mortem inferens: iſtud dum videtur cibus mortalitatis, vitam ęternam exhibens. Sicut igitur à Petro poſt trinam negationem trina cõfeſsio repetita eſt: ſic ab homine vt ſaluari poſsit, pro perfida fide qua periјt, vera fides exigenda eſt: quia tantum Sacramentum nec ſine fide poteſt intelligi, nec nos etiam per illud ſine fide ſaluari.

*Vtrunq;

Cur magis conſecretur in pane & vino & aqua corpus & ſanguis Chriſti, quàm in cæteris corporum ſpeciebus. *CAP. V.*

QVæritur item quare in pane & vino conſecretur magis corpus Chriſti, quàm in cæteris corporum ſpeciebus: cum cibo mortalitatis non videatur aptè vita immortalis deſignari. Sed ſciendum quia Chriſtus in hoc Sacramento non ſe hoc modo ſignificari voluit, quo ſe habet cum patre per naturam, ſed quo ſe habet nobiſcum per gratiam: quia non ſcilicet quod ſit patris ſapientia, ſed quod ſit omnium hominum vita, vt ſic ſuam charitatem nobis magis commendaret, & noſtram erga ſe magis accenderet. Vita verò æterna, cùm in corporũ ſpeciebus nulla perfecta ſimilitudine exprimi potuerit: nulla tamen aptiori quàm illa, quæ aliquo modo vita eſt, quia humanæ vitæ alendæ & retinendæ congruit. Quia enim temporalis cibus & potus noſter vita æterna eſſe non pote-

rant

rant nec debebant, nomine eorũ & ſpecie Chriſtus ſe ſignificari voluit vitam æternam: vt non ſolùm cõſueta cibi ſimilitudine cõgrueret in ſumẽdo, ſed & eadẽ cibi ſimilitudine nobis proficeret in ſperando: dum ſcilicet ſicut cibus & potus ſunt noſtra vita temporalis, quàm diu Deo placuerit: ſic & multo amplius ipſe panis cœleſtis ſit vita æterna, quibus ipſe voluerit. Et quid mirum ſi creator creaturę conferre poſsit vitã æternam: cùm etiam creatura creaturæ retinere potuerit æternaliter eam? Sicut enim lignum vitæ in paradiſo poſitum eſt, quo ęternaliter homo in corpore viueret: ſic Chriſtus in Eccleſia lignum vitæ ſeipſum poſuit, vt in ſe credentibus vita æterna eſſet: quòd non ſolùm fuit ipſius Chriſti myſterium, ſed & fidei noſtræ magnum firmamentum. Quia ſi hoc creaturæ non viuenti fuit naturale, vt corpori vitam æternaliter retineret: quanto magis vero ligno vitæ viuentis, creatori Chriſto eſt omnipotentiale, vt corpori & animæ glorioſius conferat æternaliter vitam? Vnde etiã quia cibo & potu ita viuimus, vt alterutro carere nequeamus, vtrũq; in ſacramẽto ſuo eſſe voluit: ne ſi alterutrum deeſſet, quaſi imperfecto vitę ſigno, ipſe non plena, ſed imperfecta vita ſignari videretur. Dignum etiã fuit, vt eiſdem ſpeciebus quibus alitur & creatur caro & ſanguis in quolibet homine naturaliter, conſecretur etiam in Dominico homine ſpiritualiter: nõ ſolùm propter cõmodiorem aptitudinem ſacramentalis perceptionis, ſed & vt adiuuetur fides aliqua euidentia ſimilitudinis: quia ſi panis in carnem, & vinum in ſanguinem cuiuſlibet transformatur naturaliter: quanto magis ſi Deus voluerit, in carnem & ſan- *Geneſ. 3.*

guinem ſuum transfertur omnipotẽtialiter? Sed & alijs ſpeciebus non potuit aptius ſignificari in nobis vnitas ſuæ incorporationis: quàm eis quę in communibus cibis & potibus familiarius & verius ſolẽt incorporari nobis. Itẽ ipſius Eccleſiaſtici corporis vnitas ad inuicem aptius ſignatur: quia ſicut panis ex multis granis, & vinum ex multis acinis, ſic Eccleſia ex varijs perſonis colligitur. Item quia panis & vinũ propriè proprius cibus potus eſt, non beſtiarum, ſed hominũ: ideo Chriſtus vtriuſq; eſt vſus myſterio, vt ſingularis & propria hominũ crederetur refectio: cui etiam poſtmodũ per Apoſtolos aquam admiſceri voluit, qui cõmunis potus eſt beſtiarum & hominũ, vt ad vnitatem tanti myſterij pertinere ſignaret, nõ ſolũ iuſtorũ, ſed & peccatorũ, ſi pœnitere vellent, conſortiũ: vt quod ſuũ erat, ipſe per ſe in exordio ſacramenti prius exequeretur, & nos quod

*Quod noſtri erat myſterij poſtmodũ adderemus. *Idem autem cibus mortalitatis videri voluit exterius in ſacramento, cùm intrinſecus verè vita æterna ſit, noſtro cõtemperauit myſterio: vt quia eodem ſuo ſacramento interius renouamur ad vitam, nec tamẽ exterius immutamur ad immortalitatis gloriam: ita in ſuo ſacramento nihil exteriùs immutaretur, ſicut & in nobis nihil exterius innouaretur: cùm tamen interius idẽ hoc in nobis inueniremus, quod de ipſo crederemus, quia vitã de vita reciperemus. Quia igitur nos necdũ apparemus quod ſumus, ideo Chriſtus noluit apparere quod eſt, vt ſit deſiderabilior: qui tunc quidem apparebit quod eſt, quando nos apparebimus quod ſumus, vt ſit glorioſior. Vnde Diuus

1. Ioan. 3. Ioannes in epiſtola ſua: Filij Dei ſumus: & nondum

dũ apparet quid erimus. Et Paulus, Cùm autem apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & nos cum ipſo apparebimus in gloria. Sicut ergo in Emaus peregrinis à fide peregrinus apparuit in ſpecie: ſic nobis peregrinis in mũdi exilio peregrina & extranea ſibi ſpecie apparet in ſacramento: vt quia quod de nobis exterius apparet mortale eſt, mortalitatis cibus ipſe exterius videatur: cùm tamen per ipſum qui immortalitatis eſt alimonia, intus verè & inuiſibiliter mors æterna ſanetur. *Coloſ. 3.* *Luc. 24.*

Cur ſumpto corpore Chriſti non ſtatim etiam in carne viuamus æternaliter, cùm ipſum ſit vita æterna.

CAPVT VI.

QVæritur etiam quandoquidem tantum ſacramentum vita eſt, cùm Chriſtus dicat, Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã: quare nõ ſtatim etiam in corpore per vim tanti Sacramenti viuimus æternaliter, cùm ipſe non in futuro dixerit, habebit vitam æternam, ſed habet præſentialiter. Sed ſciendum quia ſicut Adæ dictum eſt, Quacunque die vetitum comederis, morte morieris, & tamen eadem die non in corpore, ſed in anima mortuus eſt: ſic Chriſtus dicit, Qui mãducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, non quòd in corpore ſtatim æternaliter viuat, ſed vt animam quæ prius in Adã mortua fuit quàm corpus, per vnitatẽ tãti ſacramenti reſuſcitatam aſtruat: vt ſcilicet recto ordine, ipſa quæ peccando à Deo (qui vita æterna eſt) diuiſa, prius fuit mortua, per communionem tãti ſacramenti, iterum coniuncta Deo & vnita, credatur & ſit ſicut prius rediuiua. Quia enim peccando *Gen. 2.*

Adam à Deo diuiſus eſt, ideo Deus poſtmodum in morte corporali, diuiduum eum fecit à ſeipſo: vt in corporis & animæ diuiſione cognoſceret, quia ipſa eius anima, Deo qui vera eſt vita, nõ adhæſiſſet. Quia igitur mors exterior, mortis intrinſecæ tam erat figura quàm pœna, ideoq; hinc terrendo, hinc monẽdo erat quædam ipſius culpæ medicina. Si Deus prius abſtuliſſet pœnã medicinalẽ, quàm culpam mortiferam, incurabiles nos redderet: quia ablata pœna magis condelectaremur culpæ, & ita culpa vigente & obſtante, nullus diuinæ relinqueretur locus gratiæ. Cùm igitur culpa mors ſit animæ, interim punienda erat per tẽporalis mortis moleſtiã, & ſic ſananda per gratiam: vt interim in regno mortis amaritudo paſsionum & laborum, peccata excoquens purgaret, & ita gratia cœleſtis virtutũ germina, quo liberius eo vberius inſerens, nos vitæ æternæ reformaret. Propter peccatorum igitur excoctionem & purgationem non erat interim mors tẽporalis auferenda, ſed æterna: ne aut immundi & impuri requiẽ obtineremus illicitã, aut imbelles & immeriti, iuſtitię reciperemus mercedẽ nobis indebitã. Non enim eſſet diuinæ diſcretionis æquitati condignũ, vt vel ſociata ſibi peruerſorũ immunditia ſuam fuſcaret puritatem: vel immeritorum ignauium remunerãs, nullo magis merito homini quàm lapidi tantæ ſuæ gloriæ largiretur dignitatẽ. Ne itaq; peccati obſtinatione incurabiles fieremus, magna ſua gratia mortẽ non abſtulit temporalem, ne in æternũ moreremur: vitam æternam diſtulit, vt maiori etiam merito, maioriq; fructu reciperemus: quia pro certo niſi ita eſſet, ad fidem Chriſti omnes conuolarent,

tantum-

tantummodo propter præſentis vitæ æternitatem: & ita dum tantæ ſecuritatis torpore non exercerẽtur ad bonũ, futuræ gloriæ Chriſti maius amitterent lucrum. Vnde etiam Deus Adæ miſericorditer prohibuit lignũ vitę dicens: Videte ne forte ſumat de ligno vitæ. Quia ſi ille qui in anima perierat per lignũ inobediẽtiæ, viueret etiam in carne æternaliter per conceſſum lignum vitę, ex toto periſſet: dum carne æternaliter viuens, & in anima peccando æternaliter moriens, incurabilis eſſet vt dæmones, vel etiam poſt hãc vitam cum carne victuri æternaliter vt mali homines. Mali enim etiam in corpore vitam æternam habebunt: quam tamen magis mortem dixerim, quia Deo qui verè vita eſt, non placebũt: & ideo ſine diuina gratia miſera eis erit æternitas, quia æterna miſeria. Gen. 2.

Cur temporalibus meritis æterna retributio fiat. *CAP. VII.*

QVæritur iterum, quare æternitas fœlicitatis vel pœnæ retribuatur temporalibus meritis, reatus vel iuſtitiæ. Ad quod reſpondendum eſt, quia Deus non temporalem actionẽ, ſed perpetùam boni vel mali remunerat vel dãnat voluntatem: quæ ſi in ęternum viueret, in æternum in ſuo propoſito permaneret, ideoq́ iuſtè æternitatem retributionis æternitati voluntatis appendit. Vnde etiam cùm, vt ait Apoſtolus, paſsiones huius temporis non ſint condignæ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, quia ſi ab initio mundi vſq; ad finem, non modo quis pro Deo laboraret, ſed & pateretur, non tamen eſſet condignum, vt hoc temporali commercio Rom. 8.

æternitatem mercaretur:ne tamen malis diutius liceret peccare ad maiorem ſui pœnam,ne etiam bonos in mundi exilio tæderet viuere, ſi nimia foret eis dilatio ad patriam: breuiauit Deus humanæ vitę dies propter electos,ne prauorum afflictione, vel nimio ſuo labore deficerent. Sed & ne minutio temporalis laboris aliquod æterni præmij videretur diſpendium,ipſius præcurſoris ſui vitã,quo nemo maior ipſo teſte ſurrexit, tri-
Matth.11. gintaduorum & ſemis annorum eſſe voluit, ſui etiam ipſius,qui ſuper omnes eſt, eodem numero cõſummauit: vt quia Deus nõ curat ex quanto tempore, ſed ex quanto corde ſibi ſeruiatur, perfectionẽ meriti nõ tẽpori aſcriberet, ſed virtuti. Ecce enim in tantillo tempore plenã obedientiam Deo patri ſeruauit,quod nullus ab origine mundi facere potuit. Et quis diutius eo vixiſſet,ſi temporis diuturnitatem, & nõ virtutem meritorum perfectioni ſufficere vidiſſet? Sed & quomodo Ioanne nemo maior ſurrexiſſet, cùm Abraham Iſaac & Iacob & cæteros quàm plures in obſequijs diuinis diutius laboraſſe cõſtet? Sed euidens eſt pro certo, quia etſi plures eo laborauerunt diutius,nemo feruentius & purius qui tempore iuuentutis ſuæ inuentus eſt in tentatione fidelis & fortis, quo caro ſpiritui ſemper magis eſt rebellis,adeò vt occidendus etiam Hero-
Mar.6. dem increpare non metueret in carcere,quia fratri ſuo vxorem ſuam præſumpſiſſet tollere.

Cur panis in carnem & vinum in ſanguinem per ſe conſecrentur. *CAP. VIII.*

QVæritur quoq; quare panis in carnẽ, vinum in ſanguinem per ſe conſecrentur, & illud per

per ſe caro,& illud per ſe ſanguis dicatur:cùm in carne totus Chriſtus, & in ſanguine totus Chriſtus ſumi credatur,nec tamen diuiſim duo Chriſti,ſed in vtroq; vnus ſolus Chriſtus. Ad quod reſpondetur, quia iſte mos inoleuit in Eccleſia ab ipſo Chriſto,qui corpus ſuũ & ſanguinem diuiſim conſecrauit & dedit:non ad diuiſionẽ ſubſtantię ſuæ,vt illi duos Chriſtos acciperent,cùm in vtroq; vnum Chriſtum acceperint:ſed ad diſcretionem figuræ:vt panis dum dẽtibus teritur, carnem Chriſti in paſsione attritam, & dum vinum in ora fidelium funditur, ſanguinem de latere Chriſti fuſum ſignaret. Sed nec ideo corpus & ſanguis per ſe dicitur, quaſi corpus exanime, & ſanguis effuſus & diuiſus à corpore credi debeat,cùm vtrunq; vnus ſit Chriſtus immortalis, indiuiſus:ſed in memoriã paſsionis eius ita dicitur,quia in ipſo ſacramento mortem Domini annunciare debemus. Vnde etiam aqua in Sacramento admiſcetur, non ſolùm vt capiti ſuo Chriſto, populum Eccleſiaſticum vniri ſignificet: ſed etiam vt aquam quæ de latere Chriſti cum ſanguine fluxit,repræſentet. Dicũtur autem duo diuerſa ſacramenta panis & vinum,quãtum ad diuerſas ſuas ſpecies: cùm tamen ſint vnum, quantum ad vnam eãdem ſuam ſignificationem. Vnde Auguſtinus ſacrificium Eccleſiæ dicit duobus confici,duobúſq; conſtare: vno ſcilicet ſacramento,quia panis & vinum idem ſignificant: & vna re Sacramenti,quia corpus & ſanguis vnus eſt Chriſtus. Alioquin non duobus, ſed quatuor conſtaret Eccleſiæ Sacrificium, eſſéntque ſicut duo Sacramenta panis & vinum, ſic duæ diſcretæ res ſacramenti, corpus & ſanguis, quod

eſt impoſsibile, cùm Chriſti corpus non ſit exangue & mortuum. Ideo etiam corpus & ſanguis diuiſim in ſacramento videtur: vt quia Chriſtus pro nobis mortuus eſt, nos qui corpore & anima perieramus, corpus per corpus, & animã per animam redimens, corpus & animam ſuam pro noſtra redemptione in morte diuiſa fuiſſe ſignetur: dum corpus eius in ſepulchro iacuit, anima verò ad liberandas ſanctorum animas ad inferna deſcendit. Cùm igitur in tali myſterio corpus per corpus, anima autem Chriſti ſignificãda eſſet per aliquam viſibilem ſpeciem: nihil inuentum eſt in creaturis, per quod vicinius & aptius repræſentaretur, quàm per ſanguinem, qui eſt ſedes animæ. In quo etiam vt ſignetur animas noſtras & corpora, animæ Chriſti & corpori vniri & cõformari debere, ſimul corpus & ſanguis ſumitur à fidelibus: vt ſumpto corpore & anima Chriſti, toto Chriſto totus homo, in anima & corpore viuificetur: dum ipſa caro Chriſti, vt dictum eſt, non exanguis & mortua, ſed viua & viuificatrix creditur. Vnde vt ait Auguſt. nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure cõmunicatur. Item Gelaſius Maiorico & Ioanni Epiſcopis: Comperimus quòd quidam ſumpta tantũ corporis ſacri portione à calice ſacri cruoris abſtineant: qui proculdubio aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius eiuſdemq́ue myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.

Cur corpus Chriſti magis conſecretur in pane candido, quàm nigro, vel cuiuſcunque coloris: cũ ſanguis conſecretur in cuiuſcunque coloris vino. *CAP. IX.*

QVæritur autem quare in candido pane conſecretur magis corpus Chriſti, quàm in nigro, vel cuiuſcunq; coloris: cùm ſanguis conſecretur in vino albo vel rubro, vel cuiuſcunq; coloris. Pane quidẽ cuiuſcunq; annonę ſiue coloris non prohibetur fieri corpus Chriſti, ſi neceſsitas fuerit: ſed decet reuera eum candidiſsimum eſſe & mundiſsimũ ſi facultas nõ defuerit, qui transferri debet in ſplendidiſsimum corpus immaculati agni. Sicut enim mucor & vetuſtas in tali ſacramento prohibentur, ne irrogent ſumentibus faſtidium: ſic in eo nihil debet eſſe, quod ſumendi minuat deſiderium. NOTA.

Cur magis conſecretur corpus Chriſti in pane azymo, quàm fermentato. *CAP. X.*

ITem quæritur, quare in azymo pane conſecretur caro Chriſti magis, quàm in fermentato, vel fecato: cum ſanguis conſecretur in vino ſeu defœcato & puro, ſeu cum fœce, vt muſto de racemis ſtatim expreſſo. Quare igitur fex vel fermentum in pane refutatur: cùm recipiatur in vino quo idem Sacramentum conficitur? Vt ergo ſupra dictum eſt, panis & vinum vnũ Sacramentum eſt, quia in vtroq; vnus Chriſtus eſt, Vtrum ergo ex azymo an ex fermentato pane corpus Chriſti confici debeat inter Latinos & Græcos magna cõcertatio eſt: in tantum vt illi iſtos Azimitas, iſti illos Fermẽtarios quaſi cuiuſlibet hæreſis notent vocabulo: cùm tamen, vt multis bonis catholicis videtur, non ſit contra fidem chriſtianam ſeu azymum ſeu fermentatum ſacrificetur: tum quia vtrumq; panis eſt, & ſicut vtrunq; vitam tranſitoriam, ſic corpus Chriſti dat æter-

nam, tum quia etiam quãuis Chriſtus de azymo pane corpus ſuum fecerit, (forſitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, ſed quia cœna in qua hoc factum eſt, panem alium non exhibebat) panem tamẽ fermentatum non prohibuit. Quamuis enim in veteri lege præceptum ſit azymum panem in paſcha comedi, vt per eum figuraretur Chriſtus ſyncerus & mundus fore, & nos etiam qui manducaturi eramus corpus eius, ſimiliter moneremur purgari ab omni fermento malitiæ & nequitiæ: figura tamen tali in pane illo nõ indigemus, de quo carnem Chriſti cõficimus: quia qui de figura veteri ad veritatem trãſiuimus, azymam & puram carnem Chriſti in quocunque pane conſecrato ſumimus. Aſtruũt etiam, quia ſicut ad inuocationem diuini nominis, quę in nullo Sacramento adnullari creditur, ſed ſola per Dei gratiam omnia in omnibus operatur, non obſunt vel proſunt ſacerdotum merita, quo magis vel minus fiant eccleſiaſtica ſacramẽta: ſic nec color, nec ſpecies aliqua panis & vini obeſt vel prodeſt, quo minus vel magis corpus Chriſti fiat, dum tantummodo ſit panis & vinum, quorum ſubſtantia, vt Chriſtus præcipit, in ſubſtantiam corporis Chriſti & ſanguinis tranſeat.

Dicũt tamẽ Græci Latinos iniuſtè azyma immolare: cùm azyma veteris teſtamẽti ſit, & Chriſtus omni vetuſtate ablata, vtpote præſente veritate ſaluti humanæ ſuperflua, non in azymo, ſed fermentato nouũ teſtamentum inſtituerit. Contendunt enim quia nouum teſtamentũ non perfectè inſtituiſſet: niſi omnino vetus tam in azymis, quã in cæteris ſuis ritibus, deſtituiſſet. Deteſtantur ergo Latinorum ſacrificia: quia in eis

ipſos

ipſos Iudaizare reputant,immolando azyma.

Dicunt econtra Latini Chriſtum in azymo pane nouum teſtamentum inſtituiſſe, quia cum xiiij.luna ad veſperum vetus teſtamentum compleuerit,& nouum inſtituerit, fermentatum in cunctis finibus Iſrael inueniri nō licuit: quapropter quia cœna ipſa in qua hoc factum eſt panem tantūmodo azymū exhibebat,azymo pane nouum teſtamētū inſtituit. Quòd ſi Chriſtus nō iudaizādo fecit, quis nos eum imitando iudaizare dixerit? Sed opponūt Græci Chriſtū fermētatū panē mirabiliter ſibi exhibuiſſe, ſicut de quinqꝫ panibus legitur quinqꝫ millia hominū pauiſſe.

Econtra Latini: Quia hoc miraculum eum feciſſe non legitur,licet potuerit, quòd tamen fecerit nulla autoritate firmatur: præſertim qui eotenus ita legē ſeruauerat, vt ex ea nec iota vnum ſoluere voluerit. Quia enim natus ex muliere, factus ſub lege, debitor legis extiterat: ſi eotenus legem ſoluiſſet, legem tranſgrediendo peccator fieret, cauſaq́ꝫ noſtræ ſalutis periret. Niſi enim omnino innocens & mūdus pro nobis immundis & iniuſtis occūberet,non alienæ,ſed ſuæ culpæ debitum moriendo ſolueret: & ſic Adę peccato non deleto,regnum mortis æternę non ceſſaret. Cū enim de obſeruantia azymorum lex dicat, Quicunqꝫ fermentatū comederit,peribit anima illa de Iſrael: iuſtā occiſionis ſuæ cauſam Iudęi inueniſſent, ſi eū vt legis trāſgreſſorē punirēt. Qui enim aduerſus eū tam ſtudioſe tot falſos teſtes ſubornauerūt,proditore ipſo qui cœnæ interfuit deferēte,tam iuſtā cauſam nō reticuiſſent.

Opponunt Græci: quia & ſi ante paſsionem legis debitor fuit, poſt reſurrectionem legi nihil debuit,

Rom. 6. debuit,quia vt ait Apoſtolus, Chriſtus reſurgẽs ex mortuis,iam nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur,quod enim viuit,viuit Deo. Quoniam igitur poſt reſurrectionem nõ legi, ſed Deo viuit: ideo ipſe nil iam legi debens, baptiſmum nouæ gratiæ,quod ante non fecerat,in remiſsio- onem peccatorum,non Iudæis tãtum,ſed & omnibus gentibus prædicari & præſtari inſtituit. Vnde etiam aſtruunt, quia etiam ſi Chriſtus panem azymum conſecrauerit, nõ tamen hoc imitandum ſit in ipſo:ſicut nec circuncifionem cum baptiſmate, nec celebrationem veteris paſchæ cũ nouo vſurpamus:quãuis ipſe vt mediator noui Teſtamenti ac veteris, illud complendo,iſtud inſtituendo,peragere ſit dignatus: quia ante paſſionem quidem, aliqua noui teſtamenti ac veteris pro ſua dignitate rite perfecit, ſed poſt reſurrectionem omni legalis vetuſtatis vmbratica ſuperfluitate remota, ſolius gratiæ veritatem omnibus inſtituit.

Dicunt econtra Latini, quia reuera hoc ſalubriter imitandum eſt in ipſo: quod Eccleſiæ ſuæ faciendum tradidit,exemplo,teſtimonio, præcepto. Cùm enim dixiſſet: Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro mũdi vita: azymum panem benedixit, fregit & dedit,dicẽs:Hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur. Et addidit: Hoc facite in meam cõmemorationem. Cùm ergo teſtatus ſit azymum panẽ corpus ſuũ factum,& ſine exceptione præceperit hoc in ſui memoriam faciendum eſſe:quis atteſtante Deo nõ credat azymum panem corpus Chriſti fieri? quis ad hoc idem faciendum non obediat præcipienti, ſub exemplo idem faciendi? Si mortiferum ſciſſet Chriſtus fidelibus

delibus ſuis fore de azymo corpus ſuum conficere: ſicut cætera peccata ne hoc faceremus interdixiſſet, vel ſaltem facere non præcepiſſet. Nunc autem cùm dixerit hoc facite, & azimum non exceperit: quis audet excipere quod ipſe non excepit? aut quis audet prohibere, quod ipſe in Sacramento ſuo non prohibuit? Sed ipſe faciens, nos hoc ipſum facere præcepit. Cùm dicit, hoc facite, conuenienter ſubauditur, quod ego: quis ęque competenter ſubaudire audeat, ſed non de hoc vnde ego? Item ſi mutandum eſt fermentato azymum, mutetur etiam quolibet alio liquore vinum. Si enim vinum recipitur, cur azymum refutetur? cùm ſicut ex azymo, ſic ex vino Chriſtus vetus paſcha finierit, & nouum inchoauerit, & vtrunq; nobis in Sacramẽto ſuo æquè celebrandum tradiderit: Iudæi autẽ æquæ vtantur in ſuis cęremonijs vino ſicut & azymo. Hoc vtiq; Chriſtus faciens, non fecit tantũmodo vt præceptum de azymis in paſcha ſeruaret: ſed etiã vt fermentarios, quos præuidebat, reprobãs, azymitas approbaret: aut certè ſi etiam fermẽtarij approbarẽtur, ipſe azymita, azymitas pręponeret. Si enim diuina Sacramenta per eas elementorum ſpecies quæ digniores ſunt, celebrare debemus: quẽ panem digniorem*exiſtimabimus, quàm eũ quem & vetus lex ad ſignificandam, & Euãgelium elegit ad exhibendam Dominici corporis veritatẽ? In lege azymus panis afflictionis dicitur: vt per hoc etiam nos, qui memoriam paſsionis Chriſti in Sacramento recolimus, animas noſtras affligere doceamur. In gratia enim (vt ait Apoſtolus) non in fermento veteri, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis epulari monemur, vt per azymum

*æſtima.

1. Cor. 5.

ſynce-

ſynceri & puri eſſe debere ſignemur. Quid igitur ad conficiendum Chriſti ſacramentum dignius: quàm illud, quod & veritate & figura, ſaluté omnimodis operatur? Nec tamen figuris vtentes Iudaizare putãdi ſumus: quia licet in hoc idem faciamus quod Iudæi, non tamen eadem cauſa facimus qua & ipſi, quia non facimus vt Iudaiſmũ ſeruemus. Et cùm ipſi ſuis figuris futura tantum portendãt, non Chriſtũ per azymi figuram qualécunq; futurũ ſignificamus: ſed potius quòd ſine fermẽto, id eſt, infectione peccati fuit ille cuius corpus immolatur, repræſentamus: & noſipſos
1. Cor. 5. ſecundũ Apoſtolum, vt epulemur nõ in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis admonemus. Cũ ergo nos Chriſtum non talem futurũ vt Iudæi, qui figurant futura & expectant, ſed fuiſſe purum, vt chriſtiani ſignificemus, & nos tales fieri qualis ipſe eſt, moneamus: in azymo fruſtra nos reprehendũt Græci, Niſi fortè velint, vt quia vetera tranſierunt, in quibus futurorum vmbræ neceſſariæ erant, nullis figuris vtãtur chriſtiani. Vbi eſt quod ait Apo-
Rom. 6. ſtolus, Conſepulti ſumus cũ Chriſto per baptiſmum in morté, ſi baptiſmus non eſt nobis figura mortis Chriſti & ſepulturæ? Sed forte nõ eiſdem nos vti volunt figuris, quibus illi vtuntur in ſuis cæremonijs. Sed ſi idem vetatur azymũ quia eo vtuntur Iudęi in ritibus ſuis: ita etiam eorum vetetur fermentatum, quia eo etiam vtuntur Iudæi
Leuit. 7. in ſacrificijs ſuis. Vnde in Leuitico: Offeret panes fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ of-
Leuit. 23. fertur pro pacificis. Item in eodem: In Pentecoſte offeretis panes primitiarum de duabus decimis ſimilæ fermentatæ.

Quia

Quia ergo nulla ratio cogit vt azymũ à Chriſti ſacrificio repellatur: dignũ eſt, vt quod Chriſtus inſtituit, omnis autem Eccleſia præter Græcam à primordio ſui ex traditione principum Eccleſiæ, Petri ſcilicet & Pauli, celebrauit, indeſinenter cõſeruet, donec Chriſtus ad iudicium veniat, ſicut ipſe inſtituit. Si enim quia Apoſtolus ait, vetera tranſierunt, ecce omnia facta ſunt noua, credãtur trãſiſſe omnia, & perijſſe veteris teſtamenti inſtituta: vbi eſt dilectio Dei & proximi, vbi ſunt præcepta decalogi, vbi eſt ordo Leuitarum & Sacerdotij, dedicatio altaris & tẽpli? Hæc omnia ab illis ad nos non deficiendo, ſed proficiẽdo tranſierunt. Encænia, Paſcha, Pentecoſten, quadrageſimam, quia in veteri lege inſtituta ſunt, celebrari non deſiſtimus: Pontifices, Sacerdotes, Leuitas, reliquóſq; eccleſiaſticos ordines ad exemplum veterum inſtituimus, & cætera quàm plura in hunc modum. 2. Cor. 5.

LIBER TERTIVS.

Quòd ſancti quibuſdam ſuis autoritatibus videntur aſtruere, hæreticorum Sacramenta eſſe irrita & noxia. *CAPVT. I.*

QVia de peccatoribus miniſtris, ſed tamen Eccleſiaſticis, quod vera & rata Sacramenta celebrent aſtruximus: nunc de extra Eccleſiam peccatoribus hæreticis ſcilicet vel ſchiſmaticis, quamuis non rata, ſi ſaltem

ſaltem vera ſint quæ celebrant, videamus: maximè quia ſancti aliquibus in locis ea Sacramenta eſſe negant, & potius ea ſacrilegia vocãt. Et quia de corpore & ſanguine Domini, quod præſentis eſt negotij, maior eſt dubitatio, de ipſo, ipſo auxiliante, ſed & de cæteris, pręſens fiat diſputatio. Poſitis ergo autoritatibus quibus ſancti hæreticorum Sacramenta deteſtantur tanquam irrita, & quantum ad ipſos noxia: ſubiungamus autoritates & rationes, quibus aſtruantur, quantũ ad Deum, vera & ſancta. Ait Auguſtinus, Extra catholicam Eccleſiam veri ſacrificij locus non eſt.

Pelagius. Pelagius Papa Viatori & Pancratio inter cætera: A ſchiſmaticorum Sacrificijs, potius autem ſacrilegijs abſtinere debetis. Item idem ad eoſdẽ: Nõ eſt corpus Chriſti quod ſchiſmaticus conficit. Item Auguſtinus in Enchiridio: Si quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nominetenus inuenitur Chriſtus apud quoſlibet hæreticos: re autem

Cyprian. ipſa non eſt apud eos. Item Cyprianus: Conſtat eos oleum vnde baptizati vngũtur ſanctificare, & Euchariſtiã apud illos fieri non poſſe: vbi ſpes nulla eũ, & fides falſa, vbi omnia per mẽdacium

Ambroſ. geruntur. Item Ambroſius in libro de initiandis rudibus: Non ſanat baptiſmus perfidorũ, nõ mũdat, ſed polluit: quia in harum diluuio aquarum

Hierony. ad Deũ non approximatur. Item Hieronymus in Aggæum prophetã: Omne quod fecerint hæretici, vel quod mihi obtulerint, vel vota vel cætera: contaminata erunt in conſpectu meo. Quãuis enim ſancta videantur ſpecie ſui, quę offeruntur: tamen quia tractata ſunt ab illo qui pollutus eſt

Grego. li. in anima, polluuntur omnia. Item b. Gregorius

3. ca. 31. in dialogo: Superueniente paſchalis feſtiuitatis

die ad

die,ad Ermigildum perfidus pater Arianũ Epiſcopum miſit:vt ex eius manu ſacrilegæ conſecrationis cõmunionem perciperet, atq; per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo *dilectus eius à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit. Item idem: Cur nõ perpenditur quia benedictio illi in maledictionem cõuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur? Itẽ, Sacerdotium illic ſubſiſtere nõ arbitror. Item Cyprianus: Ad hæc omnia accedit etiã illud malum, vt antiſtes diaboli audeat Euchariſtiam facere: cùm nec ſanctificari illic oblatio poſsit, vbi ſpiritus ſanctus non eſt. Et paulo poſt, Falſa altaria & illicita ſacerdotia, & ſacrilega ſacrificia, & omnia adulterata fingentes: inter ethnicos & publicanos computentur omnes, quos conſtat à charitate atq; vnitate Eccleſiæ catholicæ receſsiſſe. Ergo omnia quæ faciunt hæretici: carnalia ſunt, inania & falſa. Non ſtatim ſuſcipiẽda & aſſumẽda ſunt, quæ iactantur in Chriſti nomine: ſed quę gerũtur in Chriſti veritate. Quomodo enim perficere quæ agũt, & impetrare aliquid à Deo poſſunt: qui cõtra Deũ quod eis nõ licet moliuntur? Li.23 c 3
Item Greg. in Moralibus: Hæreticorũ ſacrificia Deo accepta eſſe nequeũt: niſi prò eis vniuerſalis Eccleſiæ manibus offerantur. Item idem: In vna Ibidem li.
nãq; domo agnus comeditur: quia in vna catho- 35 ca. 6.
lica Eccleſia vera hoſtia redẽptoris immolatur.

*deditus

His omnibus autoritatibus videntur ſancti aſtruere, extra Eccleſiã ab hæreticis vel ſchiſmaticis corpus Chriſti confici non poſſe: cùm nec Chriſtus nec ſpiritus ſanctus, per quẽ omnia ſanctificãtur, ſit apud eos, nec locus ſacrificij, nec ſacerdotiũ ſubſiſtat apud eos: & ideo offerant ſacri-

ficia ſacrilega,inania,& falſa. Ad hoc etiam accedit,quòd cætera ſacramenta forma ſunt tantum & figura ſanctorum effectuum, non ipſa veritas:poſſuntq; apud hæreticos vera quidem dici quantũ ad formam, & inania & falſa,quãtum ad effectus gratiam,quam apud eos non conferunt. Sed ſacramentum corporis Chriſti cum nullatenus ſit ſine corpore Chriſti,ſi verum eſt apud hæreticos,nullatenus eſt inane & falſum apud eos: quia vbicunq; eſt ſacramentum corporis Chriſti,ibi & Chriſtus, qui non eſt inanis & falſus,ſed ſemper verus.Si ergo ſacrificium eorum eſt ſacrilegum, cùm Chriſtus ſit ſacrificiũ :ergo Chriſtus eſt ſacrilegus. Si non eſt acceptum Deo : ergo filius in quo ſibi pater complacuit, patri nõ eſt acceptus.Si non eſt accipiẽdum & aſſumendum ab hominibus:ergo ille qui adorãdus eſt ab angelis, eſt ab hominibus reprobandus & reſpuendus.

Quod de Chriſto, qui agnus immaculatus eſt, ſentire eſt nephàrium:vt alieno ſcelere aliquatenus eũ credamus contaminandũ,qui omnia peccata mundi ſolus pertulit & abſtulit.Ne ergo aliquatenus de eo credatur hoc incõueniens,cõſentiunt Pelagio,quòd non ſit corpus Chriſti,quod ſchiſmaticus cõficit,& Cypriano,quod apud hęreticos Euchariſtia fieri nõ poſsit, volũtq; inuocationẽ diuini nominis,quã Gregorius ſacrilegã conſecrationẽ vocat, in hoc irritã duci,quia Cyprianus dicit nõ ſtatim ſuſcipi debere, quæ iactãtur in Chriſti nomine,ſed quæ geruntur in Chriſti veritate:vt dũ omnino nihil eſſe aſtruũt quod hęretici conficere videntur,ignominiam illam à Chriſto auferant, quam ſancti de ſacrificijs, vel cæteris hæreticorum Sacramentis atteſtantur.

Quòd

Quòd ſolius Dei ſit, omnia Sacramenta facere ſemper vera & ſancta quantum ad ipſum. CAP. II.

SEd ſi ita eſt credendum, quàm latè pateat inconueniẽs videamus. Primum inuocationem diuini nominis in Sacramentis ſuis annullari, credere nephas eſt. Ait enim Auguſtinus ad Parmenianum: Sacrificia inquit, impiorum execratio eſt Domino. Etenim iniquè offerunt illa. Et poſt pauca: Sacrificia ergo impiorũ eis ipſis oberunt qui offerunt impiè. Nam vnum idemq́ ſacrificium propter nomen Domini quod inuocatur, & ſemper ſanctum eſt, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendũ acceſſerit. Item idem in homilia ſuper Ioannem 80. Vnde iſta tanta virtus eſt aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Item ad Donatiſtas: Si Deus adeſt Sacramentis & verbis ſuis, per quoſlibet adminiſtrentur: & Sacramenta Dei vbique recta ſunt, & mali homines quibus nihil proſunt, vbique peruerſi ſunt, id eſt, intus & foris. Item: Ergo nõ foris, ſed nec intus quiſquam qui ex parte diaboli eſt, poteſt in ſe vel in quoquam maculare Sacramentũ quod Chriſti eſt. Quomodo enim poſſet maculare malus quod non poteſt conſecrare vel meliorare bonus: quod ſolus efficit Chriſtus & nullus alius? Si enim alius efficeret, iam ad Chriſtum non attineret. Sed quod bonum ſine ſummo bono eſſe poſſet? Quamuis ergo omnia Sacramenta Chriſti eſſe dicantur & Eccleſiæ: nõ tamen ita vt in eis Eccleſia Chriſto, quaſi par conferatur, ſed vt particeps Chriſti gratiæ aſtruatur: vt & ſolius Chriſti ſint, quantum ad poteſtatem qua fiunt:

& Eccleſiæ, quantum ad vtilitatem qua conferuntur: vt in eis & ille ſuam exhibeat gratiam, & illa ſuam ſuppleat indigentiã. Sciens enim Chriſtus vel hominũ peccata impedire, vel merita nõ ſufficere ad vitam, Sacramentorũ ſuorũ adhibuit gratiam: vt Eccleſia quod minus habet in meritis, diuinis credens ſuppleri ſacramẽtis, quãto in ſua imperfectione Deo eſſet humilior, tãto in ſuperabundantia beneficiorũ eius fieret perfectior. Quòd ergo ſuis Chriſti gratia reſeruauit priuilegijs, nihil debere voluit miniſtrorum meritis vel officijs: ſed quod ſuũ eſt, ita fecit ſibi liberè liberũ, vt nec eorum dignitate ſit melius, nec indignitate deterius: ne vel boni diuino operi ſuperaddidiſſe videantur, tanquàm Deo meliores, vel mali minuere, tanquàm contra Deum fortiores, vel tanquã ſint ipſe Deus, ſuum omnino deputare quod omnino diuinum eſt. Ne ergo ſacramẽta Eccleſiæ bonorum vel malorum hominum, ſed ſolius Dei eſſe aſtruãtur, apud omnes indifferenter quantum ad ſe, vera & ſancta eſſe creduntur: vt cùm apud omnes ab eodem eadem ſint ſemper, ſicut Deus incommutabilis ſeipſo nunquam peior vel melior eſt, ſic & ſua ſacramenta incommutabiliter apud omnes eadem, nunquam ſeipſis ſint peiora vel meliora.

Quòd Sacramenta Chriſti pro meritis miniſtrorum fieri credenda non ſunt, ne pereat vnitas Sacramentorum & Eccleſiæ. CAP. III.

SI enim pro meritis miniſtrantium apud hos vel illos melius vel peius fieri putarentur, iam non Chriſti gratiæ, ſed eorum meritis aſcriberentur; & cùm quidlibet nunc peius, nũc melius, non

non idem,ſed diuerſum ſit,iam non ſtaret vnitas baptiſmi vel corporis Chriſti, quia baptiſmus eius in his vel illis melior vel peior, eſſet diuerſus:& ſimiliter corpus Chriſti diuerſum. Si enim à malo mala,à bono bona,à meliori meliora fierēt Sacramēta:nónne pro varijs meritis hominū, varia eſſent baptiſmata, & Chriſti corpora? Et ſi multa corpora Chriſti:ergo non vnus,ſed multi Chriſti,nec vna Eccleſia,ſed multæ:quod eſt nefas. Et quia conſtat multos Chriſtos non eſſe,de vnitate baptiſmi & Eccleſiæ videamus:vt de maiori magis pateat, quod de minori Sacramento probabitur. Ait Auguſt. ſuper Ioan. homilia 6. Per hanc poteſtatē quam Chriſtus ſolus ſibi retinuit,& in neminem miniſtrorū trāsfudit, quamuis per miniſtros baptizare dignatus ſit,per hanc ſtat vnitas Eccleſię,quæ ſignificatur in columba de qua dictum eſt: Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ. Si enim trāsferretur poteſtas à Domino ad miniſtros: tot eſſent baptiſmata quot miniſtri,& non ſtaret vnitas baptiſmi. Quāuis ergo baptizent ſiue iuſti ſiue iniuſti: nō tribuitur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba,de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Petrus baptizet,hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Iudas baptizet,hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diuerſitate meritorū baptiſmus ſanctus eſt:quia diuerſa ſunt merita,diuerſa erūt & baptiſmata. Sed quomodo cū baptizat bonus & melior, nō ideo iſte bonum accipit & ille melius,ſed vnū eſt & ęquale quod acceperunt: ſic & cum baptizat malus, quod datum eſt,vnū eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale, propter Hic

Cant. 6.

Ioan. 1.

eſt qui baptizat. Sed ne putetur dictũ de his malis, qui vel ignorantur aut tolerantur in ipſa Ec-
Auguſtin. cleſia: ait Auguſtinus ad Creſconium grammati-
li.2.c.21. cum: Si quæris quomodo baptizent quos damnauit Eccleſia: reſpõdeo, ſic eos baptizare, quomodo baptizãt quos damnauit Deus, antequàm
Lib.3.c.7 de illis quicquam iudicaret Eccleſia. Item, Si inter bonos miniſtros, cũ ſit alius alio melior, non eſt melior baptiſmus qui per meliorẽ datur, nullo modo eſt malus qui etiam per malum datur, quia idem baptiſmus datur: & ideo per diſpares miniſtros Dei munus æquale, quia non illorum,
Cap.1. ſed eius eſt. Item idem in libro 6. de baptiſmo. Etiam corde tardiores intelligunt baptiſmum Chriſti nulla peruerſitate dantis vel accipientis poſſe violari. Item idem in 6. Illud & in homine iuſto, & in homine iniuſto ſemper ſanctum eſt: quod neq; alicuius æquitate augetur, neq; alicu-
Cap.11. ius iniquitate minuitur. Item idem in libro 3. de baptiſmo: Catholica Eccleſia propterea non de-
**al. quia* bet iterare baptiſmũ *qui apud hæreticos datus eſt: ne iudicare videatur ipſorũ eſſe quod Chriſti eſt: aut eos nõ habere, quod intus cũ acceperint, amittere vtiq; foras exeundo non poſſunt. Vnus igitur idemq; baptiſmus Chriſti eſt apud omnes, bonos ſcilicet & malos, damnatos & non damnatos, hæreticos & non hæreticos: ita vt per diſpares miniſtros munus Dei ſemper æquale ſit, quia nõ illorũ, ſed eius eſt: nec melius nec peius quantũ ad ſanctitatẽ, nec maius nec minus quantum ad veritatem: non à dante vel accipiẽte violatum, non recedenti ab Eccleſia amiſſum, nõ redeunti iterandũ, vt in quo nullius momenti omnia hominũ iudicãtur merita, ſola Dei valere credatur gra-

datur gratia. Si enim pro meritis ſuis ab Eccleſia recedendo poſſent amittere, permanẽdo obtinere: quod ipſi ſibi poſſent conferre vel auferre, ipſorum non Dei videtur eſſe. Item quod recedenti eſſet amiſſum, redeunti eſſet iterandum: fierentq́; duo baptiſmata, quibus bis renaſceretur ſpiritualiter, ſemel natus carnaliter. Item ſi quod fit apud hæreticos nõ eſt ſacramentũ: quod cũ illis refutatur, ipſorum non Chriſti eſſe iudicatur. Itẽ annullatur apud eos inuocatio diuini nominis, iterãda vt valeat à catholicis: ſicq́; gratia Dei iã quaſi per ſe impotẽs, quod valet hominũ meritis debet, iam vbi nõ vult libera non gratuita, ſed meritis hominũ obnoxia: dũ apud hæreticos nihil ſine meritis, apud catholicos autẽ operatur tantũ pro meritis, & ita gratia iam nõ eſt gratia. Vnum igitur idemq́; apud omnes in ſua veritate credendũ eſt eſſe baptiſma, vt catholica eadẽ maneat in ſua vnitate Eccleſia. Sicut enim vnus eſt pater noſter qui eſt in cœlis, ſic & ſponſa eius mater noſtra Eccleſia vna eſt quæ generat, ſic & vnũ baptiſma quo generat: quia licet diuerſæ ſint aquæ diuerſis locis & tẽporibus, nõ tamen confitetur niſi vnum baptiſma in remiſsionẽ peccatorũ: quia teſte Apoſt. vnus dominus, vna fides, vnũ baptiſma. Similiter & diuerſi baptiſtæ, ſemp vnũ baptiſma. Si enim quot baptiſtæ, tot patres regenerare crederentur, eſſet regeneratio generatione deterior. Generatio enĩ carnalis ab vno homine cœpit, ne cõtra ſe humana propago erigeretur, & à ſe diuideretur per ſuperbiã: ſi nõ ab vno, ſed ab iſto & ab illo meli9 & peius habuiſſet originẽ primã. Quã multo deterius regeneratio ſpũalis nõ ab vno Deo, ſed ab iſto & ab illo meli9 *Ephe.4.*

vel peius fieret: ſi tot patres quot baptiſtas haberet. Secunda enim generatio nihil amplius conferens quàm prima, nō cœleſtis, ſed terrena, ſicut & prima, diceretur, filijq́ Eccleſiæ terrenis patribus renati, quia filij Dei non eſſent, nec hæredes Dei, nec cohæredes Chriſti fierent: quia in regeneratione ſua tanti patris nobilitate & hęreditatē orbati eſſent. Eccleſia etiam diuiſa tot patribus, variorum ſchiſmatum confuſione periclitaretur: dum ego Apollo, ego autem Cephæ, ego
1. Cor. 1. autem Pauli ab omnibus adulterinis filijs, quaſi in diuiſionem Chriſti perſtreperetur. Et quę eſſet charitas vbi non eſſet vnitas? Cùm igitur radix omnium bonorum ſit dilectio, Eccleſia ſine dilectionis vnitate omnium bonorum priuaretur & merito & præmio.

Quòd Deus pretioſa Sacramenta in non pretioſis ſpeciebus poſuit: non vt eſſent vilia & abiecta, ſed gratuita. CAP. IIII.

NE ergo Eccleſia tot patres habere videatur, quibus vnitatem ſuàm diſsipet, & à nobilitáte cœleſti degeneret, omnia Sacramenta ſolius Dei creduntur eſſe: quę quàm gratuita, quàm vtilia, quamq́; magnifica fecerit, ſtudeamus perpendere, vt cùm viderimus de quātulis rebus quanta Eccleſiæ ſuæ cōferat, ſi ſolius Dei ſint ipſa, & per ipſa operari manifeſtiſsimum fiat. Omnes ſacramentales ſpecies natura vel quantitate ſua ita nullius æſtimationis ſunt in pretio, vt ad ſacramentalem dignitatem nullo ſuo aſſurgere videantur priuilegio: niſi quòd dum naturali ſimilitudine ſua effectus ſacramentalis prætendūt vmbram vel imaginem, ad ſimilem ſancti ſpiritus

gratiam

gratiam percipiendam magis accendunt & certificant fidem. Verbi gratia: In quatuor ſpeciebus Eccleſiæ Sacramenta maximè conſiſtunt, aqua ſcilicet oleo, pane & vino. Aqua licet omnibus ſit neceſſaria, nulla tamen ſua venalitate eſt precioſa. Oleũ verò, panis, & vinum, in Sacramento, ita paucitate ſua effugiunt precij quantitatem: vt nullam niſi in ſpirituali gratia ſibi vendicare videantur vtilitatem. Quod tamen non ideo fecit Deus, vt quia ſacramenta ſua ſpecietenus venalitati non ſunt idonea, magis vilia videãtur & abiecta, ſed magis gratuita: vt dum in eis nihil videtur valere, niſi quod ſuũ eſt, omnes de eis ſibi ſoli haberentur gratiæ: qui in ſuis beneficijs noſtram abſtulit expenſam ne grauaremur, ſuã contulit incomparabilem gratiam, vt hilarius iuuaremur. Si enĩ in quibuſlibet precioſioribus ſpeciebus Sacramenta ſua Deus inſtituiſſet, quæ natura & quantitate ſua ita eſſent precioſa, vt mundus totus non ſufficeret ad ea comparanda: non quidem Sacramẽtorum eſſet digna comparatio, ſed difficilis & oneroſa pauperibus ad ea fieret acceſsio. Ideoq́ vt gratia Dei omnimodo eſſet gratuita: in ſacramentalibus ſpeciebus nõ quæſiuit dignitatem, ſed aptitudinẽ. Quia enim aqua extinguit, mũdat, & candidat præ cæteris liquoribus, ideo etiam in baptiſmate, carnis incentiua extinguit, peccatorum tam originaliũ quàm actualium labem abluit, innocentiæ candoré reducit: & dum ſic cœleſtis patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat. Oleũ verò, quia athletis eſt congruum, incẽdio & lumini obnoxium: vt cõtra ſpirituales nequitias humana fragilitas fortius muniatur: oleo chriſmatis & ba-

ptiſmate & in confirmatione perungitur, vt ſic datus ſpiritus geminæ dilectionis, animam fide illuminet, dilectione inflammet, ſpe cœleſti muniat & roboret. Quia verò panis & vinum homini incorporatũ, vita eſt tẽporalis: ideo Chriſtus hoc ſacramẽto nobis tanquam caput membris incorporatus fit vita æterna fidelibus. His tribus ſacramentis baptiſmus rite perficitur: vt
NOTA. quia in trinitatis nomine celebratur, Trinitatis etiam fidem ſuo miniſterio atteſtans, per aquam Deo patri nos regeneret, per corporis & ſanguinis Chriſti communionẽ filio Dei ad vitam nos concorporet, per olei vnctionem ſpiritus ſancti virtute confirmet: vt qui in initio regenerationis tanta Dei gratia indigni præuenimur, non deſperemus ad vitæ palmam perduci, ſi cum eadem adniti voluerimus.

Quòd tanta ſunt Dei Sacramenta vt omnium hominum ſuperent merita. *CAP. V.*

CVius ergo eſt tantam conferre gratiam: niſi ſolius Dei, qui in Sacramẽtorum ſuorum excellentia ita omniũ ſuperat merita, vt ad eorum dignitatem vel poteſtatem aſpirare omnino iudicentur indigna? Quis enim de filijs diaboli poteſt regenerare filios Dei, niſi pater Deus? Quis peccatores iuſtificare poteſt, niſi qui pro peccatis noſtris mortuus eſt Chriſtus? Et cùm ſpirituale ſit quicquid in baptiſmo geritur, quis hoc poteſt peragere, niſi ſpiritus ſanctus? Fruſtra enim hoc in Trinitatis nomine fieret, ſi ad alium quẽlibet à Trinitatis poteſtate tranſiret. Nõ ergo præſumat homo ſibi deputare, quod ſolius Dei eſt facere.
1. Cor. 12. Ait enim Apoſtolus: Diuiſiones gratiarum ſunt:

vnus autē Dominus, qui operatur omnia in omnibus, diuidens ſingulis prout vult. Vnde etiam Chriſtus cùm diceret, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto: de miniſtris omnino tacuit, quia de tāta gratia nihil ad eos attinere vidit. Vnde b. Auguſt. ſuper Ioannē: Sed dicit mihi hæreticus: Non habes baptiſmū, quia malus tibi dedit. Si malus eſt inquā Chriſtus, & malus mihi dedit. De officiali nō diſputo. Fuerint qualeſlibet homines, ego à Chriſto accepi, ego à Chriſto baptizatus ſum: ego noui, quia docuit me columba quā vidit Ioannes: Sint iuſti miniſtri ſi volūt: ſin autē, ſecurū me facit magiſter meus, de quo dixit ſpiritus eius: Hic eſt qui baptizat. Si fuerit iuſtus miniſter, cōputo eum cū Paulo, qui gloriā ſuam non quærit dicēs: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Qui fuerit ſuperbus miniſter, cùm Zabulo computatur: ſed non contaminatur donum Chriſti. Spiritualis enim virtus ſacramenti ita eſt vt lux: & ab illuminādis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. Cùm ergo teſte Apoſtolo, miniſtri nō ſint aliquid, ſed Deus qui operatur omnia in omnibus: quid ipſi cùm nihil ſint in Dei Sacramentis operātur cùm ſolus Deus operetur omnia? Vnde item Auguſtinus ſuper Ioannem: Baptiſmus, talis eſt qualis eſt ille in cuius poteſtate datur: non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur.

Tract. 5. *1. Cor. 3.* *Ibidem.*

Quod laico vel pagano baptizare permittitur. Cap. VI.

VT ergo miniſtris auferretur meritorum iactantia, cōcedūt ſancti ſi neceſſe ſit laico, nec abne-

abnegant pagano baptizandi gratiam: quibus ſine officio, ſine merito non tantum quid permitteretur, ſi hominum merita vel officia ad baptizandum neceſſaria viderētur. Vnde Gelagius Papa ca. 7. Diaconi abſq; Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant: niſi prædictis fortè officijs longius conſtitutis, ſi neceſsitas extrema cōpellat: quod & laicis chriſtianis facere plerunque conceditur. Item Iſidorus: Si quis per negligentiam ordinetur antequam baptizetur, debent ab eo baptizari & ipſe vlterius non ordinetur. Romanus enim pontifex non hominē iudicat qui baptizat, ſed ſpiritū Dei ſubminiſtrare baptiſmi gratiam licet paganus ſit qui baptizat. Item Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum cap. 104. A quodā vt audio, neſcitis vtrum chriſtiano an pagano, multos in patria veſtra baptizator aſſeritis & quid inde ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine Trinitatis, vel tātum in Chriſti nomine, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt: vnum quippe idemq; eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius: conſtat non eſſe denuo baptizandos. Ne tamen exiſtimetur talis baptiſmus eſſe imperfectus, ait ecōtra Aug. de baptiſmo libro 4. Poteſt dici alius alio doctior, alius alio magis vel minus baptizatus dici non poteſt.

Gelaſius. *Iſidorus.* *Nicolaus Papa.*

Quòd ſanguinis effuſione, vel ſola fide baptiſmus compleatur. *CAP. VII.*

SEd ne ſibi etiam attribuant officiales, laicum vel paganum ſaltem vicē ſuam expleuiſſe attendant, gratiamq; Dei ita liberam, vt nullis hominum meritis vel officijs aſtricta, quando vult, quomodo vult, cuicunq; vult, ſeipſam infundat.

Cùm

Cùm enim conſtet ſanctos vel ſuo ſanguine vel ſola fide baptizari: quid hic officiales ſuis attribuent meritis, vbi nullus funguntur miniſterijs? Cùm ergo Deus ſine illis baptizet, patet quia hic ſolus eſt qui baptizat. Vnde Auguſtinus de baptiſmo lib.4. Baptiſmi vicem aliquando implere paſsionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo: beatus Cyprianus non leue documētum aſſumit, Quod etiam atque etiam conſiderans, inuenio non tantum paſsionem pro nomine Chriſti id quod ex baptiſmo deerat poſſe ſupplere: ſed etiam fidem conuerſionemq́ue cordis, ſi forte ad celebrandum myſteriū baptiſmi in anguſtijs temporū ſuccurri nō poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: neque quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credit. Quātum itaque valeat etiam ſine viſibili baptiſmi ſacramento, quod ait Apoſtolus, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem: in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inuiſibiliter: cùm myſterium baptiſmi non cōtemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis excludit. Et ſicut in illo latrone quod baptiſmi ſacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia nō ſuperbia vel contemptu, ſed neceſsitate defuerat: ſic & in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda eſt: quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigētia, nec corde credere ad iuſtitiam, nec ore confiteri poſſunt ad ſalutem. Baptiſmus quidem poteſt ineſſe, vbi cordis conuerſio defuerit: conuerſio autem cordis poteſt quidem ineſſe non percepto baptiſmo, ſed contem-

Auguſtin. cap.22.

Luc.23.

Rom.10.

Cap.24.

Cap.25.

contempto non poteſt. Neq; vllo modo dicenda eſt cõuerſio cordis ad Deum, cùm Dei ſacramentum contẽnitur. Item in libro ſententiarum Proſperi: Verus baptiſmus conſtat non tam ablutione corporis quàm fide cordis: quemadmodum
Act.15. doctrina Apoſtolica tradit dicens: Fide mun-
1.Pet.3. dans corda eorum. Et alibi: Saluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed cõſciẽtiæ bonæ interrogatio in Deũ. Ecce cùm Dominus
Mar.ult. dicat in Euangelio: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, & ſola fide ſine baptiſmo ſaluãtur homines, vt latro: & ſolo baptiſmate ſine fide, vt pueri: ſed tunc tantum cùm non contemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis alterutrum excludit. Vnde Iſidorus de officijs, lib.2.ca. 23. Paruuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere neſciunt: ſicut ægri, muti, vel ſurdi, quorũ vice alius profitetur, vt pro eis
Cap.23. reſpondeat dũ baptizantur. Item Auguſtinus de Libero arbitrio, lib.3. Illud perſcrutari homines ſolent, ſacramentum baptiſmi Chriſti quid paruulis proſit: cum eo accepto plerunq; moriũtur priuſquã ex eo quicquam cognoſcere potuerint. Qua in re ſatis piè recteq; creditur, prodeſſe paruulo eorum fidem, à quibus conſecrandus offertur. Et hoc Eccleſię cõmendat ſaluberrima autoritas, vt ex eo quiſq; ſentiat quid ſibi proſit fides ſua: quando in aliorum quoq; beneficiũ, qui propriam nondum habẽt, poteſt aliena commodari. O ineffabilis Dei gratia, quæ vbi alterutrum deeſt neceſsitatis articulo, & fidem præuenis ſacramenti myſterio, & ſacramenti vicem comples fidei merito: vt nullis legibus tenearis aſtricta, ne quantum in te eſt ſalutis æternę aliquatenus patiamur

tiamur diſpendia. Ne tamen ſit mirum quod ſine miniſtris Deus per ſe quod ſuũ eſt operetur: quid in vtroq; legis & gratiæ initio fecerit videamus. Ait Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros: & duces eos ad tabernaculum fœderis, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq́; eis. Non dixit, auferes & trades, ſed auferam & tradam. Quod ne fortè ducatui Moyſi imputaretur, duo ex his qui deſcripti fuerãt, ad tabernaculum non venerunt: & tamen Moyſe non ducẽte ſicut & cæteri ſpiritum acceperunt. Similiter & in noua gratia, cùm ſolebat tantum dari per impoſitionem manus: tamen adhuc loquente Petro cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes. Quis ergo diuinam gratiam ſuis imputet meritis vel officijs: cùm in legis latore, in Apoſtolorum principe, Deus ad eam prout vult diſtribuendam, neutrum horum aſſumpſerit?

Num. 11.

Act. 9.

Quòd ſicut in baptiſmate, ſic in conficiendo Chriſti corpore, nihil à bono magis, nihil à malo minus fiat.

CAPVT VIII.

QVia igitur aſtructũ eſt ad officialiũ merita baptiſmi gratiã nõ attinere, videamus etiã de Chriſti corpore & ſanguine cõficiẽdo: quãuis vbi cõſtat de minori ſatis etiã de maiori videatur ſacramẽto. Corpus enim Chriſti & ſanguis nõ ſolum par baptiſmo eſt, ſed & fundamentũ eius & completio: adeo vt ſicut Eua de latere Adæ dormiẽtis, ſic & Eccleſia producta credatur de latere Chriſti in morte quieſcẽtis: q̃a ſicut illa inde generata, ſic iſta inde regenerata. Vnde mirificè ſua ꝓfluxerũt ſacramẽta, aqua in regenerationẽ, ſanguis in redẽptionẽ. Vnde Ioã. in epiſt. ſua ait: Hic eſt qui

NOTA.

1. Ioan. 5.

eſt qui venit per aquam & ſanguinē Ieſus Chriſtus, non ſolùm in aqua, ſed in aqua & ſanguine. Et bene repetijt: quia nihil profuiſſet aqua ſine ſanguine, qui non ſolū abluit, ſed & redimit, ſed

Apocal. 7 & quia redimit, ideo abluit. Vnde in Apocalypſi. Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ne igitur etiam de hoc maiori ſacramento aliquid ſibi vſurpet miniſtrorum arrogantia: quid ſancti inde ſentiant attēdamus. Ait

**ſermone* Auguſtinus in *libro de corpore Domini: Intra catholicam Eccleſiam in myſterio corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia nō in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito ſacerdotis, nequaquā ad Chriſtū pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat: ita ipſe qui per ſpiritū ſanctū hanc creaturam ſuā efficit carnem, & transfundit in ſanguinem. Credendū eſt enim quòd in verbis Chriſti ſacramenta conficiantur. Cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius recreantur. Cùm ergo Aug. ea quæ prius creata ſunt, dicat iterū in ſacramento creari: ſi hoc homines poſſent facere, cōſtaret eos eſſe factores corporis Chriſti, & ita quaſi creatores eſſe creatoris ſui, quod eſt impoſsibile. Ait enī Euſebius Emiſenus: Inuiſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit. Item b. Ambro. Vbi acceſſerit cōſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit corpus. Item Aug.

in homi-

in homilijs. Ante verba quando offertur panis dicitur: vbi verba Chriſti deprompta ſunt, non iam panis, ſed corpus Chriſti appellatur. Si ergo inuiſibilis ſacerdos corpus ſuum verbo conficit: quomodo ſit vel in verbo, vel in merito alicuius viſibilis ſacerdotis? Cùm verò nihil ad viſibilem attineat ſacerdoté: quomodo id à bono melius, à malo peius conficiatur ſacerdote, à quo nullatenus? Quod cùm ita ſit: iam non ſecũdum diuerſa merita, diuerſa Chriſti corpora, ſed ſemper vnus Chriſtus eſt, qui quibuſcũq; miniſtris ſacrificantibus, ſolus eſt pro nobis offerés & oblatus. Vnde Auguſtinus in libro de Trinitate: Quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri: vt idem vnus ipſe verúſq; mediator, vnus eſſet qui offerebat, & quod* offerebat? Item idem ad Parmenianum: Sacrificia, inquit, impiorum execratio Domino: etenim iniquè offerũt illa. Iã ſupra reſpõſum eſt, quia nõ eſt iniquus Chriſtus, qui ſeipſum pro nobis obtulit, & noſter in cęlo mediator eſt: quo ſuam Eccleſiã gubernante, bonis mali non oberũt, qui vel ignorãtur, vel pro pace tolerãtur.

Li.4.c.14

**offerebatur?*

Lib.2.c.6

Quòd ſacramenta hæreticorum de Eccleſia ſunt, & in Eccleſia fiunt. CAP. IX.

SEd opponunt, quia extra Eccleſiam non eſt locus ſacrificij: nec eſt Chriſtus, nec ſpiritus ſanctus apud hæreticos. E contra Auguſt. ad Vincentium Donatiſtam: Ex catholica Eccleſia ſunt omnia ſacramenta Dominica, quæ ſic habetis & datis, quomodo habebantur & dabantur etiam priuſquam inde exiretis: nec tamẽ ideo non habetis, quia non eſtis ibi vnde dabatis. Item ad

Emeritum: Sacramenta quæ non mutaſtis, ſicut habetis approbātur à nobis: ne fortè cùm veſtrā prauitatem corrigere volumus, illis myſterijs quę in veſtra prauitate deprauata nō ſunt, ſacrilegam

Lib. 1. c. 8 faciamus iniuriam. Item Auguſtinus in libro de baptiſmo. Qui ſeipſos à ſocietate cæterorum ſeparantes, charitate violata, vnitatis vinculū rumpunt, ſi nihil faciunt eorum quæ in vnitate acceperūt, in omnibus ſeparati ſunt: & ideo quem ſibi ſociant, ſi ad Eccleſiam redierit, debet omnia quę non accepit, accipere. Si verò nōnulla eadem faciunt: non ſe in eis ſeparauerunt, & ex ea parte Eccleſiæ connectuntur. In ſacramenti ſanctitate, qua contra nos nō ſunt, pro nobis ſunt: in ſchiſmatis vulnere, quo cum Chriſto non colligunt, ſpargunt. Cùm igitur ex catholica Eccleſia ſint omnia ſacramēta dominica, nullo excepto, etiā apud hæreticos qui etiā ex ea parte Eccleſię connectuntur, quia ea ritè celebrant: quis dubitet Sacramētum ſacrificij diuini vbicunque fiat, intra Eccleſiām eſſe, cùm ſit de Eccleſia? Sed tamen ſciendum eſt, quia cum apud eos etiā ſacrificiū Chriſti ſit de Eccleſia quantum ad ſui veritatem, locus tamen ipſius nō eſt his qui ſunt extra Eccleſiam, quantum ad eorum vtilitatem: quia cùm filius hominis apud eos non inueniat vbi caput ſuum reclinet, nec ipſe Chriſtus, nec ſpiritus ſanctus apud eos eſt per gratiā, qui tamē apud omnes eſt, & nuſquam deeſt per maieſtatis ſuæ pręſentiam.

Quod Sacramētotenus ſacerdotium apud hæreticos maneat omnino integrum. *CAP. X.*

SEd iterum opponunt, quia ſacerdotium non ſubſiſtit apud eos, Et quid poteſt per eos conſecrari

ſecrari, qui neq; pro merito, neq; pro officio aliquid agunt? Vt enim, ait Ambroſius in libro de myſterijs initiãdis, Cùm ſcriptura teſtetur, quod ab Hieroboal preces ignis deſcendit de cœlo, & rurſus precante Helia ignis miſſus eſt, qui ſacrificium conſumpſit: nõ merita perſonarum conſideres, ſed officia ſacerdotum. Apud hæreticos autem nec merita ſunt, nec officia. Ait autem D. Auguſtinus in libro quæſtionum veteris teſtamenti: Per quod oſtenditur ſpiritum ſanctum gratiarum, non perſonam ſequi digni aut indigni, ſed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſsit benedicere niſi fuerit ordinatus, vt officium miniſterij exhibeat. Cùm igitur non merita ſint conſideranda, ſed ſaltem officia, quia nemo poteſt benedicere niſi ordinatus ſit, vt officium miniſterij exhibeat: quomodo benedicere poſſunt hæretici, vbi non ſubſiſtit miniſterij officium, quod recedendo ab Eccleſia in oculis Domini amiſerunt? Sed econtra ait Auguſtinus in Geneſi ad literam, Etſi aliqua culpa quis ab officio remoueatur: ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente. Item ad Parmenianũ: Quòd quidam dicũt baptiſmum quem accepit non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tamẽ dandi quod accepit amittit: multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. Primo, quia nulla oſtẽditur cauſa cur ille qui ipſum baptiſma amittere non poteſt, ius dandi poſsit amittere. Vtrumq; enim Sacramentũ eſt, & quadam conſecratione vtrũq; homini datur: illud cùm baptizatur, iſtud cũ ordinatur: ideo nõ licet à catholico vtrũq; iterari. Nã ſi quando ex ipſa parte veniẽtes

Cap.5.
Iud.6.
3.Reg.18
Nullus niſi ad hoc ordinatus cõſecrare poteſt.

cunq; ſunt: ipſa ſunt, quæ ipſe quidẽ ſicut etiam Eccleſiaſticus peccator non per meritum ſuum, cum neuter in corpore vnicæ columbæ inueniatur, ſed per vim ipſorum ſacramentorum ſicut ille & ille adminiſtrat: ſacerdotium omnino integrum apud hæreticos, quamuis ad iudiciũ manet: cùm vt ait Hieronymus, æquè ſit eis concedenda licentia ſacrificãdi ſicut & baptizãdi. Item cùm Auguſtinus aſtruat recedentem ab Eccleſia, ſicut baptiſmum, ſic nec ordinem dandi baptiſmi poſſe amittere, quia vtrunq; ſacramentũ quadam conſecratione homini datum, non eſt à catholico iterandum quod & vſu comprobans eccleſiaſtico, dicit quòd ex ipſa parte veniẽtes, non ſunt rurſus ordinati, vt eadẽ officia gererent quæ gerebant, ſed ſicut baptiſmus ita ordinatio eis manſit integra: quis dubitet hæreticis integram ſacrificij eſſe adminiſtrationẽ, cũ & ſi amiſſa creditur iteranda ſit, quod eſt nepharium: & ipſum ſacerdotium nõ alio modo ſit integrum, niſi tam in baptizando quàm in ſacrificando non imminutum? Vnde Leo ad Mauros Epiſcopos: Maximum quoq; ex laico licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta iam nõ eſt, ab epiſcopali, quam quoquomodo adeptus eſt, nõ repellimus dignitate. Item ad eoſdem: Donatũ autem Seiacenſem ex Nouatiano vt comperimus cum ſua plebe conuerſum, ita Dominico gregi volumus præſidere, vt Nouati dogmatis damnet errorem. Ecce his hęreticis Leone annuente, ordinatio redeuntibus non eſt iterata, ſed manſit integra: quę cùm epiſcopalis fuerit, quis eam neget integram in ſacrificãdo, cùm integra conceſſa ſit etiam in ſacerdotes conſecrando?

Hierony. *Auguſtin.* Leo Papa

Quòd etiam ſalutare ſit ſacrificium hæreticorum ſi mundè communicetur à catholicis. CAP. XI.

QVod ipſe Auguſtinus manifeſtè approbans, apud hæreticos teſtatur ſacrificium non ſolùm verum eſſe & ſanctum, ſed & ſalutare: ita in
Li.2.c.30 dialogo ſuo ſcribens ad Petilianum: Petilianus dixit: Si quiſquam carmina Sacerdotis memoriter teneat: nūquid inde ſacerdos eſt quòd ore ſacrilego carmen publicat ſacerdotis? Auguſtinus: Ita iſtud dicis quaſi quæramus quis ſit verus ſacerdos, & non quid ſit verum baptiſma. Vt enim quis ſit verus ſacerdos, oportet vt nō ſolo ſacramento, ſed iuſtitia quoq; induatur, ſicut ſcriptum
Pſal.131. eſt: Sacerdotes tui induantur iuſtitia. Qui autem ſolo ſacramento ſacerdos eſt: quamuis ipſe non ſit verax, quod dat tamē verū eſt, ſi non det ſuum ſed Dei. Si Apoſtolus neſcio cuius alienigenę teſtimonio, quia verum comperit, etiam ipſe atteſtatus eſt: cur nos apud quemlibet inuenerimus quod Chriſti eſt, & verū eſt, etiam ſi apud quem inuenitur peruerſus & fallax eſt, nō diſcernimus vitium quod homo habet & veritatem quā non ſuam, ſed Dei habet, & dicimus, Sacramentū hoc verum eſt, ſicut ille ait, teſtimonium hoc verum eſt? Item: Vos autem neceſſe eſt vt ſemper erretis, quàm diu propter hominū vitia Dei Sacramenta violaris: aut nos propter Dei ſacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiam veſtri ſchiſmatis
Cap.48. ſacrilegium aſſumere putatis. Item: Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat ſanctitatem: non vitæ ſuæ, ſed Sacramenti Dei, quod & in malis hominibus ſanctum eſt. Item, Nos dici-
Cap.5. mus tale cuiq; fieri ſacrificium, qualis accedit vt

offerat

offerat, & qualis accedit vt ſumat: & eos de ſacrificijs talium mãducare, qui ad illa tales accedũt, quales & illi ſunt. Itaque ſi offerat Deo malus, & accipiat inde bonus: tale cuiq; eſt, qualis quiſque eſt, quia & illud ſcriptum: Omnia munda mundis. Per hanc ſententiã veridicam & catholicam, etiam vos Optati ſacrificio non eſtis polluti, ſi facta eius diſplicebant vobis. Nam vtiq; panis illius, panis luctus erat, ſub cuius iniquitatibus Africa tot lugebat: ſed panem luctus omnibus vobis communem, omnium veſtrum malum ſchimatis facit. Item ad Parmenianum: In omnibus quæſtionibus intelligendum admonemus, quia ſ. omnia ſacramenta cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Dei. Vnde dictum eſt: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Cùm ergo ſancti omnia ſacramenta quia Chriſti ſunt, tam apud hæreticos quàm catholicos aſtruant vera eſſe & ſancta, & eadem etiam mundè vtentibus ſalutaria, quia omnia munda mundis: teſtentur etiam nihilominus eadem polluta, quia tractata ſunt ab illo qui pollutus eſt in anima: ſollicitè attendendum eſt, qua diſcretione ſint à catholicis ſumenda, ne hæreſis nefariam autoritatem in Eccleſia obtineat, ſi in Sacramentis ſuis hæreticos & catholicos, nulla eligendi vel ſpernendi ratio diſcernat. Ait Apoſtolus: Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correctionem deuita, ſciens quod huiuſmodi delinquat, proprio iudicio condemnatus. Quod cum de omni hæretico ſemper ſpiritualiter, aliquando etiam corporaliter ſit obſeruandum: in prælatis tamẽ, & eis qui pacem Eccleſiæ

Titum 1.

Lib. 2. Cap. 10.

Matth. 23

Tit. 3.

perfectorum ſit ſine macula in cõuerſatione tolerare malos: difficile tamen eſt exẽplo illorum, ſi incircunſpectũ ſit, non corrumpi cæteros. Eleazarus enim in ſuilla carne comedenda ſimulationem etiam occidendus reſpuit, quia etſi nõ ſibi peccato, aliјs tamen ſuſpitionis exemplo nocere timuit. Vnde Ambro. ſalubriter conſulens ait: Si qua eſt Eccleſia, quę Apoſtolicæ veritatis fundamenta nõ poſsideat: ne quam tibi labem poſsit ingerere, deſerenda eſt. In cauenda itaqз prauorum malitia, ſuæ fraternæqз ſalutis attẽdenda eſt neceſsitas: vt & prauos tolerent boni, ne Eccleſiæ diſsipent vnitatem, & prauos etiam corporaliter fugiãt, ne vel cõſenſu vel opinione, ſuam vel fraternam negligant ſalutem. *Eleazar⁹.* *Ambroſ.*

Quomodo ſoluatur illud, quod ſancti de improbãdis hæreticorum ſacrificijs dicunt. *CAP. XII.*

ASTructum eſt hæreticorum ſacramenta, quia Chriſti ſunt, catholicis ſi eis diſcretè vtantur eſſe vtilia: quæ tamen pro certo ſciendum eſt, ipſis hæreticis, vel eorum cõplicibus noxia eſſe & lætifera. Quia vt ait Auguſtinus ad Petrum Subdiaconum, tantum valet eccleſiaſticæ ſocietatis communitas ad ſalutem, vt etiam baptiſmo non ſaluetur, cui ibi non datur vbi oportet vt detur. Vnde in Aphricano Concilio cap. 24. In eccleſia omnia ſacramẽta ſalubriter & vitaliter accipiũtur quæ perſeuerantibus in hæreſi, magnã damnationis pœnam conquirunt: vt quod eis in veritate ad vitam eſſet luminoſius, hoc in errore ſit tenebroſius atqз damnoſius. Eadem ergo ſacramenta vbiqз vera & ſancta: in Eccleſia accipiuntur ſalubriter, extra Eccleſiam damnabiliter.

Vnde

Vnde etiam b. Auguſtinus ſacrificium Optati, quod mundum mundis aſtruxerat, panem luctus vocat, quia eos contaminabat, quibus extra Eccleſiam veri ſacrificij locus non erat. Quod etiam à ſanctis execrabile Domino dicitur, non reſpectu illius quod ſanctum eſt, ſed reſpectu illorum qui æquè damnantur, illud illicitè ſacrificãdo & ſumẽdo, ſicut aliquid Deo execrabile perpetrando. Vocant etiam ſancti illud ſacrilegum, pollutum, inane & falſum. Sacrilegum ideo: quia ſicut aurum verum quidem eſt in arca furis vt in theſauro regis, ſed tamen ſacrilegum, quia à fure illicitè vſurpatum: ſic & illud ab hæreticis. Pollutũ: non quòd in ſe ita ſit, ſed ſicut dies lætus dicitur quia lętos facit: ita ipſum quia magis polluit, ſacrificantem rerum conſtituẽdo, quàm mundet iuſtificãdo. Inane autem & falſum: quia effectum ſalutis, quem videtur promittere, non confert, quem cõfert ſi rite fieret. Vnde & Deus dicit: Maledicam benedictionibus veſtris, eas priuãdo fructu ſalutis. Quod autem dicitur, non eſt corpus Chriſti quod ſchiſmaticus cõficit, quia apud huiuſmodi Euchariſtia confici non poteſt: non ita intelligendum eſt, quaſi corpus Chriſti eſſentialiter verũ, in ſacramẽto nõ cõficiat: ſed quia cùm in altari Eccleſia concorporalis & cõſacramentalis ſit Chriſto, vniuerſum corpus Chriſti caput ſcilicet cum membris nõ conficit: qui cùm extra Ecccleſiã ſit, ſeipſum Chriſto & Eccleſiæ in vtriuſq; ſacramento non vnit. Cùm enim altaris ſacrificium, ſignãdo ipſius Eccleſiæ & Chriſti vnitatem, vniuerſi corporis Chriſti ſit ſacramẽtum: non conficitur ibi Chriſtus, vbi non conficitur vniuerſus. Et ideo nõ fit ibi Euchariſtia, vbi vni-

Mala. 2.

tatis

tatis totius Dominici corporis nõ adminiſtratur gratia. Vnde Auguſtinus: Hæretici quærunt diuiſionem, cùm panis iſte indicet vnitatem. Et alibi: Qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis: non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Nec Chriſtus igitur, nec ſpiritus ſanctus apud eos eſt per gratiam, qui tamen vbiq; eſt per eſſentiam. Vnde Hieronymus in Amos prophetam: Odit Deus ſacrificia hæreticorũ, & à ſe proijcit: & quoties in nomine eius cõgregati fuerint, deteſtatur fœtorem eorum, & claudit nares ſuas. Quod dicit humano more loquens: nõ quòd Deus ſancta ſua improbet, ſed quòd eorum propitiationem non recipiat. Hæc igitur & ſi qua aliã à ſanctis contra Sacramẽta hæreticorum ceu deteſtabiliter dicta reperiuntur, non ita exponenda ſunt, vt veritatem vel ſanctitatem Sacramentoum, cùm omnia omnino Chriſti ſint, improbent: ſed in malitiam & damnationem illorum, qui illicitè vſurpant, redundent.

Auguſtin.

Vtrum Sacramenta rite fiant, ſi ſolennibus verbis aliqua contra fidem, vel incuria, vel hæreſi interſerantur. CAPVT XIII.

QVæritur autem, cùm ſolennia verba, & inuocatio diuini nominis tantæ virtutis ſint, vt omnia Eccleſię ſacramenta perficiant: ſi in ipſis ex induſtria vel negligentia proferentis aliquod erroris vitium ſonet, vtrum etiam tũc Sacramenta rite perficiant. Vnde ſciendum eſt, quia qui tacendo vel male proferendo quod debet in ſolennibus verbis perfidè peccant: eorum Sacramenta ita damnat Eccleſia, vt ea vel pro nullis

ipſum, Iudas quid fecit? Facta eſt traditio à patre; facta eſt à filio, facta eſt à Iuda. Vna res facta eſt, Sed quæ res diſcernit eos? Quia hoc fecit pater & filius in charitate, Iudas autem in proditione. Videtis quia non quid faciat homo conſiderandum eſt, ſed quo animo & voluntate faciat. Item idem in homilijs ſuis, Tu es Chriſtus filius Dei viui, Hoc dixit Petrus: & audiuit: Tu es Simon Bar- *Matth.* 16
iona. Hoc dixerunt & dæmones: & audierunt, *Mar.* 1.*c.*
Obmuteſcite. Vna vox eſt: ſed Dominus interro- *Luc.* 4.*f.*
gat radicē, nō florem. Item Hieronymus in Oſeę, Illi offerunt panem ſacrilegum etc. Quæ ſi verè fiant holocauſta interpretor: cùm autem ſcientiam Dei reliquerint, fruſtra capite fidei trūcato, cætera mēbra ſe habere iactant. Patet igitur quia ſi in ſolennibus verbis vel reticendo vel admiſcendo hæreſin inducunt, ſacramentorum eorum vel veritate vel vtilitate mutilatur: teſte Ambroſio in libro de initiandis rudibus. Quia ſecūdum Apoſtolum, quicquid ex fide non eſt, peccatū eſt: & ipſis qui faciunt, & quibus faciunt, non ſolùm non prodeſt, ſed & ad iudicium eſt.

Si autem vel incuria, vel negligentia, vel ignorantia aliqua erroris verba inſeruntur, non ideò ſacramentum minus fieri credendum eſt: quia vt ſupra dictum eſt, Deus interrogat veræ fidei radicem, non locutionis florem. Vnde Auguſtinus de baptiſmo lib. 6. Si non ſanctificatur aqua cum *Cap.* 15.
aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit: multi nō ſolùm mali, ſed etiam boni fratres in ipſa Eccleſia non ſanctificāt aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatę: & multa in eis reperiūtur contra catholicam fidem. Nunquid ſi mani-

feſtetur

feſtetur aliquos eſſe baptizatos, cùm illæ preces dictæ fuiſſent: iubetur denuò baptizari? Quid ita? Quia plerunque precis vitium ſuperat precãtis affectus: & quia *cuncta verba illa euangelica ſine quibus non poteſt baptiſmus cõſecrari, tantum valent, vt per illa ſic euacuentur quæcunque in prece vitioſa cõtra regulam fidei dicũtur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur. Ita ſi quis preces afferat contra regulam fidei, arbitrans quod bonæ ſint, non tamen quod in eis peruerſum eſt, euacuat illa quæ ibi recta ſunt, ſed ab eis potius euacuatur. Item Zacharias papa Bonifacio epiſcopo: Detulerunt nuncij tui, quòd fuerit in eadem prouincia ſacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat: & dum baptizaret neſciens latine eloqui, linguam infringens dixerit: Baptizo te in nomine patria & filia & ſpiritua ſancta: Et per hoc tua reuerenda fraternitas cõſiderauit rebaptizare. Sed ſanctiſsime frater ſi ille qui baptizauit nõ errorẽ inducẽs aut hęreſin, ſeu ꝓ ſola ignorãtia Romanę locutionis infringẽdo linguã (vt ſupra fati ſumꝰ) baptizãs dixit: nõ poſſumꝰ cõſentire vt denuo rebaptizẽtur.

*certa

Ecce Auguſtinus baptizatos, precibus contra fidem dictis quia precis vitiũ ſuperat precantis affectus, nõ denuo ſinit baptizari, Zacharias ipſis verbis vitiatis, ſine quibus baptiſma nõ poteſt ritè fieri: quia baptizãs hæreſin nõ inducebat, prohibet rebaptizari: quibus tamẽ ſi hęreſis induceretur, profectò rebaptizandũ fuiſſet, quia Trinitatis nomen nõ verè prolatũ fuiſſet. Vnde etiam cùm vt ſupra dictũ eſt, Nicolaus Papa ad cõſulta Bulgarorum baptizari in nomine Trinitatis vel tantũ in nomine Chriſti, vnũ idemq; teſte etiam

Ambro-

Ambroſio aſtruat:ecõtra Pelagius Papa quia per hoc hęreſin induci vidit,id fieri vetat,dicẽs Gaudentio Epiſcopo : Multi ſunt qui in nomine ſolummodo Chriſti,vna etiam merſione ſe aſſerũt baptizari. Euangelicũ verò pręceptum ipſo Domino Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto tradente,nos admonet, in nomine Trinitatis, trinà etiã merſione ſanctũ baptiſma vnicuiq; tribuere, dicente Domino noſtro Ieſu Chriſto diſcipulis ſuis:Ite baptizate omnes gẽtes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Si reuera de præfatis hæreticis qui in locis tuæ ditionis vicinis cõmorari dicũtur,ſolũmodò in nomine Chriſti baptizatos fuiſſe forſitan confitentur:ſine cuiuſquã dubietatis ambiguo eos ad catholicã fidem venientes in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Quod ideò dicit quia forſitã iſti hæretici vt Paulianiſtæ nomẽ Trinitatis refutabãt. Et ideo in nomine Trinitatis eos rebaptizari præcepit, ne in nomine Dñi quaſi vnius perſonæ tantũ ſe poſſe baptizari credãt:quod tamẽ vbi ſine periculo hæreſis fieri potuit,Nicolaus Papa cõceſsit. Sed econtra Aug. in lib.de vnico baptiſmo ait. Satis oſtendimus ad baptiſmũ qui verbis euangelicis cõſecratur,non pertinere cuiuſquã dantis vel accipiẽtis errorem: ſiue de patre, ſiue de filio, ſiue de ſpiritu ſ. aliter ſentiant q̃ doctrina cœleſtis inſinuat. Ecce hi hæretici quia aliter ſenſerũt,annullato priori baptiſmo rebaptizari iuſsi ſunt: quia quãuis in nomine Domini,tamẽ in nomine Trinitatis baptizati nõ ſunt. Vnde Greg. Quirino epiſcopo in Hybernia: Hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, ſicut ſunt Sonoſiaci,& Cathafrigæ, cum ad ſanctã Eccleſiam veniunt, baptizantur:

Matt.ult.

quia

quia baptiſma non fuit, quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine non perceperunt. Nec poteſt ipſum baptiſma dici iteratũ, quod in Trinita. nomine non erat datum. Vnde etiam Innocẽtius Papa capitulo quinquageſimo cùm à Paulianiſtis venientes rebaptizari iuberet, cauſam ſubdidit: Quia Paulianiſtæ, inquit, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti minimè baptizãt. Sed opponitur, quia ſi baptiſma Dei nomine ſine Trinitatis nomine conſecratũ irritũ iudicatur: ergo diuini nominis inuocatio annullatur, & quod multis ſanctis autoritatibus eſt prohibitum, prauorum malitia ſacramentũ Chriſti violatur. Sed econtra ſciendum eſt, quia non eſt Sacramentum Chriſti, quod in errore poſiti contra inſtitutionẽ Chriſti faciunt: nec eſt vera diuini nominis inuocatio, quia contra Chriſti præceptũ chriſtianæ fidei periclitatur perfectio: nec ipſum nomẽ domini vel Dei verũ eſt, quod perfidia proferẽtis adulteratũ, verbotenus quidẽ Deũ ſonat, ſed ſecũdum hæreſin aliud ſonat: dum ſcilicet in Deo vel Domino, fidem Trinitatis refugiẽs hæreticus, ipſum nomen ſingularitati vnius perſonæ tantũ aſtringit: vel ſecundũ quòd varia hæreſi, Deũ ſibi præpingere præſumit. Sicut ergo ſancti eos in nomine Saluatoris petere non prædicant, qui contra ſalutem petunt: ſic illi nomen domini non inuocant, qui contra fidem mutato Eccleſiæ ritu hoc faciunt. Cùm ergo verba eccleſiaſtica mutantur, & error vel hęreſis introducitur, vbi nec fides eſt, nec fidei verba: quomodo credenda eſt ſubſiſtere veritas ſacramenti? Vnde Auguſtinus ad Emeritum, Sacramenta quæ nõ mutaſtis, ſicut habetis approbantur à nobis. Et paulò poſt; Illa quæ

ſchiſma-

ſchiſmatici & hęretici non aliter habent, nec aliter agũt quàm vera Eccleſia: cùm ad nos veniũt non emẽdamus, ſed approbamus. Itęm idem ad Vincentium, Ex Catholica Eccleſia ſunt omnia ſacramenta Dominica, quæ ſic habetis & datis quomodo habebantur & dabantur priuſquã inde exiretis. In quo notandum eſt, quia ſi hæreticorum ſacramenta ab eo ritu mutantur quẽ Eccleſia inſtituit & obtinet, non ſunt à Catholicis approbanda: quia mutata iam non ſunt eccleſiaſtica, ſed hæretica, ſicut Innocentius, Pelagius, Gregorius, baptiſma hęreticorum quocunq; Dei nomine factum refutauerunt: quia mutatum ab Eccleſiaſtica inſtitutione, non in nomine Trinitatis celebratum viderunt. Si autem ſolẽnia verba non mutantur, ſed ritè proferũtur, & ipſa executio Sacramenti ritè perficitur, tũc hęreticorum perfidia Sacramenti veritatem nõ impedit: quia quòd hæretici aliter non habent nec agũt quàm vera Eccleſia, non émendatur à Catholicis, ſed approbatur. Vnde Auguſt. de Eccleſiaſticis regulis: Si qui apud illos hęreticos baptizatĩ ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſsione baptizãt, & veniũt ad catholicã Eccleſiã, recipiãtur vt baptizati: ne ſanctæ Trinitatis inuocatio vel confeſsio annulletur in ſacramentis. Ergo conficiendis & nocet error cordis, cũ verba contra fidem proferuntur in prece, quia nõ ea ſuperat precãtis affectus in fide: & nõ nocet cũ ipſa verba proferũtur nullatenus mutata ab vſu Eccleſiæ. Si autẽ error cordis nõ eſt, nõ nocet mutatio prolationis verborũ, vel executionis ſacramentorũ: quia verba etiã ſi contra fidẽ ſint, precantis affectus ſuperat: & in vna fide non nocet diuerſa conſuetudò Ec-

Epiſt. 48.

cleſiæ. Vnde etiam cùm Pelagius hæreticos in Chriſti nomine baptizatos vna merſione, iubeat rebaptizari trina merſione: beatus tamen Gregorius vnam merſionem ſicut & trinam approbat. Sed tamen in vna fide hâc Eccleſiæ diuerſam conſuetudinem commendat: innuens quod vbi fides vna eſt, diuerſa executio ſacramenti nō impediat. Ait enim Leandro Epiſcopo, De trina merſione baptiſmatis nihil reſpōderi verius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis: quia in vna fide nil officit Eccleſiæ diuerſa conſuetudo. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: vt dum infans tertio ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neq; enim aliquid obſiſtit, baptizandū ſemel in aquis mergere: quia in tribus perſonis vna ſubſtātia eſt. Reprehéſibile nullatenus eſſe poteſt infanté in baptiſmate vel ter vel ſemel mergere: quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Cùm ergo Pelagius hæreticis trinam tantum merſioné indicet, ſanctus Gregorius in vna fide trinā & vnā æquè approbet, Nicolaus in nomine Chriſti baptiſmū ratum cōcedat, Pelagius hæreticis iterari iubeat: cōſtat quia mutatio verborum vel executionum ſacramentaliū quę fidelibus rata cōceditur, apud hæreticos irrita iudicatur. Qui enim baptizauit in nomine Patria & filia & ſpiritua ſancta, ſi ita vt ſonāt verba credidiſſet, procul dubio erraſſet, & ſic errando, nomen veritatem ſacramenti annullaſſet? Si enim in habitatione alicuius patriæ, ſicut Donatiſtę Africanam tantummodo Eccle-

ſiam

ſiam credebant eſſe catholicam, & Iudęi Iudęam locum ſanctificationis,& in filiæ alicuius coniugio,& in ſancta aliqua crederet baptiſmi conſtare ſanctitatem & ſalutem : quis hoc hæreſin eſſe nõ iudicaret? Quis his tam prophanis verbis baptiſmum conſecrari crederet? Et tamen hæc verba cõtra fidẽ prolata qa ſimplicitas proferẽtis & fides excuſauit,concedẽte Zacharia baptiſmi veritas rata permãſit. Vnde ſciendũ eſt,quia cùm in omnibus ſacramẽtis omnia ſint fideliter & attẽtè dicenda,& agenda quæ ſolẽniter inſtituta ſunt,ſi tamen(quod abſit)apud fideles per incuriã aliter eueniat in aliquo,non irrita iudicanda ſunt,quia vt dictum eſt,& precãtis affectus ſuperat,& ſeries euangelicorum verborum rite prolatorum, cætera etiam contra fidem admixta euacuat.

Quare in nomine Trinitatis baptiſma fieri inſtitutum ſit. *CAP. XIIII.*

QVæritur autem quare Chriſtus præ cæteris Dei nominibus maximè in nomine Trinitatis baptiſma conſecrari voluerit, adeò vt batiſma cæteris Dei nominibus præter fidẽ factum ſit irritum : in nomine autem Trinitatis etiam præter fidem Trinitatis conſecratum, ſit ratum? Sed econtra ſciendum eſt, quòd in nomine ſuo conſecratum ſine fide vel aliquo merito, eſt ratum, ideò fit vt dictum eſt,vt omnia ſacramenta ſuæ gratiæ eſſe deputentur. Quod autem in nomine Trinitatis hoc maximè fieri voluit, ideò factum eſt, quia in eo Chriſtianæ fidei perfectio ſummáque conſiſtit,quia & generationis filij à patre , & proceſsionis ſancti ſpiritus ab vtroque continet arcanum, veróque Deo ita eſt

propriè propriũ, vt à ſeculo nulli falſo Deo fue-
1.Cor.8. rit communicatum. Quia quum, vt ait Apoſt. ſint quidẽ Dij multi, & Domini multi, præter ipſum tamen in nullo potuit vt Trinus & vnus diceretur inueniri. Hoc enim nomẽ à ſeculo varijs myſteriorum figuris occultatum, non ſolùm pro ſua nouitate eſt mirabile, ſed & pro diuinæ maieſtatis arcano ineffabile: quia in eo & quod trinum eſt, vnitatem non excedit, & quod vnum eſt, trinitatem non adimit. Vt ergo nos à falſorũ deorum errore reuocaret ac diſtingueret, non nomine falſis Dijs communicato, ſed ſolius veri Dei proprio nomine Trinitatis ad omnia peccata diluenda in baptiſmate daturus plenitudinẽ gratię, plenitudinem etiam huius fidei dignatus eſt reuelare: quam quia ad innouandos homines nouam, ad conſummandas perfectam dedit contra hæreticorum verſutias, ratam etiam & certã eſſe voluit. Nouo ergo nomine Trinitatis in baptiſmate inſtituit dari nouam fidem Chriſtianitatis: vt vnde haberet regenerationis initium, renouationis conſequeretur effectũ: certiúſq; & fortius contra omnes hæreſes fidem illam obtineret, ſine qua nulli patere ingreſſum vel Eccleſiæ vel cœleſtis patriæ cognoſceret. Nouo etiam nomine Trinitatis chriſtianam regenerationem initiari voluit & conſecrari: vt per illud quod nullo prius ſeculo reuelatum fuerat, fides naſcẽtis Eccleſiæ tanto maiori fulgeret merito & præmio, quanto maioris cognitionis diuinæ inſtrueretur arcano, quod ad reuelãdũ hominibus, ſolius filij Dei reſeruatũ erat priuilegio. Vnde ipſe per Pro-
Eſa.54. phetam: Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia qui loquebar ecce adſum.

Item

Item in Euãgelio, Pater manifeſtaui nomẽ tuum *Ioan.17.*
hominibus. Quamuis enim ſancti prioribus ſeculis crediđiſſent Trinitatem ſine cuius fide ſalui eſſe non poterant, non tamen ita manifeſtè vt in plenitudine gratiæ, quia vt ait Dominus in Euãgelio, multi reges & prophetæ voluerunt videre *Luc.10.*
quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierũt: quia non eis fuerat reuelatũ. Præmõſtrans ergo Chriſtus fide & nomine Trinitatis baptiſmum nunciandũ eſſe & conſecrandũ, cùm baptizaretur, vox patris audita eſt, quæ *Matth.3.*
filium ſibi placitum eũ teſtaretur: ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper eum viſus eſt: vt Eccleſia in ſuo crederet Trinitatem nõ deeſſe, quam in ſui capitis Chriſti baptiſmate corporaliter etiã cognouiſſet adeſſe: patrem in ſono audiẽs, filium in carne, ſpiritum ſanctum in colũbæ ſpecie pręſentem videns. Super huius fidei firmitatẽ Chriſtus Eccleſiam ſuam fundari inſtituens, Eccleſiæ ſuæ paſtori Petro dicẽti, Tu es Chriſtus filius Dei *Matth.16*
viui, quia in hoc de Trinitate perfectè ſenſerat: reſpondit, Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram, id eſt, ſuper huius fidei firmitatem, ædificabo Eccleſiam meam. Vnde etiam *Eſa.26.*
Deus pater per Prophetam: Ponam in Syon lapidem angularẽ, precioſum, in fundamento fundatum, qui crediderit in eum, non confundetur. Item Paulus, Vt ſapiens architectus fundamẽtum *1.Cor.3.*
poſui, Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, qui eſt Chriſtus Ieſus. In Chriſto enim tota Trinitas intelligitur teſte Beda, in actus Apoſtolorum. Cum Eccleſiæ regula ſit fideles in nomine ſanctę Trinitatis baptizari: quomodo Lucas per totum huius

libelli textum, non aliter, quàm in nomine Ieſu Chriſti baptiſmum dari teſtatur? Quod ita Ambroſius ſoluit, quòd per communitatem nominis impletũ myſterium ſit: quia ſiue Chriſtũ dicas & Deum patrem à quo vnctus eſt filius, & ipſum qui vnctus eſt filium, & ſpiritum quo vnctus eſt deſignaſti: ſcriptum eſt enim, Ieſum à Nazareth,
Act.10. quomodo Deus vnxit eũ ſpiritu ſuo: ſiue patrem dicas & filiũ eius, & ſpiritum ſanctum, tres pariter indicaſti, ſi tamen & id corde comprehendas: ſiue ſpiritum dicas & Deum patrem à quo procedit ſpiritus ſanctus, & filium quia filij quoq; eſt ſpiritus nuncupaſti. Quum ergo Chriſtus in fide & nomine Trinitatis Eccleſiam ſuam fundari diſponat, quis cõtra hanc inſtitutionem aliter agẽs, ratum & aliquid faciat, verum, quæ & propheticè & euangelicè authorizata eſt, & præter quàm aliud fundamẽtum neminem poſſe ponere Apoſtolus clamat? In celebrãdis igitur Chriſti ſacramentis non ſectarum nouitates vel hęreſes inducere, ſed eius inſtitutionibus ſtudeamus fideliter deſeruire: vt ſicut eius poteſtate verum, ita eius autoritate ratum eſt quod in eis agimus, ſic eius gratia ſalutiferum nobis ſentiamus: Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

D. PETRI

D. PETRI VENERABILIS, ABBATIS CLVniacenſis,

viri cùm in humanis, tum in Diuinis ſcripturis eruditiſs. Tractatus inſignis & verè Catholicus, De ſacrificio Miſſæ, & Tranſubſtantiatione, contra Petrum Bruis & Henricum, nouarum impietatum Magiſtros.

POſt baptiſmũ negatum, poſt cruces exuſtas, poſt templa deſtructa, vt nihil ſacrum punienda veſtra temeritas, intemeratũ relinquat: quarto iam loco ad ipſum crucifixum & templorum Dominum, & baptiſmi largitorem ſe extẽdit: & non tantum quæ eius ſunt, ſed & ipſum Eccleſiæ ſuæ auferre molitur. Negat Corpus Chriſti & Sanguinẽ diuini verbi virtute, vel Sacerdotũ miniſterio confici: totumq́ inane ac ſuperuacuũ eſſe, quicquid in altaris ſacramẽto altaris miniſtri agere videntur, affirmat. Sed quia veſtrorũ nolo relator eſſe verborum: ipſi veſtra proponite, quodq́ de his ſeducto à vobis populo prædicare ſoletis, lectoribus noſtris & auditoribus aperite.

Hæreſis Sacramẽtariorũ et Miſſæ maſtigiarũ.

Verba veſtra quæ ad nos peruenire potuerũt, iſta ſunt. Nolite, ô populi, Epiſcopis, Presbyteris ſeu Clero vos ſeducẽti credere: qui ſicut in multis, ſic & in altaris officio vos decipiunt: vbi corpus Chriſti ſe cõficere, & vobis ad veſtrarum animarũ ſalutẽ ſe tradere mentiuntur. Mentiuntur planè, Corpus enim Chriſti ſemel tantum ab ipſo Chriſto in cœna ante paſsionem factum eſt: & ſemel,

Verba hæreticorum.

ſemel, hoc eſt, tunc tantum diſcipulis datum eſt. Exinde neq; confectum ab aliquo, neq; alicui datum eſt. Audite quicunq; aures ad audiẽdum habetis, audite doctrinam inuincibili ratione ſubnixam. Audieram nouorũ Apoſtolorum ſententiam: & quia tam noua eſt, vt hos primos prędicatores habuerit, expectabã eam magnis autoritatibus muniri, validis rationibus roborari.

Primi Hæretici qui Miſſam calũniãtur.

Sed ecce portentuoſus ſermo, & humanas non tam penetrans quàm terebrãs aures: ſic audacter & nudus omni ratione, deſtitus omni virtute, ſe nobis non occultè, ſed palã ingeſsit, vt vel Delphicus Apollo Paganis, vel Moyſes Iudæis, vel Chriſtus chriſtianis reſpõſa dare videãtur. Quorum verba quia apud cultores ſuos diuina credita ſunt aut credũtur, ratione nõ egent: quoniam autoritate pleniſsima vigẽt. Vbi enim deitas creditur, ratio non quęritur. Sufficit ipſa ſibi, nec rationẽ de operibus ſuis ſeu verbis, reddere cõpellitur: quã nihil iniuſtè agere, nihil abſq; ratione poſſe præcipere, certũ tenetur. Sic doctores iſti, ſic, inquã, audaciſsimi hoſtes Chriſti, veneniferũ dogma orbi Chriſtiano propinarunt: & abſque cõpage autoritatũ, abſq; neruis rationum, nugas ſuas nugaces homines, veſtris, ô auditores, ſenſibus infuderũt, ac ſi eis fidẽ dare, velut ſacris oraculis congeremini. Quòd ſi nullius diuinitatis ſibi conſcij, hæc & ita protulerunt: patet, quia hæc & ita proferentes, ſine ſenſu dęmonico non fuerunt. Sed iam ad ipſos verba vertantur, & non diuino ſpiritu admonitis, ſed dæmonico inſtigatis, imò ipſi per eos loquenti maligno ſpiritui, benignus ſapientiæ ſpiritus reſpõdeat, & non liberet maledictum à labijs ſuis. Venite ergo, venite vos

Arrogantia horum hæreticorum.

Sapien. 1.

cum

cum quibus mihi communis campus eſt, pugiles mei: & poſt ictus quos intuliſtis, eam quam potero vicem, referte. Aderunt teſtes pugnæ noſtræ ipſi qui circunſteterint pugnatores, aderit & ſupernus inſpector, qui non vires, ſed cauſas pugnantium examinans, more ſuo, non niſi iuſtitiæ palmam dabit.

Berengariana hæreſis.

Si hęreſis hęc veſtra Berẽgarianis limitibus cõtenta eſſet, quæ veritatem quidẽ corporis Chriſti, ſed non ſacramẽtum vel ſpeciem aut figuram negabat: facile me huius capituli labore expedirem: & non dico ad Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, antiquos & ſanctos Eccleſię doctores, quos abieciſtis: ſed ad moderni temporis doctos & catholicos viros Lanfrancũ, Guitmũdũ, Algerum, vos mitterem: ſi ſaltem vel hos nõ pro maiori autoritate, ſed pro temporis vicinitate & domeſtica cognitione, dignaremini legere, vel pateremini audire. Quorũ alter Archiepiſcopus Cantuariẽſis, alter Epiſcopus Auerſanus, tertius ante canonicus & magiſter Leodienſis, de hinc noſtro tempore monachus & presbyter in monaſterio Cluniacenſi (vbi etiã liber eius habetur) puræ ac deuotæ conuerſationis extitit. Horum primus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti quę ſacramentorũ velamine tegitur, benè, plenè, perfectè: Sequens, melius, plenius, perfectius: Vltimus optimè, pleniſsimè, perfectiſsimè diſſeruit: adeò vt nihil etiam ſcrupuloſiſsimo lectori quærendum reliquerit. Iſtorum libri ſi a vobis legerẽtur, & lecti intelligerẽtur: vos verè à ſtulta pertinacia reſipiſcere cogerent: vtpote qui multos errantes reuocauerunt, multos dubios inſtruxerunt, multos etiã fideles in rectę fidei regula confirmaue-

Tres cõfutatores Berẽgarij Lanfran. Guitmun. Algerus, monach⁹ Cluniacẽ.

firmauerunt. Iſti, inquam, libri vos & corrigere, & ad reſipiſcendum cogere poſſent: ſi (vt ſupradictum eſt) nihil deterius Berengarianis hæreticis ſentiretis.

Nequiores iſti nequiſsimis Berengarianis.

Sed quia (vt dixi) errorem errore, hæreſin hæreſi, nequitiam nequitia ſuperaſtis: non tantum veritatem Carnis & Sanguinis Chriſti, ſed & ſacramẽtum, ſpeciem, & figurã negatis: & ſic abſq; ſummi & veri Dei ſacrificio, eius populum eſſe cenſetis. Ea propter, ſicut nouus languor noua medela curandus: ſic nouus error, nouo opere confutandus eſt, vt quod à magnis viris fuerat præteritum, quia nec auditum: quia nũc primum ſonuit, nequaquam remaneat indiſcuſſum.

Sacrificia Eccleſiæ multa.

Reſpondet ergo vobis ô hoſtes Dei, Eccleſia Dei, ſe neq; abſq; ſacrificio eſſe, nec illo ſuo ſacrificio aliquid aliud, quàm Corpus & Sanguinẽ ſui redemptoris offerre. Offert quidem illa Domino Deo ſuo ſacrificium ſpiritus contribulati, de quo

Pſal. 50. Propheta, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Offert ſacrificium iuſtitiæ, de quo idem, Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitię, Offert ſacrificium

Pſal. 49. laudis, de quo qui ſupra, Immola Deo ſacrificiũ laudis: Sed lõgè acceptabilius offert ſacrificium,

Hebr. 9. eum ſcilicet qui iuxta Apoſtolum, per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, vt emundaret cõſcientiam noſtram ab operibus

Sacrificiũ Miſſæ oĩm ſacrificiorum præſtantiſsimum.

mortuis, ad ſeruiendum Deo viuẽti. Offert Agnũ Dei qui tollit peccata mundi: qui nec immolatus moritur, nec diuiſus minuitur, nec comeſtus conſumitur. Offert ipſum pro ſe ipſa, qui ſe obtulit pro ipſa: & quod ille fecit ſemel moriendo, hoc illa facit ſemper offerẽdo. Sed quia noui hæc magis dicenda eſſe fidelibus venerantibus, quàm infidelibus

fidelibus irridentibus, recõdantur interim margaritę ne à porcis conculcentur, & cur ſacrificare Deo cœli terrigenas prohibeatis, quanto niſu poteſtis, aſtruite.

Cumq́ hoc ſit cultus diuini, & ſubditi Deo animi præcipuum, & ab ipſo Deo cõſtitutum indicium: afferte ſi qua pro vobis ſunt (quæ nulla, vt credo, ſunt) cur ſeruos domino, homines Deo, conditori condita, redemptori redempta, famulari non vultis: eiq́ ſoli debitum & ab iſtis exhibendum venerationis genus reddi, quantis poteſtis nequitię viribus, non ſinatis. An fortè, quia parum emolumenti presbyterium veſtrum dum vt presbyteri miniſtraretis vobis afferebat: prophanare, peſſundare, & diſtrahere cũcta Eccleſiaſtica myſteria & miniſteria deliberaſtis? Vt quia pueros baptizare pigebat, eorũ baptiſma negaretis: quia laborioſum erat cruces dolare, crucifixos pingere vel ſculpere, idcirco eos incenderetis: quia ſumptuoſum erat Eccleſias fabricare, eas deſtrueretis: quia nõ ad votum parochiani veſtri nummis vel cereis manus vobis & ſinus farciebant: altaris ſacrificium annullaretis? An quia alter veſtrum de Eccleſia quã tenebat, ſcit ipſe quare eiectus, alter monachum deſerens, apoſtata factus eſt, iniurias illatas vlciſci cupientes, vt Porphyrius Philoſophus à chriſtianis cæſus, in Chriſtum blaſphemi, in chriſtianos ſeductores & impij eſſe propoſuiſtis? An quia tenebræ vos ignobilitatis tegebant, vt antiquus ille templi Dianæ ſuccenſor: de obſcuris clari, de ignotis noti, de contemptibilibus famoſi, aſtu non ſenſu, audacia non virtute, iniquitate nõ probitate, fieri delegiſtis? Sed retineatur impetus indignãtis animi, ne illo

Nulla hæreticis iuſta contra ſacrificiũ altaris cauſa.

Eroſtratus.

Deo debētur ſacrificia. illo nimium effluente, propoſita differantur.

Dicite quæſo cur ſacrificia chriſtiana, vobis chriſtianis (ſi tamen hoc eſtis) non placent? cùm ſigno ſacrificiorum ſemper ſuos Deus ab alienis ſecreuerit: cùm diuinam ſeruitutem ab humanis obſequijs, hoc ſigno diſcreuerit: Cum honorem Creatori ſingulariter debitũ ab eo honore quo ſe inuicē rationalis creatura præuenire iuxta A-
Rom.12. poſtolũ debet, hoc maxime ſigno diſtinxerit. Recolite antiqua ſecula, generationē ſanctorum ab
Sēperſuere ſacrificia. Adam vſq; ad Chriſtum diſcutite: inuenietis aut nullos aut raros abſq; ritu ſacrificiorum Deum coluiſſe: quia quicunq; iuſtitia Deo placebãt, ſtatim eum ſacrificiorum veneratione colebãt. Videbitis certè primum illum & iuſtum Abel Deo munera offerētem, Deum ſuper eius munera in-
Gene.4. flammãtem, Noë poſt diluuium, noui ſeculi pri-
Gene.5. mordia ſacrificijs dedicãtem, Abraham poſt vac-
Gene. 15. & 22. cam triennem, capram trimam, & arietem trium annorum, turturem quoq; & columbã quæ Deo obtulit, etiã filiũ colligatũ in altari ſuper ſtruem lignorum, ad immolãdum collocaſſe, ſed ne vota compleret ab ipſo qui hoc præceperat, prohibitũ fuiſſe: Poſt Abraham offerentē & Iſaac oblatũ, videbitis & Iacob motũ viſione Dei & angelorũ, in diuinitatis, quã viderat, honorē, erexiſſe
Gene. 28. lapidem, & fudiſſe oleum deſuper: ac dixiſſe, Verè dominus eſt in loco iſto: &, hęc domus Dei eſt, &
Iob 1. porta cœli. Cognoſcetis & in terra Hus, hoc eſt, inter gẽtiles, cui nõ erat ſimilis ſuo tempore ſuper terram, ſimplicem & rectũ Iob diluculo conſurgentē, & pro ſingulis filijs holocauſta offerentem, dicentemq́; Ne fortè peccauerint filij mei.

Varia Iu Procędetis inde vſq; ad magni Moyſi tēpora,

& totam

& totam Hebræorum ſtirpem (de qua Saluator, cui repugnatis,ſecũdum carnem naſciturus erat) inuenietis à Deo per Moyſen ſacrificiorũ diuerſis ritibus & innumeris ſubſtratã,& pro peccato, & pro delicto,pro purgatione,pro emũdatione, boum,vitulorum , agnorum,ouium, arietũ,hircorum,turturum,columbarum,diuerſorum quadrupedum,& volucrum,hoſtias penè aſsiduè offerentem,in tãtum vt(iuxta quod Apoſtolus ait) ſine ſacrificijs & ſanguinis effuſione nõ fieret remiſsio peccatorũ.Legite Leuiticum, ſi tamẽ vel eius nomen vobis notum eſt , imò legite totum Pentateuchum,qui lex propriè dicitur , totamq́ Veteris teſtamenti ſeriem recenſete,quæ docebit quod ignoratis,ſanctis Regibus , Ducibus , Prophetis,Sacerdotibus,Deum per ſacrificia frequẽter reſpõſa dediſſe,eiq́ hoſtias eorũ gratas,acceptáſq́ fuiſſe,aut fumo quo adũbrabat, aut nebula qua tegebat, aut igne quo abſumebat , aliiſq́ indicijs declaraſſe.Hinc in Salomonis dedicatione & ſacrificio,quando ouiũ centũ millia, boum viginti millia oblata ſunt,per nebulã gloria domini impleuit domum domini.Hinc ſuper Heliȩ holocauſtum cœleſtis flamma deſcendens, nõ ſolum bouem oblatum, ſed & ligna altaris & lapides vſq́ ad cinerem conſumpſit, taliq́ ſigno acceptum Deo Heliæ ſacrificium monſtrauit . Hinc in conſecratione Eremitici tabernaculi legitur: Poſtquam omnia perfecta ſunt,operuit nubes tabernaculum teſtimonij,& gloria Domini impleuit illud,nec poterat Moyſes ingredi tectũ fœderis nube operiente omnia , & maieſtate Domini coruſcante,quia cuncta nubes operuerat . Quod profecto tabernaculum , non niſi ad orandum

Iudæorum Sacrificia

Heb.9.

3.Reg. 8. 2.Paral.5 & 7. Salomon. 3.Reg.18.

Helias.

Tabernaculũ Moſaicum. Exod.ult.

Deum

Deum & ſacrificandum ei,ab ipſo Deo, per Moyſen conſtructũ,erectum,& ſanctificatum fuerat.

Eſa.6. Hinc Eſaias in viſione,quamuis ſpirituali, ſolij excelſi & eleuati,poſt alata Seraphin & clamãtia, Sanctus,Sãctus,Sanctus:Commota ſunt(inquit) ſuperliminaria cardinum à voce clamãtis, & domus impleta eſt fumo.

Deo placuiſſe antiquorum ſacrificia. Habetis ſi aduertitis,antiquiorum ſacrificia in tantum Deo placuiſſe, vt non ſolùm ipſa, ſed & loca in quibus fiebant,conſtrueret, benediceret, conſecraret:& conſtructa,benedicta, conſecrata, fumo,nebula,igne,aliiſq; (vt dixi)indicijs glorificaret.Neq; enim ſacrificia propter templum vel altare celebrãtur: ſed templum & altare propter ſacrificia conſtruuntur, conſecrantur, ornantur, glorificantur.Ipſa verò ſacrificia ad illum tãtummodo referuntur,cui ſoli abſq; alio comparticipe exhibentur.Hæc enim ſacrificiorum ſeruitus, hic ſoli deitati deferẽdus honor, hic diuino tantum nomini exhibendus cultus,omnem pro creatore reſpuit creaturam: quia ſicut incommunicabilis eſt maieſtas cui offertur, ſic omnẽ reſpuit communionem etiam quod offertur.

Aug. ad Deo gratias Epiſt. 49.q.3.

Quid deſignãt ſacrificia. Signatur hac ſeruitutis proprietate ſoli Deo ſubditus homo, vt nihil ſupra ſe, iuxta originis ſuæ conditionem,niſi Deum intueatur,à quo ſolò ſe initium,& in quo indeficiẽtem finem ſe habere cognoſcens,vt autori,rectori,remuneratori ſubdatur,ſeruiat,obediat. Signatur hoc exteriori obſequio interior animi affectus,qui nullatenus agnoſceretur niſi ſignis extrinſecis indicaretur. Signatur hoc officio vtraq; hominis ſubſtantia ſubiecta Deo,vt cùm illa deuotione Deũ amplectitur,iſta operatione Deo famulatur, totus homo ei

mo ei ſubiectus eſſe mõſtretur, & vt veraciter dicere poſsit, Nónne Deo ſubiecta erit anima mea? *Pſal.61.*
& cor meũ & caro mea exultauerũt in Deũ viuũ. *Pſal.83.*

Idcirco nulli creaturæ, nõ dico inanimatæ, nõ dico inſenſibili, non dico irrationali, ſed nec ipſi rationali & beatæ, ſacrificiꝭs honorare cõceſſum eſt. Non angelo, non homini, nec ipſi altiſsimo ordini Seraphin hoc datũ eſt: quia ſignum, quod inter mortales, cõditorem à cõditis ſecernit, merito ſemper incommunicatum permanſit. Nouerant hoc beati Apoſtoli Barnabas & Paulus: qui volentes ſibi ſacrificare Lycaonios, cum deteſtatione prohibuerunt, & quia hoſtias iam parauerant veſtimenta ſciderunt. Sciebãt hoc nulli conceſſum, ſciebant etiã minaciter ab ipſo Deo prohibitum, qui tam de his qui non Deo ſacrificant, quàm de his quibus ſacrificant per ſcripturam ſuam ait: Sacrificans Dijs eradicabitur, niſi domino ſoli, Et in Dijs Ægypti faciam vltionẽ, Et de vtriſq;, Similes illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis.

Nulli creaturæ ſacrificandum eſt.

Act.14.

Pſal.134.

Nam ſuperbi & à Deo refugæ ſpiritus, diuinitatem Deo inuidentes, ſibi vſurpantes, vt cæcos homines & longo exilij ſui tempore Dei factos immemores, plene à Deo auerterent, quod ſolius creatoris (vt dictũ eſt) erat, creaturæ exhiberi perſuaſerunt: & tam ſibi, quàm mortuis hominibus, ſacrificia publica inſtituerunt. Et vt maioribus cõtumelijs imaginem Dei ad eius dedecus deludendo ſudijcerent: etiã creaturis irrationalibus, miſeros homines ſeruire cogerũt. Itaq; in rationali animante rationem ſopierunt: vt canibus, volucribus, beſtijs, repentibus ſeruientes, & quibus prælati fuerant, ſe ſpontè ſubdentes: nec homines

Dæmones quare Sacrificia ambiunt.

Miſera hominum illuſio per dæmones.

hominesſe eſſe recordarentur. Vnde Apoſtolus:
Rom. 1. Mutauerũt, inquit, gloaiam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & ſerpẽtium. Nec his contenti, ad ignobiliora eos traxerunt, & ſeruos eos etiam inſenſibilium effecerũt. Inde liber Sapientiæ,
Sap. 12. d. Etenim ait, in erroris via diutius errauerunt, Deos æſtimãtes hæc quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantium inſenſatorum more viuentes. Propter hoc tanquã pueris inſenſatis iudiciũ
Sap. 13. d. in deriſum dediſti. Et item, De his quæ videntur bona nonpotuerunt intelligere eum qui eſt, neq; operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt. His omnibus decepti homines, Dei gloriam tribuebant, eaq; cultu diuino ac
Eſa. 42. ſacrificijs honorabãt, contra eum qui dicit: Gloriam meam alteri non dabo, neq; laudem meam ſculptilibus.

Repræhẽſio hæreticorũ ſacrificare prohibentium.

Quorſum iſta? vt videntes patres antiquos & omnes priorum temporum iuſtos, Deo per iuſtitiam & ſacrificia placuiſſe, vt attendentes Deum ſibi ſoli ea fieri præcepiſſe, vt audientes eum Dijs alienis ſacrificãtes eradicaſſe: agnoſcentes, inquã, per ſacrificia maxime Deo deitatis honorẽ à ſanctis omnibus, ſeculis omnibus exhibitum: Concedatis, quod hactenus prohibuiſtis, & debitum Deo ſacrificiorum munus offerre, noſtri ſeculi homines permittatis. Vt quid enim prohibẽtur filij ſequi patres ſuos? Cur quos fide imitantur, præcipuo fidei ſigno imitari non ſinuntur? An fortè Iudæorũ ſacrificia Deus approbat, & Chriſtianorum

ſtianorum reprobat? Nónne magis circa eorum ſacra nauſeat, dicẽs per Eſaiam: Plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui? *Eſa.1.* Nónne & per alium Prophetã ait, Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos? *Pſal. 49.* Nónne & per Malachiam loquitur: Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra? *Mal.1.* Quòd dicens, non ſacrificia illi tempori data reſpuit: ſed prauam vitam ea offerentium arguit. Vnde & per Eſaiam ſubdit, Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Eſa.1.*

Mirum valde ſi præcipuus (vt iam dictum eſt) deitatis cultus, Deo, noſtro tempore non defertur, qui omni ante noſtra tẽpora tempore, ſummo ſtudio, ſolicita deuotione frequẽtabatur. Mirum ſi Chriſtiani à ſacrificijs vni & vero Deo offerendis arcentur: cùm Patriarchæ, Prophetę, Iudæi, Gentiles fideles, ab ipſo Deo, ipſi Deo ſacrificare cogantur. *Mirãdum de hac cõtra ſacrificia temeritate hæreticorũ.*

Mirum nunc primum de mũdo diuina auferri ſacrificia, cùm nunquã mundus in retroactis generationibus ſuis abſq; ſacrificiorum ſacris fuerit. Nam nec in profundis ignorãtiæ & nequitiæ ſuæ tenebris, ita à Deo perijt: vt non haberet aliquos, & ſi paucos, qui & per iuſtitiã Deum colerent, & per ſacrificia eum ſe colere demõſtrarent.

At nunc, ſi nouam veſtram doctrinam mundus exaudiat, faciet quod nũquã fecerat, & more captiuati illius populi ſedebit abſq; lege, abſq; rege, abſq; ſacerdotio, abſq; Ephoth, & Teraphin. Cunq; Deo ſacrificare ceſſauerit: & ipſe Dei eſſe ceſſabit. Erit his temporibus gratiæ, quod nunq̃ fuit nec tempore iræ, vt Chriſtianis Deo ſacrifi- *Quanta mala ex hac hæreſi.*

care ceſſantibus cultus qui ſemper in mũdo fuerat, omnino de mũdo pereat, & qui Deũ ritu ſuo colens, Deo eſſe ſubditus probatur, cultum eius abijciens, abſq; aliquo Deo prorſus eſſe videatur.

Nota q̄ ſola ſecta Chriſtianorum ſacrificat. Nam cùm ſint his noſtris diebus quatuor in mundo præcipuæ diuerſitates ſectarum, hoc eſt, Chriſtianorum, Iudęorum, Saracenorum, & Paganorum: ſi Chriſtiani non ſacrificãt, iam nullus in mundo ſacrificat. *Iudæi.* Iudęi enim, more ſuo, bouinis oculis omnia intuẽtes, & more aſinino legis Dei onera ferentes, nõ fructũ capiẽtes: nuſquam ſacrificãt, quia Hieroſolymis tantũ dicũt eſſe locum, vbi per ſacrificia Deum honorare & adorare oportet. Quã quia Deo eis cõtrario, per mille & centum annos, inhabitare prohibiti ſunt: ſacrificare deſierunt. *Saracenorũ religio.* Saracęni ab omnium ſeductorũ ſublimiſsimo ſeductore ſeducti, & inter Iudaicã & Chriſtianã legẽ ſubmergẽdi fluctuãtes, circuncisionẽ ſuſcipiunt, lauacris frequẽtibus vtuntur, certis horis die, certis horis nocte, orationi, maximè poſt cibum & potum, vt fertur, incumbunt: luxui omnino frena relaxant. Cunq; his & innumeris ſuperſtitionibus tota penè Oriẽtalis & Aphricana regio, ab illo nequã Mahumet decepta per quingẽtos & ferè quinquaginta annos *Mahumet* inſeruiat, & Chriſtũ Deũ flatu (vt aiũt) diuino, natum de virgine, ſanctè vixiſſe, vera docuiſſe, mira feciſſe fateantur: de ſacrificijs apud eos, nec præcepta aliqua habentur, nec aliqua, licet parua, ab eis pro ſacrificio offerũtur. Omnipotentẽ tamen Deum rerum omnium cõditorem ſe adorare dicunt: cui tamen (vt dixi) nullos ſacrificiorũ ritus exhibent. *Pagani.* Pagani licet pauci & orbi terrarum incogniti, cùm in Aquilonis extremis finibus, atq;

ſub

ſub gelido axe lateant,& loca (vt fertur) Mæotidis paludibus vicina inhabitent, quoniam ignorant ipſos Idolorum errores & nomina ritus,ſacrificia incognita habent:equos, aſinos,porcos, gallos vel quodcunq; mane de lectulo ſurgenti occurrerit,toto illo die pro Deo adorãt: ſicq; nõ perpetuos,nec ſaltem annuos, ſed (vt ita dicam) Deos diarios vel horarios colunt. Et cùm flendi homines ignominioſius alijs à diabolo his & multis modis nobis ignotis deludantur, ſacrificia tamen nec creatori nec creaturę exhibent:ſed quod innatus error docuit, abſq; omnium ſacrificiorum notitia cuſtodiunt.

Dij horarij & diarij.

Cùm ergo nec apud Iudęos,nec apud Saracęnos,nec apud Paganos ſacrificia obſeruentur:ſi nec Chriſtianis cõceduntur,ſignũ illud ſingulare Deitatis,quo ab initio(vt iam dixi) diuina ſeruitus ab humana ſecernitur,perijt:cũ in nulla gente,in nulla parte orbis terrarũ, inueniri iam poſſit.Sed forſitã minus Deo obnoxia ſunt moderna tempora quàm priora:vt honorẽ quẽ antiqua ſecula Deo exhibuerunt, ſoluere iſti cõtemnant. Et iuſte.Iuſte, inquam, iuſtè,qui maiora acceperũt minora reddere debẽt,qui numeroſiore ſumma debiti conſtringuntur,minimã quãtitatẽ ſoluere compelluntur,& cõtra Ieſu Chriſti vocem, quæ dicit,Cui minus dimittitur,minus diligit,& contra opinionẽ Simônis Phariſęi dicentis,quia is donatorẽ debiti plus diligit,cui plus donauit, vnde dictũ eſt,rectè iudicaſti : Contra has Domini & Phariſęi ſententias,minus Deo debet Chriſtianus,quàm Iudæus:minus tempus Apoſtolicum,quàm Propheticũ: minus totus orbis ſubſtratus voci Euangelicæ, quàm vnus populus

Summa in Deũ ingratitudo hæreticorum ſacrificare nolentium.

Luc. 7.

ſubiectus legi Moſaicæ. Et vbi eſt ſaluator gentium, illis promiſſus, nobis exhibitus, illis oblatus, nobis natus, illis ablatus, nobis datus? Vbi eſt ſanguis teſtamenti æterni, qui ab illis ad nos defluxit, qui per illorũ fiſtulã ad nos decurrit, qui limoſam per quam currebat derelinquens canalem, nos de limo factos & canali ſuppoſitos, ab omni limo & ſorde purgauit? Vbi eſt ſecundum

Coloſ.1.d. Apoſtolũ myſteriũ quod abſconditũ fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramẽti huius in gẽtibus, quod

Ephe.3. eſt Chriſtus, ſpes gloriæ? Vbi eſt iuxta eundem, virtus ſacramenti Dei, temporibus æternis taciti, vbi velum templi ſciſſum eſt, & quæ diu velata fuerant reuelata? Vbi regnum cœlorum, de quo

Matth.4. rex cœlorum, Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquauit enim regnum cœlorum?

Aureũ ſeculũ nobis a Chriſto datũ. Nunquid hæc tam fœlicia tempora, & (vt verbo poëtico vtar) aurea ſecula, quibus pater mundi miſertus, quibus Filius pro mundo oblatus, quibus Spiritus altiſsimi mũdo infuſus, quibus mors extincta, quibus vita reddita, quibus iuſtitia reparata, quibus reſurrectio pręparata: minus aliquid prioribus ſeculis Deo debẽt? Non planè, nõ toto mũdo cõclamante, non minus ei debẽt, cui non ſolũ ex conditione, ſed (quod carius eſt) ex redemptione, & ſe & quæ iure poſſunt, omnia debent. Quòd ſi omnia: tũc & ſacrificia. Ratione igitur neceſſaria cogente, quę auferre Catholicis volebatis, neceſſario ô hæretici ſacrificia reddetis. Reddetis ea ratione, reddetis ea (quòd apud noſtros robuſtius eſt) autoritate, non ficta, ſed veraci: non terrena, ſed cœleſti: non humana, ſed diuina.

uina. Irritatus Deus diuturnis malis Iudaici populi, quibus & in Deum impij, & in homines erãt iniqui, nec ferens vltra promiſsiones ſpirituales ac cœleſtes à terrenis & carnalibus cõculcari, elegit eis ſucceſſores: qui quod illi reſpuebãt, ſuſciperent: qui quod nolebant, vellẽt: qui vineę fructum redderent temporibus ſuis. Elegit pro vno populo omnes gentes, pro particula Syriæ, vniuerſum orbem terrarũ atque per filiũ ſuum, huius magni conſilij angelum, Legem ſuam, cultum ſuum, ſacrificia ei tradidit, & eo mediante, mundum à morte eripiens, immortali vitæ reſtituit. Hæc vt abſque ſcrupulo aliquo, vera eſſe crederẽtur, & ſuo tẽpore ſuſciperentur, per nuncios ſuos multipharię̀ multiſque modis prædixit. Et quis vniuerſa enumeret? Sed quod ad cultum, de quo agitur pertinet, audite Dauid in ſpiritu Dei loquentẽ: Omnes, ait, gẽtes quaſcũque feciſti, veniẽt & adorabunt corã te domine. Et, Adorabũt eum omnes reges, omnes gẽtes ſeruient ei. Et, Omnes gentes plaudite manibus. Et, Regnabit Deus ſuper gentes. Et, Dicite in nationibus, dominus regnauit & centũ ſimilia. Sed hoc de adorãdo Deo.

Reiectis Iudæis chriſtiani aſſumpti ſunt in toto mũdo.

Pſal. 85. Pſal. 71. Pſal. 46. Pſal. eod.

Item de ſacrificando, Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriam nomini eius: tollite hoſtias & introite ĩ atria eius. Et Eſaias, Veniet omnis caro, vt adoret corã facie mea dicit dominus. Et Malachias, Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gẽtibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio mũda: quia magnum nomen meum in gẽtibus, dicit Dominus exercituũ. Et quid vltra vobis, ô bruti homines, reſtat quęrẽdum? Nonne videtis ſicut legem,

Pſal. 95. Pſal. eod.

Eſa. 66.

Mala. 1.

 ſic ſacra,

Cult⁹ Dei a Iudæis ad Chriſtianos ex gentibus trāſlatus. ſic ſacra, ſic ſacrificia, ſic cultū omnē diuinū, à Iudęis ablatum, & ad Gentes trāſlatū? Etſi non eodem ritu celebrantur apud nos ſacra, ſunt tamen ſacra, ſi non eodē ordine cōſtant ſacerdotia, ſunt tamē ſacerdotia, ſi nō de eiſdē rebus fiunt ſacrificia, ſunt tamen ſacrificia: quia alio quidē modo, ſed non alij Deo ſacrificia celebrantur, ſacerdotia ordinantur, ſacrificia exhibentur. Ceſſate ergo, ceſſate iam inſanire, quia nulla autoritas, nulla ratio patitur, vt minus Deo honoris deferant Chriſtiana tempora, quàm Iudaica: quoniā quæ plus munerum acceperunt, non minus, ſed magis obſequi debent eorundem munerum largitori. Vnde verè dignum & iuſtum eſt, vt qui ei, gratiæ hoc tempore, alijs, ſed non inferioribus ritibus famulantur, eum hoc ſupremo & diuino ſacrificiorum cultu, deuotionis venerentur.

Qualia Chriſtianorum ſacrificia eſſe debeāt. Iam quia per Dei gratiā conſtat Chriſtiana ſacrificia non tollenda: vtrū talia eſſe debeāt qualia offerūtur, nihilominus eſt videndū. Sacrificiū Chriſtiani orbis non multiplex eſt, ſed ſimplex: non plura, ſed vnū: quia ſicut in toto mūdo vnus tantū eſt populus Chriſtianus qui illud offert, & vnus Deus cui offert: & vna fides per quā offert: ita & ipſum vnū eſt quod offert. Ceſsit pluralitas Iudaicarū hoſtiarū vnitati victimæ Chriſtianæ, quæ quia non poterat perfectum facere ſeruientem multiplicitate ſua: prouiſa eſt à Deo hoſtia, quæ offerentes mundaret, ſanctificaret, perfectos faceret ſimplicitate ſua. Bos, vitulus, aries, agnus, capra, hircus, carnibus & cruore implent altaria Iudæorum: ſolus Agnus Dei qui tollit peccata mundi altari ſuperponitur Chriſtianorum. *Ioan. 1.*

Sacrificiū Chriſtianorū uni- Audite non me, ſed Apoſtolum Dei. Paſcha,

inquit,

inquit, noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Hoc eſt, Paſcha Iudæorum immolatus eſt agnus: Paſcha verò noſtrũ, hoc eſt, Chriſtianorũ, eſt immolatus Chriſtus. Hoc ergo vnicũ Chriſtianorum ſacrificiũ, Chriſtus eſt. Hoc ſacrificiũ, Chriſtiano tempori ſeruabatur. Hoc, inquam, ſeruabatur tẽpori gratiæ, quod congruum non fuerat dari in tempore iracundiæ. Habuit bouem Iudæus: habet Chriſtum Chriſtianus. Cuius ſacrificiũ, tanto Iudaicis victimis excellentius eſt: quanto Chriſtus boue maior eſt. Congrua tũc fuit ſeruilis hoſtia ſeruis: ſeruata eſt noſtris diebus liberatrix victima iam filijs & amicis, quibus in Euangelio dicitur, Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum. Et, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.

cum, quod eſt Chriſtus.

Ioan. 15.
Ioan. 13.

Reſperſus eſt textus diuinæ legis innumeris teſtimonijs, quòd multiplicitas antiquarũ hoſtiarum, hanc vnã Euãgelij hoſtiam deſignabat. Et quia impoſsibile erat ſanguine agnorũ & hircorum auferri peccata: ipſa lex quę multa illa mandauerat, omnes ad hanc vnã victimã tranſmittebat. De hac Dauid: Eleuatio manuũ mearum, ſacrificium veſpertinũ. Et Eſaias: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et Petrus, Nõ auro vel argẽto empti eſtis: ſed precioſo ſanguine, quaſi agni incõtaminati & immaculati Ieſu Chriſti. Et Paulus: Hoc fecit ſemel ſe offerendo dominus Ieſus Chriſtus.

Sacrificiũ noſtrum unicũ ſacrificijs antiquis ſignabatur.

Hebr. 10.
Pſal. 140.
Eſa. 53.
1. Pet. 1.
Hebr. 8.

Sed ſcio nomine oblationis, ſacrificij, victimæ, holocauſti, & ſimiliũ, paſsioné ac morté Dñi deſignari: nec vos hoc vnq̃ negaſſe audiui. Et ideo his nominibus mors eius ſignatur, qa ſicut morte animaliũ oblatorũ peccata purgari dicebãtur: ſic morte ipſius peccata totius mundi tolluntur.

Et quia dicit Apoſt. ſemetipſum obtulit im-

Heb.9. maculatũ Deo,dicitur ipſe offerre ſeipſum: quo-
Chriſtus ſeipſum obtulit. niam nõ coactus, ſed ſpontè tradidit in mortem animam ſuam.Deo verò ſeipſum hoc modo obtulit:quia mors æterna hominis, non niſi tẽporali morte Dei & hominis, diſſolui poterat. Be-
Pſal.25. nignus enim Deus,cuius vniuerſę vię miſericordia & veritas,ſic exiſtẽs iuſtus, vt non deſinat eſſe miſericors:ſic miſericors, vt iuſtus ſemper permaneat:in rebus quas creauit,nec etiã mala quæ non creauit, inordinata eſſe permiſit. Vnde pec-
Mala Deꝰ ordinat per penã. catum hominis,quod velut aliunde in regnum eius ſe non iuſtè immiſerat,iuſtè ordinans:peccatorem damnauit, ac ſempiternæ felicitatis profugum, miſeriæ ac morti æternæ contradidit. In tãtum quippe reus factus fuerat, vt omnino culpa eius in regno eius ordinatiſsimo inordinata remaneret:ſi minore quàm ęterno ſupplicio Dei iuſtitia peccatorem puniret. Nec iam iuſtitia dici poſſet,quæ meritis condigna non redderet.

Originale peccatũ. Ea de cauſa propago humani generis in radice corrupta,ſicut vitium,ſic & eius dãnationem ab origine traxit:& tota ſimul per longa ſecula lege iuſtitiæ morti æternæ ſubiacuit. Miſertus tãdem Deus eſſentiali bonitate ſua perdito homini, & eum ſaluare volens,ſed niſi iuſtè nec volens nec valens:dum in æterno cõſilio ſuo quæreret qualiter miſero ſalua iuſtitia miſereri valeret, hoc potiſsimum occurrit, quo & iuſtitia ſeruaretur, & homo liberaretur,& gratia augeretur, & Deus glorificaretur.

Quomodo ſeruata eſt iuſtitia in re- Miſit itaque Deum filium ad filios hominum,vt humanam naturam induens, & humanis vitiis medens,in carne aſſumpta, non peccatũ,ſed pœnam peccati,mortem ſcilicet corporalem ſuſciperet:

peret: & ita ſimplici ſua illius duplam, horaria ſua, illius ſempiternā excluderet. In qua diſpenſatione, miſericordia miſereretur, iuſtitiæ nihil detraheretur: dum pro æterno ſupplicio hominis, temporale ſupplicium Dei & hominis, pro æterna morte hominis, temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. *dēptione hominū.*

Quæ tanti ponderis in ipſa ipſius iuſtitiæ lance eſſe cognoſcitur: vt ad iuſtè ordinanda mundi peccata, longè magis præponderet mors tranſitoria filij Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum eſt iuſtitiæ quando Chriſtus mortuus eſt, quàm ſit recompenſatū quando homo dānatus eſt. Habet ergo iuſtitia quicquid ſuū eſt, qa Dei filius ꝓ peccatis hominū mortuus eſt. *Mors Chriſti quantum fuerit ſatisfactoria.*

Ita iuſtitia quæ diu humanæ ſaluti obſtiterat, tandem miſericordiæ ceſsit, & quæ per aliquot millia annorum, diuerſo itinere inceſſerant, miſericordia & veritas in via (quæ Chriſtus eſt) obuiauerunt ſibi, & quæ velut ſibi aduerſæ fuerant, homine condemnato: eo iam ſaluato iuſtitia & pax ſe oſculatæ ſunt. Sic iuxta Ioannē Baptiſtam, Agnus Dei tulit peccata mundi: ſic iuxta Petrum Apoſtolum, Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius, iuxta prophetam Eſaiam, liuore ſanati ſumus. *Iuſtitia ceßit miſericordiæ.* *Pſal. 84.* *Ioan. 1.* *1. Pet. 2.* *Eſa. 53.*

Hoc eſt noſtrum ſacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc noui teſtamēti, hoc noui populi holocauſtum: quod tunc ſemel in cruce à Dei & hominis filio, Deo oblatum eſt: & quod ſemper in altari ab ipſius populo offerendum, ab eodē pręceptum & inſtitutum eſt. Non enim aliud tunc oblatum eſt, aliud nūc offertur: ſed quod dictum *Sacrificiū Chriſti & Eccleſiæ, unicū eſt ſacrificiū.*

eſt,ſemel Chriſtus obtulit, hoc ſemper Eccleſiæ ſuæ offerendum reliquit.

Error ſtultißimus hoſtium Miſſæ.

Et quia iam expeditior via ſe præbuit,per quã liberior ſermo ad oſtendendum & confutãdum ſtultiſsimũ errorem decurrat:audite non me, ſed dominum:non Chriſtianum,ſed Chriſtum: non

Deut.18. hominem tãtum,ſed Deum. Audite eum quẽ qui non audierit,exterminabitur de populo ſuo.Dic domine Ieſu,Deus noſter,Saluator noſter,Sacerdos noſter,Hoſtia noſtra:Dic, reſponde aduerſarijs Teſtamenti tui,qui volunt reſcindere quod ſtatuiſti,eradicare quod plãtaſti, deſtruere quod conſtituiſti.Dic,forſitan acquieſcẽt tibi, qui Eccleſiæ tuæ reſiſtunt,verebuntur faciem tuam,qui

Ioan.10. tuis irreuerenter obuiant:& ſi oues tuæ ſunt,vocem tuã audient. Ignoſce & mihi præſumptuoſe interroganti,ſed tamẽ pro Eccleſia tua, Columba tua,Sponſa tua, quã iſti violare conantur, ze-

NOTA. lanti.Planè iſti redẽptorẽ te negant:qui precium redemptionis humanæ quod nobis & pro nobis dediſti (Corpus dico tuum)redẽptis auferre contendunt.Volunt rurſum vincire à te olim ſolutum nodum captiuitatis:dum largitorẽ reſpuunt libertatis.

Teſtamẽtũ Chriſti non unius diei, ſed æternũ et iuge habet ſacrificium.

Dic ergo Domine Teſtator Noui & ęterni teſtamenti,vtrũ Teſtamentum hoc vnius diei,ſicut iſti dicunt,eſſe volueris: an potius æternum eſſe decreueris. Audiant iſti,nõ me, ſed te:vt conuertantur non ad me,ſed ad te. Quid ergo ? In cœna vltima quã cum diſcipulis tuis vetus paſcha nouo cõmutans celebraſti : accepiſti panem gratias egiſti,fregiſti, dediſti diſcipulis tuis. Sed quid dixiſti? Accipite:Hoc eſt corpus meũ,quod pro vobis tradetur. Et quid addidiſti?Hoc facite in meã

comme-

cõmemorationem. Similiter & calicẽ poſtq̃ cœnaſti, dicẽs: Hic eſt ſanguis meus Noui teſtamẽti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorũ. Audiſtis? Nolite fieri ſimulacra quæ oculos habent & non vident: aures habẽt & non audiunt. Audiſtis hoc non à quolibet doctore, ſed ab illo de quo Pater clamans præcipit: Ipſum audite. Audiſtis eũ dantẽ corpus. Sed quod corpus? Sunt enim corpora cœleſtia & terreſtria: & quicquid viſui, auditui, olfactui, guſtui, tactui, hic ſubiacet, corpus eſt. Vnde ne quis putaret, animalis cuiuſlibet, aut hominis cuiuſlibet hoc eſſe corpus: ad excludendũ omne aliud ſenſibile vel inſenſibile corpus, poſtq̃ dixit, accipite, hoc eſt corpus, adiunxit, meum. Suum ergo non alterius corpus diſcipulis dedit. Rurſus ne forte alicui cogitatio occulta ſubreperet, potuiſſe creare in manibus ſuis corpus quod ſuũ quidẽ eſſet, ſed tamen quod ipſe erat nõ eſſet: addidit, quod pro vobis tradetur. Ac ſi diceret: Nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare: quia hoc eſt Corpus, nõ alterum, aut alterius, ſed meum: nõ permutatum, vel nouiter creatum: ſed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur.

Pſal. 115. & 134.
Matth. 17
Hoc eſt corpus meum.

Sic & de calice. Hic eſt, ait, ſanguis, Non bouis aut arietis, non agni aut cuiuſlibet hominis: ſed meus: non alius vel noua creatione productus, ſed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excuſſus.

Quid ad demõſtrãdã veritatẽ Corporis & Sanguinis Domini, dici potuit clarius, lucidius, manifeſtius? Nónne & longe ante paſsionem commendans magnificum & ſalutare Sacramentum diſcipulis

Atqui Sacramẽtarÿ hæc ten⁹ nihil tale uident.

Ioan. 6. diſcipulis & Iudæis ſæpe dicebat, Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: &, Panis quem ego dabo, caro mea eſt: &, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus? Hoc quare? vt ſi nomine corporis, circa diuerſa corpora cogitãdo vagaris: audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuoceris. Rurſus audito nomine filij hominis, nõ alterius alicuius carnẽ exiſtimes: niſi illius, qui cùm eſſet Dei filius, ſingulari gratia, ſolitaria operatione, factus eſt hominis filius. Vnde quia tenaciſsimè recolendum, quia vnicè amplectendum eſt, tantum tantæ miſericordiæ opus: tacito ſępe nomine filij Dei quod per ſe eſt, nomen filij hominis frequẽtat, quod pro nobis eſt. Idcirco vocat carnẽ, ne quodlibet corpus putetur, idcirco filij hominis, ne alterius quàm ſua æſtimetur.

Tranſubſtãtiatio. Sed forte impoſsibile putatur, vt vel panis in carnem vel vinum commutetur in ſanguinem. Fortaſsis & hoc cogitatur, illius vnius corporis Chriſti finitam ſatíſq; modicã quãtitatem, morſibus totius mundi, per tanta ſecula non poſſe ſufficere. Hoc enim eſt quod quondam Berengarium dixiſſe audiui. Nam fortè Andegauis conſtitutus, & de hoc corporis Chriſti Sacramento cum quibuſdam agens, ſi, inquit, corpus Chriſti tantæ fuiſſet magnitudinis quantæ Turris hæc quæ in conſpectu noſtro immenſa mole attollitur: à tot totius orbis populis comeſtũ, ante multa iam annorum ſpacia defeciſſet. Quantum perverſus, tantũ peruerſa locutus. Sed quid reſpondendum eſt eis qui nihil volunt Deum poſſe, niſi quod poſſunt, nihil ſcire, niſi quod ſciũt, nil agere, niſi

Berẽgarij obiectio & blaſphemiæ.

Demus Deũ aliquid poſſe

re,niſi quod agunt? Quid reſpondebitur eis qui æternæ ſapientiæ altitudinem, quæ diuinæ virtutis omnipotentiam ſic coartare nituntur: vt ſi eis aſſenſus præbeatur, ſapientia Dei & omnipotentia pereunte, Deus iam Deus eſſe non poſsit? Quid dicetur ſurdis, & audire nolẽtibus Prophetam clamantem: Quis cognouit ſenſum domini, aut quis cõſiliarius eius fuit? Et in alio loco, Quæ eſt via ſapientiæ, aut quis locus intelligentię? abſcõdita eſt ab oculis omnium viuentiũ. Et alius, Quis transfretauit mare & adduxit eam, & attulit ſuper aurũ electum? Nónne à mari vſq; ad mare, ab ortu ſolis, vſq; ad occaſum, totus mundus inſonat: Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyſſis? Et quis vniuerſa enumeret?

quod nos fateamur inueſtigare nõ poſſe, ait D. Aug. epiſ. ad volu. 2 Eſa. 11. Iob 28. Baruch 3 Pſal. 134.

Sed aſpice teipſum quicunq; ſupernis miraculis non credis ô homo: attende prius ſapientiam & virtutem tuam, & demum incipe penſare diuinã. Certè gradus faciẽs in creaturis ſuis Deus, & alias aliis præferens, alias aliis ſubdẽs, omnem tibi corporeã creaturam ſubdit, & ratione, quod nulli corporeæ ſubſtantiæ pręſtiterat, inſigniuit, Vnde virtute plurimas, ſapientia vniuerſas exuperas. Quantis enim repẽtibus, volucribus, quadrupedibus, potẽtia ſuperior ſis, agnoſcis: Quod terrenis omnibus ſcientia antecellas, non dubitas. Prælatus es ergo mundo: ſed prælatus eſt tibi conditor mundi. Prælatus eſt tibi ſapientia, prælatus eſt tibi potẽtia. Sapiẽtia, quia tua maximis anguſtiis coartatur: illius verò attingit à fine vſq; finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Potẽtia, quia tua quotidie & multiformiter ſuccumbit: illius (vt dictum eſt) quæcunq; voluit fecit.

Homo cæteris præſtat, homini Deus. Sap. 9.

Eſto

Nota contra curioſos ſcrutatores. Eſto ergo Deo tuo, quod eſt iumentum tuum tibi. Nõ nititur illud perſcrutari ſecreta tua: non coneris temerare arcana Dei tui. Neſcit illud quomodo diſponas iter, qualiter ordines bellũ, quos primos, quos medios, quos vltimos in certamine conſtituas: quo conſilio poſt multũ ſanguinem paci adquieſcas, quomodo rei familiari, domui, coniugi, natis, familiæ, ne egeant, prouideas. Et vt maiora (quia ſic res poſtulat) aggrediar, ignorat quo tẽpore ſemina ſeri, quo ſata & aucta meti debeãt, quo vites plantari, quo putari & purgari oporteat: quid ver, æſtas, autumnus, & hyems inuicẽ cõmune, quid propriũ habeãt. Non aduertit qualiter mentis viuacitate, non tantum terrena, ſed & cœleſtia comprehendas: Lunę, Solis, Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni, quæ ſunt antiquę ſuperſtitionis vocabula, aliorumq́ꝫ ſyderum curſus, loca, tempora, diſtinguas: annorum, menſium, dierum, horarum, Particularum, punctorum quantitates, & ſpatia diiudices: qualiter calore, frigore, humore, ſiccitate, vel dilatent vel contrahãt, vel humectent, vel deſiccent res humanas, rationis ſubtilitate diſcernas. Nõ diſputat de cogitationibus tuis, non de verbis tuis, nõ de operibus tuis. Iudicat, non intellectu, ſed natura, aliquid tibi conceſſum eſſe, quod ipſi penetrare non liceat. Et idcirco quamuis nil horum intelligat, non murmurat, non recalcitrat, non ſibi vniuerſa pandi ratione expoſtulat: ſed tibi Domino obediens imperanti, abſque quæſtione, his quæ iubentur obtemperat.

Pulchra collatio iumẽti ad hominem, et hoĩs ad Deum.

Fac Deo quod tibi Docet (vt de vilioribus loquar animalibus) Aſinus tuus, quid te velit facere Dominus Deus

tuus:

tuus:cuius ſi ſecreta penetrare volueris, eius iu-mentum eſſe non poteris, de quo Pſalmus, Vt iumentum factus ſum apud te. Serua ergo Deo tuo quod tibi vis ſeruari ab aſino tuo: neq; altiora te quæſieris, vel fortiora te perſcrutatus fueris: ſed ea cogita ſemper, quæ Deus præcipit, & in multis operibus eius ne fueris curioſus. Et ſicut idem Salomon ait. Comede mel quod ſufficit, ne forte ſatiatus euomas illud: quia secũdum eundem, Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Itemq́;, Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Et iuxta Dauid, Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. Hæc omnia maieſtati Dei ſuperbiam tuam, ſapientiæ Dei ſtultitiam tuam, virtuti Dei infirmitatem tuam (vt dignum eſt) ſubijciũt: neq; aliquid cõtra ipſum ſtultum loqui, vel non audendum audere permittunt.

uis facere aſinũ tuũ. *Pſal.71.* *Eccle.3.* *Prou.25.* *Cant.5.* *Pſal.63.*

Sed licet autoritatibus & ratione obſtructum iam debeat eſſe os loquentium iniqua, ne inſipientiam vel imbecillitatem creaturæ, creatoris ſapientiæ vel virtuti audeãt comparare: ſubijciantur tamen exempla, quibus (ſi omnino beſtiæ aut impij non ſunt) eorum non ſolum auribus, ſed & oculis ſatisfiat.

Vide igitur quiſquis in ſacramẽto Eccleſię panem in Chriſti carnẽ, vinum in eius mutari ſanguinẽ aut non credis aut dubitas: quia vel de voluntate eius, vel de potẽtia, vel de vtroq; diffidis. Nulla enim res alia te vel ad non credendum vel dubitandũ impellit. Aut enim voluit & non potuit, aut potuit & nõ voluit, aut neq; voluit neq; potuit. Sed quõd voluerit, ſi Euangelio credis, dubitare non potes. Nam in ſui memoriam hoc

Ratio inuicta pro trãſubſtãtiatione.

hoc fieri non præciperet, ſi hoc fieri noluiſſet. Quòd verò potuerit, ſi Prophetæ credĩs, certum tenebis. Nã ſi omnia quæcunq; voluit fecit, vtiq; & hoc quia voluit, fecit. Voluit ergo & potuit, vt panis in carnem ſuam, & vinum conuertatur in ſanguinem ſuum. Et quia voluit & potuit: idcirco & fecit. Si enim Deus omnipotẽs eſt, & Chriſtus Deus eſt: ſequitur quia ad conuertendum panem in corpus ſuũ & vinũ in ſanguinem ſuum, omnimodè ſicut & ad vniuerſa potens eſt.

Et quamuis omnipotentia Dei cuncta hoſtilia munimenta diſſoluat: ſequatur tamen (vt dictum eſt) exempla, quibus etiam brutæ pecudes adquieſcere cogantur.

Exemplis ſcripturæ veteris probatur poßibilitas trãſubſtãtiationis panis, in corpus Chriſti. Ambroſ. de Sacra. lib. 4. c. 4 & de myſter. initiandis c. 9

Quid inquã dicis, qui veritati tam lucidę contradicis? Nõ credo, ait ille: dubito, dicit iſte: quòd panis altaris in carnẽ, vinum cõuertatur in Chriſti ſanguinem, quia alterius generis, ſubſtantiam, in alterius ſubſtantiæ genus conuerti, mihi nouum atq; inſolitum eſt. Nouum, quia nunquam factum eſt: inſolitum, quia nunquam viſum eſt. Si recolere inquam volueris pręcedentia tempora, quod dixiſti nouum, vetus eſſe reperies: quod dixiſti inſolitum, vſitatum eſſe cognoſces. Relege (vt ait Ambroſius) virgam Moyſi mutatam in ſerpentem, recole aquas Ægyptiacas mutatas in ſanguinem: & ſi agnoueris diuerſas ſubſtantias ſerpentis & virgę, aquarum & ſanguinis, ab opinione malè concepta reſipiſce.

Nec poteris dicere magica illa fuiſſe figmẽta, quia nec Deus erat, vt magiſter magicarum artium Satanas, nec Moyſes, vt Iamnes & Mãbres: licet enim illi dracones fecerint, aquas mutauerint, muſcas maiores produxerint, ad minores tamen

tamen muſcas, hoc eſt, Ciniphes deficientes, dixerunt, Digitus Dei eſt hic. Non enim quæ faciebant, vera erant, ſed phantaſtica: quia non res veras, ſed earum imagines humanis oculis potẽtia magica ingerentes, hominibus imperitis, & infidelibus illudebant. Quæ verò per Moyſen à Deo fiebant, non falſa erant, ſed vera: nõ imaginaria, ſed realia: quoniã & ab autore veritatis veracia, & à patre mendacij mendacia ſigna fieri oportebat. Idcirco & falſus anguis & falſus ſanguis magorũ fuit: & verus ſerpens & verus cruor à Moyſe de virga & flumine mutatus extitit.

2. Tim. 3. Exod. 8. Magi phã taſtica. Moyſes ueraſigna fecit.

Recole & Saluatoris illud primum & ſingulare totiq; mundo notiſsimum miraculum: quo aquas in vinum non phantaſticum, ſed verum & bonũ mutauit, teſte Architriclino, qui dixit ſpõſo: Seruaſti vinum bonum vſq; adhuc. Huius generis miraculis, veteris ac noui teſtamenti initia, omnipotẽtis prouidẽtia ideò inſigniuit: vt contra vtriuſq; legis maieſtatem ſe agere cognoſceret, quiſquis res in res, hoc eſt, ſubſtantias in ſubſtantias, virtute diuina poſſe mutari, negaret.

Secundo exẽplo & miraculo Chriſti.

Poſt Moyſi & Chriſti tam ſolennia & nota miracula, perhibeat mũdus ipſe teſtimoniũ veritati: & ad hoc oſtendendum niues & grãdines, nubes & elementa producat. Arguat incredulos: & iam eos non auribus credere, ſed oculis cernere dubitata compellat. Oſtẽdat alia atq; alia ex alijs atq; alijs multimodè & multiformiter aſsiduè creari: immò ex creatis in alias & alias creaturas mutari. Doceat aeriã puritatem quotidie in nubium craſsitudinẽ denſari: nubes ipſas penè aſſiduè defluere in imbres, molleſcere in niues, durari in grãdines, flammari in ignes, & in his om-

Tertio exemplo mutatione medij interſtitij aeris.

nibus, diuerſas ex ſubſtantijs ſubſtantias, varias ex ſpeciebus ſpecies, non tantum videntibus ad cernendũ, ſed etiam cæcis ad palpandum creari. Deſcendat hinc de cœlis ad terram curioſus oculus, & miracula quotidiana quæ nõ miratur, obſtupeſcat. Videat quã ſit ſtulta incredulitas, quàm cæca dubitatio, vel non credere, vel dubitare panem in Chriſti carnem, vinũ mutari in eius ſanguinem virtute diuina: cũ per eandẽ multa ſæpe commutẽtur in aliud rerum natura. Nónne Coralius làpis de ligno fit lapis: cùm diuerſa ſit ſubſtantia ligni & lapidis? Nónne Reguli puluere æs in aurũ mutatur: quæ duo licet in metalli nomine conueniant, in natura tamen valde diſparia ſunt? Nônne phœnix quingentorum annorũ (vt dicitur) auis inter aromata ſuccenſa moriens, de ſolo puluere reuiuiſcit: cũ alia pulueris, alia iam ſit ſubſtantia auis? Et ne forte iſta inuſitata vel incognita ſibi eſſe, cauſetur: attendat vſitatiſsima & quotidiana, & ſic, etiam ſi negligenter attenderit, dubitare ceſſabit.

Quarto exemplo terreſtriũ multiplici Ambroſ. Hexæme. l. 5. ca. 23.

Et vt melius ſuis manibus, quàm alienis operibus adquieſcat, de fœno vel filice, arte notiſsima, diuerſiſsimę naturæ vitrũ conficiat: ſicq́ (vt ſic dicam) nõ diuina, ſed ſua miracula admiretur. Cernat liquidiſsimũ & fluidũ aquæ elementum, brumali apud nos, omni autẽ tẽpore apud Noricos & Schytas, in glacialem teſtam tenaciſsimè congelari: in alpibus etiam & multis terrarum partibus vſq; adeò obdurari, vt de aqua lapis fiat & Cryſtallus dicatur: quæ eſt glacies multos durata per annos. Conſideret de eadem Cryſtallo vel vaſe vitreo & perſpicuo aqua repleto, cùm ſolis radio opponitur, contra cõplexiones elemento-

Quinto, per exemplũ Vitri & Cryſtalli.

Auguſt. in Pſal. 147.

mentorũ, ignem exire: Cùm Cryſtallus frigida & ſicca, aqua (quod plus eſt) frigida & humida, ignis calidus & ſiccus eſſe probetur. Intueatur ipſum ſimul orbẽ terrarũ: qualiter de hoc informi & infirmo terræ elemẽto tam diuerſa in ſubſtantijs, varia in qualitatibus, in coloribus multiformia, in virtutibus multiplicia, iuſſu conditoris aſsiduè procreentur: quæ ſi per ſingula conſiderentur, victus rerum infinitate, ante conſiderator quàm conſideranda deficient.

Sed quid ad comprobandam veritatem de pane mutatæ carnis, & de vino mutati ſanguinis Chriſti, exẽplis immoror: cùm quotidie ipſum, de quo agitur, panem in humanam carnem conuerti, vinum in humanũ ſanguinẽ mutari videã? Itaq; hoc manifeſtum ſit, vt ad hoc aſſerendum non fidem conſulere, ſed oculos aperire neceſſe ſit. Teſtis eſt mundus, teſtis eſt omnis homo: maxime cùm ſine hac mutatione panis in carnem, & vini in ſanguinem, nec vnus poſsit ſubſiſtere homo. Sunt quidem multi qui abſq; pane, ſunt item plures qui abſq; vino vitam mortalẽ tranſigũt: ſed longè pauciores illis, qui ſemper pane, interdum verò & vino vtuntur. Idcirco propter maiorem partẽ, totũ ſignificare volui, cùm dixi abſq; mutatione panis in carnem & vini in ſanguinem, nec vnum poſſe ſubſiſtere hominem. *Sexto per exemplum quotidianũ in hoĩe in quo panis in carnem mutatur.*

Re enim vera maior pars humani generis pane principaliter viuit, vino ſolẽnius vtitur: quod & omnes homines facerẽt, niſi quibuſdam in regionibus frigidis vites, in frigidioribus fruges, terrarũ ſterilitas ademiſſet. Hoc tamen certũ eſt, omnes homines niſi infra annos ſint, aut valetudine teneãtur: aut vti, aut poſſe vti pane & vino. *Panis & vinum in uſu hoĩm.*

Sed qui infra annos ſunt, aut contraria valetudine detinentur: non poſſunt quidem per imbecillitatem, ſed poſſunt tamen per naturam. Hoc igitur aut illo modo, pane & vino vtitur omnis homo. Vnde in omni homine natura operatur: quod de ſolo Chriſto homine, aut ſcrupuloſi dubitant, aut infideles non credunt. In omni planè homine, per digeſtionem congruam, natura operatur: quod de Chriſto ſolo homine per conſecrationem diuinam fieri dubitatur.

Ciborum in ſingula membra partitio.

Operatur ſanè natura per digeſtionem in corpore humano, vt panis in carnem, vinum conuertatur in ſanguinem: dum (ſicut ſciũt hi qui vel leuiter rerum humanarum ſcientiam attigerũt) defecatiorem ac puriorẽ ſuſcepti cibi vel potus partem à fœculenta ſegregans, ſingulis corporis membris ad nutriendam, confouendam, ad augendam carnis & ſanguinis ſubſtantiam, impertit: ignobiliorem, nec corpori neceſſariam partem, per egeſtionem ordinatam reſpuit.

Clariſsima probatio trãſubſtãtiationis.

Fit igitur hoc modo omnibus notiſsimo de pane caro, de vino ſanguis: & hoc nõ in vno homine, ſed in omni homine: nec in vno tempore, ſed in omni tempore. Quare ergo non creditur, quare dubitatur, Deum hoc poſſe per virtutem, quod poteſt natura per digeſtionem? An potuit illud Deus dare humanæ origini, & nõ potuit reſtaurationi? An potuit illud cõſtituere creãs hominem, & non potuit hoc facere redimẽs hominem? An debuit illud fieri cum homo à Deo plaſmatus eſt, & nõ debuit, cùm homo à Deo ſuſceptus eſt? Ceſſet ergo infidelitas, ſanetur dubietas, quia omnipotens Verbum Dei, per quod omnia facta ſunt, ſicut quotidie facit, vt per comeſtionem &

nem & digeſtionem humanã, panis in carnem, & vinum vertatur in ſanguinẽ multorum filiorum hominum: ſic quotidie facit, vt per conſecrationem & virtutem diuinam, panis & vinum commutetur in Carnem & Sanguinem ſuum: hoc eſt vnius filij Dei & hominis, non multorum filiorum hominum. Qui enim dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt: qua potentia facit hoc vniuerſaliter in alijs, eadem potẽtia facit hoc ſingulariter in ſeipſo, vt mutatio ſubſtantiarũ, quæ hominibus ſolebat conferre mortalẽ vitam, nũc eiſdem hominibus, ſed fidelibus, conferat ſempiternam. Sed quid mirãtur homines Deum facere aliquid de aliquo: cũ in principio creauerit cuncta de nihilo? Nam longè maius eſt (vt dicũt ſancti patres Eccleſiæ) non ſubſiſtentia creare: quàm ex ſubſiſtentibus alia atq; alia formare.

Cur non mutantur ſpecies rerum, ſicut ſubſtantiæ in Sacramento altaris.

Sed fortè aliquis econtra. Non poteſt quidem negari res in res multis modis conuerti: ſed in his quando ſubſtantiæ in ſubſtantias mutantur, ſpecies quoq; pariter conuertũtur. In hoc autem ſacramento etiam ſi ſubſtãtia mutetur, forma tamen non mutatur. Et poſſem quidem dicere faſtidioſiſsime iſta requiri, cum totam omnipotentiam ſibi vindicare velit impotentiſsimus homo, & totam ſapientiam inſipientiſsimus homo maximè cùm certa ratio ſit & penè omnibus manifeſtá, cur mutata ſubſtantia, non mutetur pariter & forma. Sed quia neceſſe eſt, talia cuncta pati, vt hominibus tertij cœli arcana rimãtibus ſatisſiat: dentur & inde exempla, vt ſicut oſtenſum eſt mutari in rerum natura ſpecies cũ ſubſtãtia: ſic etiam oſtendatur mutari aliquando ſubſtãtias nõ mutata priſtina forma. Et ne ſit neceſſe ad inquirẽda

peregrina exempla qualeſcunq; vires animi fatigare: de quibuſdam ſupraſcriptis & ad pręcedentia probanda prolatis, exempla trahātur, ex quibus inuiſibilium fides rerum viſibiliū exemplis, vera eſſe, vt creditur, ipſis corporis ſenſibus demonſtretur. Conſule ergo ipſos carnales oculos tuos quicunq; Carnem Chriſti ſub ſacramento panis, quicunq; Sanguinē Chriſti ſub ſacramento vini latentem miraris: & non mutata panis ac vini ſpecie, ipſarum rerum mutatam in aliud naturam ſtupeſcis. Conſule inquam oculos tuos, & licet indignum ſit eorum iudicio, iuxta ipſa viſibilia, veritati inuiſibilium adquieſce.

Hic ſatis fit obiectioni per exempla.

Aſpice aquam in glaciem commutatam, glaciem in Cryſtallum alteratam, & cernes in his apertè ſubſtantias permutari, formas ſubſtantiarum ſeu ſpecies reſeruari. An non vides glaciē ex aqua frigore obduratam glaciem ipſam in Cryſtallinum lapidem eodem diutius cōtinuato rigore, permutatam: ſubſtantia in aliud quā fuerat tranſlata, formā priſtinā conſeruare? An nō cernis præter glacialem duritiam, præter lapideam firmitatem (quantum ad ſpeciē vel perſpicuitatem iam dicti elementi pertinet) nihil vtiq; ſubſtantiæ detractum? Non vides hîc in teſtam, vel lapidem commutatam priorem ſubſtantiam: illic formæ vel ſpeciei prioris claritudinē conſeruatam? Quod ſi curioſius quod dico cognoſcere libuerit, admoue manus, acue oculos, & ſimul coram poſitis aqua, glacie, vel Cryſtallo, quæ tamen non de limoſa vel lutea, ſed de lucida & defecata aquarū ſtilla concreta fuerint: cum æquè perſpicua cuncta perſpexeris, agnoſces tactu, mutatam eſſe ſubſtantiam; agnoſces viſu, reſeruatam eſſe

Exēplum de aqua in cryſtallum mutata.

priſtinam

priſtinam formam: Quod ſi hæc tria ſeorſum poſita ad probanda quę dico non tibi integrè ſatiſfecerint: iam ea ſeorſum noli ponere, ſed ipſam glaciẽ vel Cryſtallum, fluidæ aquarum puritati, vel integra, vel fracta commiſce: & cum eandem claritatem lucido lapidi, quam fluido elemento ineſſe perſpexeris: ſubſtantiam mutatam intellige, originalem formam agnoſce. Hinc Hieronymus noſter, quem ne veſter eſſet ô hæretici reſpuiſtis, in libro 15. ſuper Eſaiam: Portæ autẽ iſtius ciuitatis de lapide ſunt Cryſtallo, qui ſculpitur varijs modis, quo lapide nihil purius eſt. Denique vehemẽtiſsimis alpium frigoribus & inacceſsis Soli ſpeluncis, concreſcere aquæ dicũtur in Cryſtallum: & tactu quidem lapidem, viſu aquas eſſe. D. Hiero.

Simile quoddã in Orientalibus Hiſpaniæ partibus rerum natura profert exẽplum, imò quantum ad remotiorem hominum cognitionẽ proponit miraculum, quod prius audiens vix credidi: ſed poſt, quod audieram, videns, dubitare non potui. Extant in regionibus illis ſalita (vt ita dicam) vel ſalſa montana: quæ pro ſaxis vel rudibus lapideum ſal continent, ſicque perlucidum vt quia gemmeam precioſorum lapidũ claritatem æmulatur, ſalis gemma vocetur. Quod tam perſpicuitate quam vtilitate, marino, puteali, omnique ſali prępoſitum, de montanis illis multo labore ab incolis eruitur, & remotis quibúſque pro magno munere datur, aut pro magno lucro vẽditur. De quibus montibus cũ diutinus ruſticorũ labor lucri auidus, multã lucidi illius lapidis quantitatẽ eruerit, & eruendo foſſas multas eo ſale inanes reliquerit, proceſſu temporis pluuiali inundatione foſſarũ illa vacuitas repletur, *Sal perlucidum in montanis Hiſpaniæ.*

ac repleta poſt paululum in naturã illius, cui admiſcetur, lapidis commutatur. Tali recompenſatione effoſſus mons penè annuatim, damna illata reſtaurat: & quicquid de lapide amiſit, aqua in lapidem conuerſa compenſat. Fit ergo cœleſtis aqua lapide terrenus: quæ licet naturalem molliciem in lapideam duritiam commutans, in alienam ſubſtantiam tranſeat: formã tamen priorem ſeu ſpeciẽ, ſicut de Cryſtallo ſupra dixi, cõſeruat. Sed ſicut nec de omni glacie, nec de omni cryſtallo hæc dixi: ſic nec omni montis illius lapide hoc dico, ſed de illo qui non de cœnoſa, ſed de lympidiſsima concretus aqua, originis ſuæ claritatem, etiam in aliud mutatus non mutat.

Exẽplum de mutatione uini in acetũ.

Addatur & aliud non contemptibile, imò rei de qua agitur ſatis congruẽs, de aceto exemplũ: vt quod in ſacramento paſsionis Chriſti, vtpote ad aliquid neceſſarium, non defuit: in ſacramẽto quoq; corporis Chriſti, de quo ſermo eſt, vtiq; ad aliquid vtile nõ deſit. Apparet enim in illo quædam, & ſi non ſubſtantialis, tamẽ accidentalis mutatio: quia dũ ex naturali vel dulci mero, innaturali acredine aſſumpta aceſsit: non ſubſtantiam (vt dixi) ſed qualitatem commutans accidẽtia ſola permutat, ſpeciem priorẽ reſeruat. Nam quod erat prius calidum & ſiccum: vna qualitate mutata, fit frigidum & ſiccum. Vnde ſi viſus iudicio adquieſcatur, non niſi vinum naturale credetur. Si guſtus accedat, acetum innaturale probabitur. Quæ ergo cauſa vel non credẽdi, vel dubitandi tibi ô cœleſtium arcanorum ſcrutator, iam remanet: cùm quod de altaris ſacramẽto credendum fides interior imperabat, exẽplis indubitatis ſenſus exterior, nõ iam credere, ſed dubitata cernere

Epilogus exẽplorũ de Tranſubſtãtiatione.

nere compellat? Fit de aqua glacies, de glacie lapis, fit rurſus de eadem aqua ſalitus vel ſalſus (vt ſupra dictum eſt) lapis in his omnibus ſubſtantia mutata, ſpecie reſeruata, fit de vino acetum, qualitate (vt dictum eſt) mutata, ſpecie reſeruata, voluntatis diuinæ iuſſu ſic operante: & non poterit de pane Caro, & de vino Sanguis Chriſti fieri, ſubſtantia, vt in illis permutata, ſpecie reſeruata, omnipotentis verbi Dei, per quod omnia facta ſunt, volũtate ſic & imperio ordinante? An omnipotés ad illa potens creditur, & ad iſta impotés iudicabitur? An natura naturæ autore potentior ad illarum rerum ſubſtantiam permutandam, & ſpeciem reſeruandam cẽſebitur: & ipſius naturæ conditor ad ſubſtantiam panis & vini in aliud quàm fuerat permutandam, & ſpeciẽ quam habuerant reſeruandam, infirmior æſtimabitur? Et quia hoc ſacrũ & ſalutare Sacramẽtum aliud eſſe videtur, & aliud eſt: per virtutem verbi diuini ſubſtantia (vt iam ſæpe dictum eſt) mutata, ſpecie reſeruata, de mutatione quæ propoſita ſunt exẽpla ſufficiant.

Exempla rerũ quæ aliud eſſe uidẽtur et aliud ſunt

Sed de his adhuc aliqua proponantur, quæ in rerum natura aliud eſſe videntur, & aliud ſunt. Nónne cũ vino perfunderis, vel illud guſtu hauris, tactus renũciat, guſtus affirmat eſſe illud frigidum & humidũ: cùm in ſui cõplexione vel natura, nullo experto contradicente, ſit calidum & ſiccum? Nónne cùm remũ, virgam, vel baculum, vel quælibet ſimilia aquæ immittis: eam quę infra aquam eſt partem, viſus fractam eſſe renũciat: natura tamẽ, quę fracta eſſe videntur, integra vel infracta conſeruat? Nónne cùm vultũ proprium vel alienũ, cùm Solem vel Lunam, Cœlum vel

 Sydera,

Sydera,picturam vel corpus aliquod ſpeculo lucido,vel aquæ quietæ opponis, cuncta oppoſita in his tibi videre videris: cùm nihil in his,quantum ad rerũ veritatẽ pertinet niſi ſpeculi vel elementi corpora videas? Quòd ſi licitũ eſt,de illicitis artibus aliqua ad ſacra cœleſtia probãda proferre: nõne mœchanica vel magica árs quadã indulta à Deo potẽtia, humanos oculos præſtringẽs,quod nõ eſt,eſſe mentitur: & quod eſt,nõ eſſe fatetur? Nónne etiã ipſa ſomnia,ſopitis exterioribus ſenſibus humanas animas aſsiduè fallunt: dũ penè inceſſabiliter infinitas imagines,& phãtaſtica ludibria eis ingerentes,velant dormientibus ea quæ ſunt,& prętendunt ea quæ non ſunt?

Epilogus excẽplorũ iam dictorum. Quia igitur vinum aliud eſſe videtur, & aliud eſt,nam cũ tangitur,vel guſtatur,videtur eſſe frigidum & humidum,quod non eſt, & non ſentitur calidum & ſiccum quod eſt: quia remus aquę immerſus fractus videtur eſſe quod non eſt,& integer non videtur eſſe,quod eſt: quia corpus ſpeculo vel aquę oppoſitũ,corpus eſſe videtur quod non eſt,& nõ videtur quod eſt: quia magica vis, occulta arte phantaſticam diuerſarũ imaginum infinitatem oculis ingerit quæ non eſt,& rerum veritatem talibus tegumentis cælat quæ eſt: quia ſomniorũ viſio,nõ ſenſibus corporis,ſed ipſi animo omne corpus per multiplicẽ viſionẽ repræſentat,quod non eſt, & talibus inuolucris tegit illud quod eſt: quid mirũ ſi omni potentis miſericordia Dei misereri miſeri hominis, & hoc modo diſponens,in altaris ſacramento panis & vini ſpeciẽ humanis ſenſibus reſeruat, vt appareat in ipſo ſacramẽto panis & vinũ quod nõ eſt, & lateat oculos carnis Caro & Sãguis, quod eſt? Poſ-

ſent dari

ſent dari de his & alia innumera exẽpla,ſed quia longus eſſe refugio, nec ad aſſumptum propoſitum hoc pertinet:ſufficiant quæ dicta ſunt.

Conſilium piũ curioſis incredulíſq; utile.

Quæ ſi cui non ſufficiunt,conſulat & perlegat de hoc ſacramento magnorũ voluminum cõditores. Quod ſi forte nec ipſi curioſo animo ſatiſfecerint:neſcio quid aliud vtilius perſuadere poſſim,quàm vt ſi Chriſtianus eſt, Chriſtianæ fidei colla ſubmittat:& ſi intelligere nõ poteſt,ſecundum ſacræ ſcripturæ pręceptum,credat vt intelligat. *Eſa.7.* Quia in his craſsis tenebris ignorãtiæ humanæ,nõ fides intelligentiæ fructus,ſed intellectus fructus fidei eſt. Soluat ei omnes dubietatis nodos,de qua ſuperius egi,potẽtia Dei. Quia incredulitati nihil reliqui eſſe poteſt,vbi Omnipotens mortalibus cõſulens,ſic voluit,ſic potuit,ſic pręcepit,ſic fecit:cuius volũtas ratio,cuius oĩpotentia indeficiẽs,cuius præceptũ miſeratio,cuius opꝰ miſericordia eſt. Sed q̃a de his iã ſatis eſſe poteſt ad ea quorũ cauſa,iſta tetigimꝰ, reuertamur.

Iuge ſacrificiũ uſq; ad finem ſeculi.

Agite ergo,ô ſocij certaminis,quod cœperatis & ne mente exciderint, quæ dicta fuerant, iterate. Et quia de veritate ſacrificij Chriſtiani ſufficientia,vt credo,dicta ſunt:dicite cur idẽ ſacrificiũ, hoc eſt(vt iam dixi)corpus & ſanguinẽ redẽptoris cæteris inuidẽtes, diſcipulis qui cœnę domini illi famoſæ & vltimæ ante paſsionẽ interfuerunt,tantũ & nunquã poſtea,niſi tunc datũ concedatis. Quôd ſi differtis,ſicut nunc vſq; diſtuliſtis:probo nec illis tantũ, nec tunc tantum hoc datum,ſed fidelibus cunctis largum munus,à largitore omniũ munerum, vſq; ad conſummationem ſeculi præparatum. Sed ineffabiliter admiror,& admirans obſtupeſco, vnde opinio hæc

innaſci

innaſci hominibus Euãgelio Dei (vt dicunt) credentibus potuit: cum Chriſti verba huic nouæ hæreſi contraria ſic ibi poſita ſint, vt ſi ea dubia vel obſcura putantur, nulla eius eloquia vel pręcepta, certa vel perſpicua eſſe videantur. Quid enim certius, quid clarius dici potuit contra eos qui Corpus Chriſti & Sanguinẽ per Sacramentum tunc tantum facta, tunc tantũ data aſtruunt: quàm quod ipſe Chriſtus diſcipulis ſuis præcepit dicẽs, Hoc facite in meam commemorationem? Nam poſtquam dixit, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, & accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus; ſtatim quod dixi, adiunxit, Hoc facite in meam commemorationem. Quomodo ergo poteſt dici ſemel tãtum factum, & ſemel præſentibus datum ſacramẽtum: cùm nullum Apoſtolorum excludens, nullum tempus excipiẽs Chriſtus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem? Quomodo igitur audet hæreticus dicere, nolite hoc facere: cùm Chriſtus imperet, dicens, Hoc facite? Hoc planè, non aliud, hoc idem quod accipitis ad comedendũ, quod ſumitis ad bibendum: Corpus ſcilicet meum & Sanguinem. Hoc inquam, facite in meã commemorationẽ. Quid vltra? quid vltra certè quæritis? Ecce hoc ſolum & breuiſsimum verbum, multa & prolixiſsima erroris verba deſtruit: vt niſi ex ſuperabundanti, non ſit vlterius neceſſe quærere, vnde nequã hoſtis debeat interire. Non enim ſolũmodo dixit, accipite & comedite, vel accipite & bibite: ſed addidit, quod accipitis & comeditis, quod accipitis & bibitis, hoc facite. Si hoc ita eſt: falſum eſt, quod à vobis, ô hæretici, dictum eſt, tunc tantum hoc Sacramentum à Chriſto datum, tunc tantum

Hoc facite in meã cõmemorationem.

tantum ab Apoſtolis ſuſceptũ: quia quod fecit, eos facere præcepit, quod eis diſtribuit, hoc eos aliĳs diſtribuere voluit.

Sed fortaſſe his qui præſentes tunc erant, & à Chriſto iſta audiebant, non aliĳs, hęc huius ſacramenti conficiendi & diſpenſandi poteſtas data eſt. Quod ſi verum eſt, Apoſtolis tãtum & his qui audierunt à Saluatore præceptũ eſt, Ite in orbem vniuerſum, prędicate Euangelium omni creaturæ: nec docere omnes gentes, nec baptizare alicui poſt Apoſtolos licuit. Sicut enim dictum eſt, Ite docete, baptizate, prædicate: ſic dictũ eſt, Hoc facite. Vnde quicũq; poſt Apoſtolos prædicauit, docuit, baptizauit, quia nulli aliĳ quàm præſentibus tantum à Chriſto iuſſum fuerat: malefecit, quia nec eius doctrina Chriſti fuit, nec eius baptiſmus Chriſti fuit. Nam quod à Chriſto pręceptum aut ſuaſum non eſt: cõſtat quia Chriſti non eſt. Sicut enim dicit Apoſtolus, Quomodo prędicabunt, niſi mittantur: ſic etiam, Quomodo baptizabũt, niſi iniungatur? Quia ergo nihil in pręceptis iſtis, vel ſimilibus à Chriſto diſcretum eſt: aut date omnia hæc ſolis tũc præſentibus, & auferetis ſequentibus cũ baptiſmo & altaris ſacramento totum Euangelium: aut ſi baptiſmum & Euangelium ſequentibus cõceſſeritis, neceſſario & altaris ſacramentum cõcedetis. Si enim (vt dictũ eſt) nulla diſcretio in præceptis iſtis facta eſt: aut ſimul omnia præſentibus tantum iuſſa ſunt, & ſequentes excluſi ſunt, aut ſi ſequentibus aliquid horum præceptũ eſt: cõſtat, quia & totũ iniunctum eſt. Aut igitur dabitis ſolis illis altaris ſacramentum, & auferetis baptiſmum: aut ſi iſtis dederitis baptiſmum, velitis, nolitis, dabitis & altaris

Refellitur obiectio.

Primo, ratione.

Rom. 10.

Secundo refellitur autoritate & exemplo. altaris ſacramentum. Sed quid operoſæ diſputationi operam impendo, cùm tanta de facili ſuffragatur autoritas: vt ea apparẽte, ſtatim vana loquẽs cõticeſcat impietas? Quid enim? Nũquid Apoſtolus Paulus cœnę illi dominicę, de qua loquimur, interfuit? Nunquid quãdo diſcipulis dictum eſt, Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meũ, & accipite & bibite, hic eſt Sãguis meus, & hoc facite in meã cõmemorationem: præſens affuit? Quid tamẽ in Epiſt. prima ad Corinth. dicit?

1. Cor. 10. Audite. Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus: nónne cõmunicatio Sãguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus: nónne participatio Corporis domini eſt? Nunquid & ipſi Corinthij. cœnæ illi iam dictæ interfuerunt? His tamen ait ipſe Apoſtolus, Nõ poteſtis calicẽ domini bibere, & calicem dæmoniorũ. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dęmoniorũ. Videtis Apoſtolum lõgè poſt aſcenſionem domini ad fidem conuerſum, calici benedictionis benedicere: eundemq́; calicem communicationẽ Sanguinis Chriſti vocare? Cernitis eundem panem frangere, & ipſum panẽ participationẽ Corporis Chriſti dicere? Auditis Corinthios poſſe quidem calicem Domini bibere, ſed non cũ calice dęmoniorum? Poſſe menſę Domini participes eſſe, ſed non cum menſa dæmoniorum? Nec Apoſtolus tamen Paulus conſecrans Corpus & Sanguinem Domini, cœnæ Domini interfuit: neq; Corinthij idem Corpus & eundem Sanguinem de menſa Domini accipientes, eidem cœnæ interfuerunt.

Exẽplum & factum Pauli cir- Sed parũ eſt audire de fractione cœleſtis, panis loquentem: niſi videatis & frangentem. Vna die (ait beatus Lucas in Actibus Apoſtolorum.)

Cum

Cum conueniſſemus ad frangendum panem,& Paulus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum. Et quibuſdã interpoſitis, Aſcẽdens, inquit, Paulus, frangénſq; panem & guſtans, ſatíſq; allocutus vſq; ad lucem, in craſtinum profectus eſt. Sed ſiue hoc quod vltimum poſui, de cœleſti ſiue de cõmuni pane dictum ſit: videte (vt dixi) Apoſtolum, videte Corinth. qui cœnæ illi de qua agimus, non interfuerunt: & tamen Corpus & Sanguinem Domini acceperunt.

ca fractione panis. Act. 20.

Quòd ſi non tantum de Apoſtolo & Corinthijs, ſed de vniuerſis autoritatem Apoſtolicam vos conuincẽtem audire vultis, auſcultate. Quicunq;, ait, manducauerit panem vel biberit calicem domini indignè: reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Et conſequenter: Probet autem, inquit, ſeipſum homo:& ſic de pane illo edat & de calice bibat. Quid vos ad iſta? Quicũq;, inquit mãducauerit, quicunq; biberit. Non hic vel ille, ſed quicunq;. Et probet ſeipſum homo, non tantum Corinthius homo, non Romanus homo, non Græcus homo, non Latinus homo: ſed homo. Et quid aliud quàm omnis homo? Nã quod indefinitè poſuit, quid aliud quàm infinitum hominem oſtendit? Oſtendit igitur non vnũ hominem, ſed omnem hominẽ: quia in ſingulari hominis numero, pluralitatẽ intelligi voluit omniũ hominũ. Quòd ſi ita eſt, imò quia ita eſt: error impius non tantũ mortuus, ſed etiam ſepultus eſt. Si enim cõſtat hoc non de quolibet homine, ſed de omni homine ab Apoſtolo dictũ: falſum eſt quod à vobis dictum eſt, de his tãtum qui cœnæ domini interfuerunt hoc dictum. Sed verum eſt autoritate Apoſtolica hoc docente, non

Verba Pauli vniuerſaliter poſita. 1. Cor. 11.

hos tan-

hos tantum de quibus cōceditis, ſed quemcunq;, hoc eſt, omnem hominem poſſe manducare panem domini, & bibere calicem domini, hoc eſt, ſecundum eundem Apoſtolum; Corpus & Sanguinem Domini. Igitur falſum eſt quod dixiſtis, illos tantum qui cœnæ paſchali interfuerūt, potuiſſe accipere Corpus & Sanguinem Domini.

Quotieſcunq; ſumitis, Id eſt, quocūq; tempore.

Et licet in hoc quod probatū eſt de omni homine probatum ſit & de omni tempore: audite tamen vtrum huius ſacramēti conficiendi & ſumendi poteſtas, illi tantum tempori, quo cœna illa celebrata eſt, data ſit. Loquēs enim idē Apoſtolus de hoc ſacramento, & inde fidem pariter & mores inſtruens, introducit Chriſtum diſcipulis dicentē: Hoc facite, quotieſcunq; ſumitis, in meā commemorationē. Et ſubiungit Apoſtolus verba ſua, & dicit his quibus loquebatur: Quotieſcunq; enim manducabitis panem hūc, & calicem bibetis: mortem domini annūciabitis donec veniat. Quid dicetis ad hæc, qui dicitis ſemel tātum hoc factum & datum ſacramentum? Dicitis vos ſemel tantum, dicit Chriſtus & Apoſtolus eius, non ſemel, non bis, non ter aut quater, non centies aut millies tantum: ſed quotieſcunq;. Multa diuerſitas inter ſemel & quotieſcunq;.

Hic numeri principium: ibi numerus omnem exuperans numerum. Hic ſingularitas: ibi multiplex infinitas. Sed (vt dixi) vos dicitis ſemel: Chriſtus et Apoſtolus eius quotieſcunq;. Vnde videndū, nec multo conamine opus eſt, cui melius credēdum ſit: vobis an Chriſto, hominibus an Deo, veritati an mendacio. Sed quid multa? Audiſtis hoc Corporis et Sanguinis Chriſti Sacramētum omni fideli homini datum, audiſtis abſq; numero datum:

datum:audite & omni præſenti datum tempori. Quotieſcunq;,ait Apoſtolus,mãducabitis panem hũc,& calicem bibetis:mortem domini annunciabitis donec veniat.

Suffecerat Apoſtole Dei,ad confundendam & deſtruendã nouã hęreſin, quod dixeras Chriſtum dixiſſe, Hoc facite quotieſcũq; ſumitis in meam commemorationẽ. Suffecerat quod ipſe domini tui verba ſequendo,exponẽdo ſubiũxeras: Quotieſcunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,mortem domini annũciabitis. Sed quid adiunxiſti?Donec veniat, Quis veniat? An fortè mors domini? Non. Nam hoc & tu apertiſsimè negas:cùm dicis: Chriſtus reſurgens ex mortuis iã non moritur.Quis ergo veniat?Certè ipſe Dominus quem nominaueras,cùm dixiſti: Mortem Domini annunciabitis.Sed quãdo veniat?Quando,niſi quãdo vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos,ſicut ipſe prædixit, & Eccleſia eius credit? Sed & hoc quando? Quando, iuxta quod & ipſe dicit,venerit in fine ſeculi in maieſtate ſua,& omnes angeli cũ eo. Donec ergo veniat in fine ſeculi,dedit hoc Sacramentũ Corporis & Sanguinis ſui fidelibus per omne tẽpus huius ſeculi, id eſt, vſq; ad cõſummationẽ ſeculi. Obmuteſcat ergo hæreſis quæ dicebat,datum hoc eſſe tantũ in cœna Domini.Si enim vſq; ad cõſummationem ſeculi,non tãtum vſq; ad cœnam Domini: ſed cogentibus prædictis autoritatibus, datum eſt vſq; ad conſummationem ſeculi, Non igitur tantum in cœna Domini.

Donec ueniat.

Rom. 6.

Matth. 25

Iam illud quod non modo ab incredulis opponitur,ſed & à fidelibus quęritur,cur hoc ſacrificiũ toties iteratur,cùm Chriſtus ſemel in cruce

Queſtio de iteratione ſacri-

ficij, cum ſemel tãtum Chriſtus ſit oblatus.

oblatus ad tollẽda totius mũdi peccata ſufficiat: maximè cùm non hic aliud & ibi aliud, ſed hic & ibi idem prorſus Sacrificium, hoc eſt, idem Chriſtus offeratur: videndum eſt. Si enim illud in cruce ſuffecit: ſuperfluum hoc in altari videtur. Sed non eſt ſuperfluum: quia certa de cauſa à Dei filio (qui eſt, iuxta Apoſtolum, Dei ſapientia) factum & traditum eſt. Quę ſapientia, quia ſummè rationabilis, imò totius rationis fons, & perfectio eſt: nihil agere, nihil iubere irrationabiliter potuit. Vnde cùm hoc dixit, cùm hoc ſacramentum ſuis tradidit, non abſq; certa ratione (vt certum eſt) fecit. Quæ ſola ratio omnibus ſatisfacit, quicunq; Chriſtum huius ſacramẽti autorem Deum & Dei eſſe ſapientiam credunt.

Hãc quoq; quæſtionẽ tractat Alger. lib. 1. cap. 16.

Ratio hic datur, cur reiterãdũ ſit ſacrifi.

Placuit tamen largitori tanti muneris, cauſam reddere tantæ largitionis. Quam cauſam, dando ipſum ſacramẽtum, aperuit. Nam poſtquam dixit, hoc facite: ſtatim addidit, in meam commemorationẽ. Hæc eſt ergo cauſa ſacramenti, commemoratio Chriſti. Nouerat Saluator quid fecerat, quid facturus erat propter hominẽ, nouerat ſingulare opus quod geſſerat induendo hominẽ, nouerat ſtupendum quod geſturus erat moriẽdo propter hominem. Sciebat hoc ſe opere ſaluaturum hominem: ſed abſq; huius operis dilectione nullum ſaluari poſſe hominem. Sciebat quia humanitatis & mortis ſuæ opus, ſicut ſuper omnia opera ſua ſummè celebratũ: ſic mortalibus pro quibus fiebat ſummè erat cõmendandum. Commendandum erat, vtpote cuius caro pro illis torquebatur, cuius anima pro ipſis triſtabatur: cuius nouiſsimè mors illorũ vitæ miniſtrabatur. Hoc certè ſolẽniter cõmendandũ erat, vt Chriſtus diligeretur,

NOTA.

ligeretur,dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc eius dilectio ab hominibus ſeruari non poterat memoria pereũte, nec fugax memoria diu retineri valebat, niſi ſigno cõgruo apparente. Ne igitur à corde fugeret, quod maxime cordi ineſſe oportebat, ſigno rei congruente, veluti fune inſolubili colligata eſt cordi memoria, quo fortiter vinciẽte, ſemper redẽptus redẽptionis preciũ cogitaret: indeq́; redemptori agẽs gratias, fide quæ per dilectionẽ operatur, nequaq̃ ſe ingratum tantæ gratiæ demonſtraret.

Et poſſet quidem mẽtibus humanis, huius rei vtcunq; abſq; ſigno viſibili ineſſe memoria, ſicut multarum rerum tam diuinarum quàm humanarum recordatio, fama, lectione, doctrina in eis aut gignitur aut cõſeruatur: ſed quia iuxta quendam, Segnius irritãt animos demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & res tanta erat, vt ad eam cogitãdam, amandam, amplectendam, non ſegniter, ſed inſigniter, humani animi mouendi eſſent: dignum & iuſtum fuit, vt humanitatis & mortis Chriſti memoria, nõ tantum auditu per aures, ſed etiam viſu per oculos iuuaretur. Ea de cauſa ſignũ hoc à Chriſto propoſitum eſt, quod ita ſignum eſt: vt ſit tamen idem quod ſignat.

Inſignis memoria mortis Chriſti inuiſibili ſacriſic. iſto

Horàtius.

Signum et ſignatum idem.

Hoc autem contra veteris ſacrificij multiplicitatem* quæ in nullo erat idem quod ſignabat præter hoc quod illud ſacrificium erat, & iſtud ſacrificiũ eſt: & illud Deo offerebatur, & iſtud eidẽ Deo offertur. Signabat verò hoc, noſtrum noſtri tẽporis Sacrificiũ, ſed non erat hoc quod iſtud: quia illud vmbra, hoc Corpus: illud figura, hoc veritas: illud de cadaueribus & cruore aĩaliũ, hoc

Differẽtia inter noſtrum & Ve. teſt. ſacrificia.

*quod

de Corpore & Sanguine filij Dei. Idcirco non erat idem quod ſignabat. Sed iſtud noſtri ſacrificij ſignum, non aliud, ſed ipſum eſt quod ſignat. Ita verò eſt idem quod ſignat, vt quantum ad Corpus, id eſt, ad veritatem Carnis & Sãguinis Chriſti pertinet: ſit idem quod ſignat. Neq; enim ibi Chriſtus, vt olim, dolores aut mortem patitur: cùm tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari: cùm (licet inuiolabiliter) in altari frangitur, diuiditur, comeditur: cum his & quibuſdam alijs ſignis, in quantum fieri poteſt, mors domini maximę repræſentatur. Vnde ſicut dixi: quãtum ad veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti pertinet, eſt idem quod ſignat, quam tamen maximè ſignat. Maximè autem dixi: quia hoc apertiſsimè Apoſtolus dicit in verſu quem ſupra commemoraui. Quotieſcunq;, ait, manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis. Quare hoc? quare non ſimiliter, ô Apoſtole Dei, dixiſti, Incarnationem domini, Natiuitatem domini, Circuncisionem domini, Baptiſmũ domini: vel quod maius videretur, Reſurrectionem domini, Aſcenſionem domini, quando dixiſti mortem domini? Quare illa quæ glorioſa videntur, dimiſiſti: & quod erat ignominioſius, elegiſti? Vt, inquit, oſtẽderẽ in morte domini ſingulariter cõſtare ſalutẽ mundi, vt oſtenderẽ iſtud opus eius præponderare omnibus operibus eius, vt oſtenderẽ tormento illo, requiem: ignominia illa, gloriã: morte illa, mortuis redditã vitam. Ita planè, ita iuxta Apoſtolũ, quando manducatur panis Domini, id eſt, Corpus Domini, quãdo bibitur calix Domini, id eſt, Sãguis Domini, annũciatur, hoc eſt, repræſentatur mors Domini, quã

Quomodo idẽ ſacrificium in cruce & in altari.

Quomodo immolatur in altari.

Cur mortẽ Domini annũciamus in hoc ſacrificio.

paſſa eſt

paſſa eſt in cruce,non alia, ſed eadẽ quæ eſt præſens Caro domini:qua fuſus eſt nõ alius, ſed idẽ qui ſumitur Sanguis domini. Quod cùm fit,ad hoc vtiq; fit, vt mens longè vehementius excitata Corporis domini ſuſceptione, quã poſſet excitari verbi Domini admonitione: in amorẽ eius quem non tantum audit,ſed etiã videt & ſuſcipit inardeſcat:& videns Verbum carnem factum vt habitaret in nobis,habitans etiam corporaliter & in ſe,obliuiſci iam nullatenus poſsit, quẽ fidę credit,amore amplectitur,manu contrectat, ore ſuſcipit. Quem quondam pro ſe mortuum, ipſa ſuſceptione recolens,& morte illa vitam ſibi paratam agnoſcens,à mortis operibus abſtineat:& ſic eidẽ Chriſto domino ſuo, immortaliter iam viuenti,in ſempiternũ conuiuat. Hoc igitur Eccleſiæ ſacramentũ,quoniã ſic aſsidua ſui repræſentatione memoriam innouat, fidẽ auget, ſpem roborat, Charitatem cõfirmat: non ſuperfluum, ſed ſummè neceſſariũ eſt. Ea propter (vt dictum eſt)dominus hoc in ſui commemorationem fieri iuſsit,ea de cauſa mortẽ domini iſto ſacramento denunciari, Apoſtolus docuit: vt Chriſti ac mortis eius memoria auelli de cordibus humanis,nulla mundi inquietudine, nulla temporum prolixitate valeret. Quę memoria amorem excitans,de animi receſsibus mala omnia effugaret, virtutibus vniuerſa repleret: ſicq; quotidie per hoc Sacramentũ innouans redẽptionẽ, quotidianam pœnitẽtibus peccatorum gigneret remiſſionẽ. Soluit quidẽ & plenè *tollit peccata mũdi Agnus Dei in cruce immolatus: nec tamen idcirco (vt dixi) ſuperfluus eſt in altari oblatus.

Quã vtilis nobis eſt memoria mortis Domini in ſacrificio.

**tulit*

Et vt in te ipſo à te ipſo hoc diſcas, aduerte

quicunq; hæc legis, teq; ipſum interroga, quando magis mouearis, ſi tamen quod profiteris firmiter credis: vtrum quādo dicitur, Chriſtus olim inter homines apparuit, an quādo dicitur, Chriſtus nūc inter homines conuerſatur: quando dicitur olim in cruce pependit, an quando dicitur, nunc in altari offertur: vtrum, inquam, te magis moueat, & ad admirandum & amandum, accendat, eius prædicata abſentia, quàm demonſtrata præſentia. Sed ſcio quia non diffiteris quod verum eſt, magis humana corda moueri præſentibus quàm abſentibus rebus, quia iſtis plerunq; nō creditur: de illis vel in modico dubitare animus non ſinitur.

Per hoc ſacrificiū excitatur amor in Chriſtum. *Luc.* 7. *Prou.* 10. 1. *Petr.* 4.

Mouetur igitur magis ad pręſentem quàm ad abſentē, mouetur magis ad viſum, quàm ad auditum Chriſtum, mouetur ad admirandū, mouetur ad amandum: quo amore, amanti generatur remiſsio peccatorum. Cui quantus erga Chriſtum amor eſt, tanta eſt & indulgētia: ipſo Domino atteſtante, qui de peccatrice Maria ſic ait, Dimiſſa ſunt ei peccata multa: quoniā dilexit multū. Et cùm rurſus ſcriptū ſit, Charitas operit multitudinē peccatorū, quantā multitudinem peccatorū operit charitas in Chriſtū: ſi tantū operit charitas in proximum? Non eſt ergo (vt dictum eſt) ſuperfluū Chriſti Corporis & Sanguinis Sacramentū: quo viuatior memoria excitatur, quo feruentior dilectio prouocatur, quo plenior peccatorū remiſsio cōparatur. Non eſt ſuperfluum, quia non tantū per id quod Deus eſt, ſed etiā per id quod homo eſt, nobiſcū eſt vſq; ad cōſummationē ſeculi. Nō eſt ſuperfluū, quia qui per Corpus ſuū redemit nos, per idem Corpus ſuū reficit

nos: vt

nos:vt redempti per Corpus eius,& refecti Corpore eius, nutriamur & paſcamur humanitate eius,donec ſatiemur deitate & gloria eius.

Inde eſt quòd in ſpeciebus humano victui & vitæ magis congruentibus hoc Sacramentũ conſtituit: vt agnoſcerent aduertentes per ſpeciem quidem panis terreni, ſed per veritatẽ panis cœleſtis,non mortalem quam ſolet ille, ſed vitã datam hominibus immortalem. Vnde ſolitario & ſtupendo miraculo, latet in illo ſacramẽto quod eſt,& patet quod non eſt:ne cruda carne, ne viua & maximè humana,veſci homo contra vſum & naturã refugiat:quod olim quidã etiam ex diſcipulis execrantes, nec quod inde à Domino dictum fuerat capientes,dixerũt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sed non eſt durus,imò lenis & ſuauis ſermo, quia etſi homnis Chriſti Caro comeditur, non tamen læſi aut detruncati,non imminuti aut mutilati,non nolentis neq; dolentis,ſed volentis & conſulentis Caro comeditur, & Sãguis bibitur,ipſo (iuxta beati Apoſt. Andreæ verba) in ſuo regno integro,intacto,inuiolato, immortali, incorruptibili, imò ſpecioſo,glorioſo,adorando permanẽte,& mortales per iam immortale corpus ſuum,ad eãdem immortalitatẽ perducente. Non eſt ergo durum, crudele:ſed pium & amabile, quia non nolens neq; coactus: ſed volens & ſpontaneus hominibus Carnem ſuam ad mãducandum,Sanguinem ad bibendum dedit. Nec irrationabile,quia vnde peccatoribus venia: inde largitori tantæ gratiæ debetur & gloria. Manet tamẽ tecta veritas Carnis & Sãguinis,honeſta panis & vini ſpecie: vt & vſui humano cõdeſcendatur, & fides exerceatur,

Cur Chriſtus adeſt, nõ ſub proprijs,ſed ſub panis & uini ſpeciebus

Ioan.6.

& meritũ augeatur. Inde eſt quod ſacramentum, myſterium, ſpecies & figura vocatur: quia intra hoc quod exterior forma nunciat, virtus diuina verum Corpus & Sanguinem redemptoris occultat.

Corpus Chriſti quare nobis in cibũ datur?

Sed adhuc carnalis animus & nondum plenè ab humana cõſuetudine defœcatus obijcit, & dicit, Verum quidem Corpus & Sãguinem redemptoris ſub panis ac vini ſpecie in altaris ſacramento dari fidelibus, ſcio: ſed cur ad manducandum vel bibendũ detur (ſi liceat quęrere) quæro. Nã ſi ad honorandum, ſi ad adorandũ tantũmodo daretur: quæſtio non eſſet. Sed quia etiam ad manducandũ datur, animũ nondũ perfectè ſublimia ſapientem, mouet. Quem enim nõ moueat, ſicut quondã illos Chriſti diſcipulos mouit: contra humanum morem, cõtra pietatem, Carnem Chriſti vel Sãguinem, imò Deum & hominẽ ab hominibus, magiſtrũ à diſcipulis, dominũ à ſeruis, Chriſtũ à Chriſtianis, manibus frãgi, dẽtibus atteri, & velut eſcarum more cõmuniũ deuorari?

Reſpõſio.

Hæc, inquam, qui obijcis, ſicut ipſe fateris, à primis Chriſti diſcipulis Chriſto obiecta ſunt: quando ab eis dictum eſt, Durus eſt hic ſermo, Et quis poteſt eum audire? Hæc à Iudæis incredulis, & de hac re litigãtibus dicta ſunt, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuã dare ad mãducandum? Hæc certè quæſtio non noua, ſed antiqua: nõ recens, ſed vetuſtiſsima eſt: quæ ſicut in ipſis Chriſtianæ fidei fundamentis exorta eſt, ſic nõ à quolibet doctore, ſed ab ipſo ſaluatore (vt ſanctum Euangeliũ loquitur) extincta eſt. Cun꜃ ſimul ac penè eodem momento & ortum habuerit & occaſum: nimium rudis Chriſtianus videtur, qui

talibus

talibus quæſtionibus ante mille annos ſepultis, mouetur. Quia tamen nihil contemnendum eſt, quod vel fidem lædere, vel ad ſcandalũ quorumlibet poſsit corda mouere: ferat hoc etiam ęquanimiter quæ omnia ſuffert Charitas: vt membrorum Chriſti per eius patientiam ſanetur infirmitas. Nam & hoc Saluator ipſe, medicus videlicet cœleſtis, de talibus infirmis faciẽdũ eſſe docuit, quando rudibus adhuc diſcipulis & propter huiuſmodi verba ſcandalizatis, non aſperè corripiẽs, ſed benignè admonens, dixit, Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filiũ hominis aſcendentem vbi erat prius, ſpiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquã. Quibus breuibus verbis totum hoc ænigma, ſi attendas, ſole clarius ſapiẽtia Dei diſſoluit: quia ſpirituali lumine, carnalium cogitationum nebulas effugauit. *Ioan. 6.*

Si, inquit, videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius: ſpiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Hoc eſt, quia me hominem inter homines videtis, nihil de me adhuc, quantũ ad hoc ſacramentũ ſpectat, pluſquam de alio homine ſentire poteſtis: & ideo carnaliter ſapientes, velut per fruſta conciſam carnẽ meam me vobis velle dare creditis. Sed poſtquã in cœlum aſcẽdero, poſtquã hanc carnem, de qua agitur, adhuc mortalem, in Deum glorificauero: tũc intelligetis quia ſpiritus eſt qui viuificat, hoc eſt, verba mea ſpiritualiter accepta viuificant: Caro autem non prodeſt, quicquã, quia carnaliter intellecta, mortificant. Dabo enim Carnem meam hominibus, non more cadauerũ detruncandam, minuendam, conſumẽdam: quia ſic accepta Caro mea, non prodeſſet quicquam: ſed dabo eam *Nota expoſitionẽ uerborum Chriſti paraphraſticam.*

abſq; dolore diuidendam, abſq; imminutione partiendam, abſq; conſumptione comedendam: quia ſpiritus eſt qui viuificat, & quia ſic intellecta & accepta Caro mea, vitam non mortalem, ſed æternam percipientibus donat.

Cur Caro Chriſti detur fidelibus ad mãducandũ.

Sed adhuc vrges & dicis: Et ſi data eſt Caro Chriſti hominibus immortaliter & inuiolabiliter ad honorãdũ & adorãdũ: quare ad comedendũ? Quod enim honorari, quòd adorari debeat, fidelibus omnibus certum eſt: quòd autẽ & comedi, quia comeſtionis ratio nõ videtur, profecto admirabile & ſuper omnia ſtupendũ eſt. Fateor planè & ego, fatetur & omnis * ſanũ ſapiẽs, hoc ſuper omnia miracula ſtupẽdũ & admirabile eſſe. Sed nunquid tu qui rationẽ tanti ſacramenti exigis, cuncta reliqua ſacramenta Dei ratione cõpræhendis? Nónne ſola volũtas Dei omni humana ratione rationabilior eſt? An nõ intelligis hoc voluntatem Dei eſſe, quod rationẽ: cùm omnis voluntas Dei ſit ratio, & omnis ratio ſit eius voluntas? Nam ſicut eius voluntas non poteſt eſſe irrationabilis, ita & ratio nõ poteſt non eſſe illius volũtatis. Cùm hæc ita ſint, omni rationi & rationabili menti ſufficit voluntas eius: etiam nõ expoſita ratione volũtatis eius. Vnde in hoc ſacramento, ſicut & in cæteris, ſufficit voluntas & prǽceptũ eius: cúm conſtet nec ſummã ſapientiam errare, nec ſummam rationem aliquid irrationabiliter agere poſſe. Sufficit ergo & omnino abundanter ſufficit ad rationem, Chriſtum Dominum hominibus Carnem ſuam ad mãducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum dediſſe.

**ſane*

Reſponſio ſumpta ex uoluntate Dei.

Sed licet (vt dictum eſt) ſit cõtra rationem, Dei cognita voluntate, eius quærere rationem: ne tamen hic

men hic catholicis deeſſe, vel eos latere putetur: quod de tanti ſacramenti ratione inſtitutor Deus aperit, aperiatur.

Dat planè Carnem ſuam, dat Sanguinem ſuũ, non ſolum ad honorandũ, non ſolũ ad adorandum: ſed etiam ad manducandum & bibendum Chriſtus hominibus: vt ſicut abſq; carnali cibo & potu, nullum mortalium mortalẽ & miſeram vitam poſſé tranſigere cernitur: ſic abſq; iſta ſpirituali eſca & potu, neminẽ immortalem & beatam vitã aſſequi poſſe credatur. Quomodo enim melius, quomodo apertius commendare potuit mundo ſe eſſe vitam hominum: quàm exemplo illarum rerum, in quibus eſt vita hominum? In cibo enim & potu, vita eſt omnium hominum: atq; inter multiformes eſcas & pocula, quibus vita ſuſtentatur hominum, principalem obtinẽt locum panis & vinũ, quibus ſalubrius, & ſolennius vita quotidie recreatur & reformatur hominum. Vnde has ſolennes & ad vitam temporalem hominum conſeruandam principales ſubſtantias, ad vitam ſempiternã hominibus reſtaurandam, Dei ſapientia fortiter ſuauiterq; diſponens omnia, aſſumere voluit, eaq; de cauſa in illarum ſpecie Carnem ſuam ad manducandum, Sanguinem ſuum ad bibendum, hominibus dare decreuit. Oſtendit in iſtis, & longè clarius hoc ſacramẽto, quàm verbis edocuit, nõ eſſe aliã vitam æternam hominum, niſi ſeipſum: dum ſimilitudine eorum eſcæ carnalis, ad eſcam eorum & potum ſpiritualẽ, nihil aliud dare voluit, quàm ſeipſum. Nam cùm Dicit, Ego ſum via & veritas, & vita, Itemq; cum ait, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum

Ratio alia cur detur nõ ſolũ ad honorandum, non ſolum ad adorãdũ: ſed etiã ad mãducandum.

Chriſtus, uita hominum.

Sapien. 8.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

Ieſum Chriſtum: vitam eum eſſe æternam, diſcũt homines audiendo: ſed cùm dicit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, Itemq́ cùm ait, Panis quẽ ego dedero, Caro mea eſt pro mundi vita: vitam eum eſſe hominum ſempiternam diſcunt homines comedendo. *Ioan. 6.*

Comedendo melius quam audiendo uita cognoſcitur.

Comedendo ergo melius quàm audiendo diſcũt eum homines ſuam eſſe vitam immortalem, ſicut eſcis corporalibus ſuam enutriunt vitam mortalem. Vt ergo nõ tantum verbis diſcerent, ſed etiam familiarius factis ſentirent homines, ſe mori perpetuo ſeiunctos à Chriſto, ſe non poſſe ſemper viuere niſi coniunctos & vnitos Chriſto, ad ſimilitudinem eſcæ & vitæ carnalis accipiunt Corpus Chriſti, bibunt ſanguinem Chriſti, non ab alio data, non ab alio ſuſcepta, quàm ab ipſo Chriſto: qui eorum poſt hanc vitam futurus eſt eſca, hoc eſt, vita & beatitudo æterna. Hoc vt oſtẽderet, vt propter hoc Carnem ſuam ad manducandũ, Sanguinem ſuũ ad bibendũ, omnibus ſe dare velle ſignaret: ducta ab eremitico manna ſimilitudine, ait in Euangelio Iudæis ſe de ſuo manna iactãtibus, Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis de cœlo panem verum. Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mũdo. Panis enim ille non cœleſtis fuerat, ſed aërius: hoc eſt de aere Deo ibi eum creãte, delapſus: licet aêr impropriè cœlum dicatur, ac propter hoc mãna inde delapſum, panis cœleſtis vocetur. Sed nõ fuit tamẽ illud manna panis cœleſtis, ſed eſt Dei filius de cœlo deſcendens (vt ipſe fatetur) panis cœleſtis, qui etiam antequam de cœlo deſcenderet, panis, hoc eſt, vita erat

Ioan. 6.

Mãna quo modo cæleſtis cibus.

ta erat

ta erat angelorum, & poſtquam de cœlo deſcendit, panis, hoc eſt, vita factus eſt hominum. Vnde ſe non mortuum, ſicut manna fuit, ſed vinum panem vocat: quia illud mortuum, reficiebat moritura corpora Iudæorum: iſte autem panis viuus, in æternum victuras animas reficit Chriſtianorum.

Quòd autem effectus ipſe viuendi quem panis viuus præſtat, in præſenti non confertur, ſed in futuro differtur, hæc eſt cauſa: quia ſacramentum quidem corporale eſt, quia verum Corpus & verus Chriſti Sanguis eſt: ſed res ſacramenti, id eſt, ſalutis quæ ſequitur effectus ſpiritualis eſt. Ideo ipſum ſacramētum, hoc eſt, eſca Corporis Chriſti & potus Sanguinis Chriſti, licet ſint corporalia, hoc eſt, verè corpora: dicuntur tamē ſpiritualia, hoc eſt, ſpiritualiter ſalutis effectum operantia, ſicut docet Apoſtolus de patribus loquens: Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Quod quia neq; de manna Iudaico, neq; de aqua ex petra producta ſenſerit, ſed de Chriſto, hoc eſt, eius Corpore & Sanguine, de quo & Moyſes ſcripſit, clariſsimè demōſtrat, cùm addit, Bibebant autem de ſpirituali, ſequēte eos petra: petra autem erat Chriſtus. De petra ergo quę eos ſecutura erat, id eſt, de Chriſto qui poſt eos venturus erat hoc dixit. Qui ſpirituale eſcam & ſpiritualem potū, hoc ęſt, Corpus ſuū & Sāguinem, vitam æternam hominibus ſpiritualiter conferentem, in ſacramento ſæpe nominato donauit. Quod tantæ virtutis fuit, vt nō ſolum Chriſtum ſequentes, ſed etiam ab initio mundi ipſum pręcedentes fideles: non quidem corporaliter ſicut

Cur in futurū differtur effectus ſacramenti euchariſtiæ præcipuus.

1. Cor. 10.

Petra ſpiritualis.

poſt

poſt illũ vniuerſi, ſed tamẽ ſpiritualiter ſicut vniuerſi, omnes eandem eſcã ſpiritualẽ manducauerunt, & omnes eundem potũ ſpiritualem biberunt, hoc eſt, eundem ſalutis effectum, quem poſt Chriſtũ Chriſtiani: eundẽ & omnes illi de Chriſti Corpore & Sanguine reportarent. Idcirco (vt iam dictũ eſt) omnes, tam primi quàm vltimi ad Corpus Chriſti & ad ſalutis æternæ myſterium pertinentes, omnes omnino eandem eſcam ſpiritualem manducauerũt, & omnes eundem potum ſpiritualẽ biberunt. Vt igitur vita æterna ſpiritualiter & inuiſibiliter mundo in præſenti collata, corporaliter & viſibiliter in futuro cõferenda ſignaretur: data eſt Caro Chriſti ſub ſpecie panis ad comedendum, datus eſt Sanguis Chriſti ſub vini forma hominibus ad bibendũ: vt ſicut pane & vino ad vitam mortalem principaliter homines vtuntur: ſic ad vitam immortalẽ, quod eſt ipſe Chriſtus, Corpore Chriſti & Sanguine hic ſpiritualiter, poſtmodum verò tam ſpiritualiter, quàm corporaliter in æternum paſcantur.

Claret igitur ratio non ſolũ in futuro, quando intrandum eſt in ſanctuarium Dei, & intelligendum in nouiſsimis eorũ, ſed etiã in præſenti, quando adhuc ſub nubilo cuncta fiunt: claret, inquam, cur non tantũ ad honorandũ, non tantum ad adorandum, ſed inſuper ad manducandum Carnem ſuã, & bibendũ Sanguinem ſuum, Chriſtus Chriſtianis, Dominus ſeruis, Deus hominibus dare voluit. Nemo ergo apponat impietatem, velut læſi vel comeſi Domini: nemo crudelitatẽ: velut truncati vel dolentis Corporis: nemo ſtultitiam, velut homines humanã carnem abſq; ratione edẽtes: quia non eſt impium, vbi om-

Pſal. 72.

vbi omnis pietas non eſt crudele, vbi nulla paſſio, non eſt irrationabile, vbi ſumma ſapientia, quæ de ſectione ſua nullum dolorem, de participatione ſua, nullam imminutionem, de comeſtione ſua, nullam patitur conſumptionem: imò comedentibus æternam inde prouidet & præparat reparationem: quatinus & in hoc ſeculo & in futuro panis & vita ſit hominum: qui ſemper beatorum panis eſt & refectio angelorum.

D. ADELMANNI EX SCOLASTICO LEODIENSI, Epiſcopi Brixienſis, de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia, ad Berengarium, Epiſtola.

Dilecto in Chriſto fratri conſcholaſtico Berengario Adelmannus, ſalutem iu Domino.

COllactaneũ te meũ vocaui, propter dulciſſimũ illud contuberniũ quod tecũ adoleſcentulo ipſe ego maiuſculus in Academia Carnotẽſi ſub noſtro illo venerabili Socrate iucũdiſsimè duxi: cuius de conuictu gloriari nobis dignius licet q̃ gloriabatur Plato gratias agẽs naturę, eò quòd in diebus Socratis ſui, hominẽ ſe & nõ pecudẽ peperiſſet. Nos enim ſanctiorẽ vitam, ſalubriorẽq; doctrinã catholici & chriſtianiſsimi hominis experti ſumus, & nũc ei⁹ apud Deũ precibus adiuuari ſperare debemus. Neq; enim putãd⁹ eſt memoriã in qua nos tãq̃ in ſinu materno ſemper ferebat amiſiſſe, aut verò charitas Chriſti qua ſicut filios amplectebatur ĩ eo extĩcta eſt: ſed abſq; dubio memor noſtri & diligẽs plenius quã

cùm

cùm in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad ſe votis & tacitis precibus, obteſtans per ſecreta illa & veſpertina colloquia quæ nobiſcũ in hortulo iuxta capellam de ciuitate illa quam Deo volente ſenator nunc poſsidet ſæpius habebat, & obſecrãs per lachrymas quas interdum in medio ſermone prorũpens, exundante ſancti ardoris impetu emanabat, vt illuc omni ſtudio properemus, viam regiam directim gradientes, ſanctorum patrũ veſtigijs obſeruantiſsimè inhęrentes, vt nullum prorſus diuerticulum, nullam in nouã & fallacem ſemitam deſiliamus: ne fortè
Pſal. 139. in laqueos & ſcandala incidamus, quia ſicut ait Pſalmiſta, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Nam quod eſt iuxta iter, hoc eſt extra iter. De via autem quid dicit? Pax multa diligentibus legem tuã, & nõ eſt illis ſcãdalũ. Et quid eſt lex domini,
Pſal. 118. niſi via domini? Sicut in alio Pſal. cãtatur, Viam mãdatorũ tuorũ cucurri, cùm dilataſti cor meũ. Ergo in via pax, extra viam ſcãdalum. Hoc ſcandalum incurrũt, qui per hæreſes & ſchiſmata deuiantes, pacem catholicam impijs contentionibus reſcindunt. Quos nihilominus in Pſal. 13. ita annotatos aduertimus: Cõtritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis nõ cognouerunt. Ecce ſcandalum vel potius ſcandala, nempe contritio & infelicitas ęterna: quę occurrunt in ſemitis hęreticorũ, viã pacis catholicæ noſſe recuſantium. Auertat dominus à te ſancte frater ſemitas tales, & cõuertat pedes tuos in teſtimonia ſua, & mendaces oſtendat qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, ſpargentes vſquequaq; vt nõ ſolum latinas verũ etiam teutonicas aures inter quas diu peregrinor repleuerint, quaſi te ab vnitate

tate ſanctæ matris Eccleſiæ diuulſeris, & de Corpore & Sanguine domini quod quotidie in vniuerſa terra ſuper ſanctũ altare immolatur, aliter quàm fides catholica teneat ſentire videaris. Hoc eſt, vt illorum de te dictis vtar, nõ eſſe verũ Corpus Chriſti neq; verum Sanguinem, ſed figuram quãdam & ſimilitudinem. Hæc ante hoc biennium cùm audiſſem: fraternitatem tuam per epiſtolam cõuenire, idq; ex teipſo certius ſciſcitandum eſſe decreui. Sciens porrò familiarem tuum Dominum Paulinum Metenſem primiceriũ tibi propiorem, tibiq; aliquanto viciniorem eſſe, & mea petitione & ſua pollicitatione delegaui ſibi huius negotij executionem. At ille (non enim in hac re laudare eum poſſum) negligens, ſiue alterutrum, ſiue vtrunq; noſtrũ, vſq; adhuc reliquit me ſuſpenſum. Sed diuina gratia nos nunquã negligẽs inopinato mihi obtulit melius quàm optabam. Optabam autem inuenire hominẽ peregrinandi vſu exercitatũ, regionis & linguę Francorum non ignarum: & ecce ſtetit mihi è latere frater iſte G. ex tuo nomine me ſalutans. Obſtupui præ gaudio, & tamen non potui tam repentino euentui fidẽ integrã habere: quia frater idem nullũ abs te ſignũ literatorium (vti mos eſt inter amicos tam longè remotos tamq; diu non viſos) afferebat, quod tamen ipſum multis de cauſis facile perſuaſibilibus excuſabat. Siue ergo verè, ſiue aliter hoc agebat, ego eũ à domino pręparatũ mihi eſſe non diffidens, nolui diutius diſsimulare, quin ipſe mente ac ſpiritu meo præſentibus literis tanq̃ pennis induto, per tanta terrarũ ſpatia tranſuolarem, obſecrans per miſericordiam Dei, per ſuauiſsimã memoriam Fulberti, vt pa- D. Fulber.

tus Epiſcopus Carnotenſis. cem catholicã diligas, neq; cõturbes rem publicam Chriſtianæ ciuitatis benè cõpoſitam à maioribus noſtris, pro qua tot millia martyrũ contra idololatriã & regnum diaboli fortiter certantes triũphauerunt: ſubindeq́; ſancti doctores bella ciuilia ab hæreticis cõmota ſalutaris eloquentiæ fluminibus reſtrinxerunt, itaq; eam circunquaq; munierunt: vt iam nouus hoſtis nullus oboriri queat, qui aduerſus eam aliquid nitens, non continuo mille iaculis deſuper ruentibus obruatur. Ideò confuſi ſunt omnes & defecerunt. Vbi enim ſunt Manichæi? Vbi Ariani? Quo nam tota illa factio perditiſsimorũ ciuium euaſit? Computruit etiam memoria eorũ. At verò Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & alij plures beſtiarũ taliũ oppreſſores, cum laudibus viuũt, quotidieq́; ſplendidius effloreſcunt. Bonum eſt frater nobis paruulis, ſub iſtorum ducum titulis deliteſcere: quorũ tam valida tamq́; probabilis eſt apud eccleſiaſticas aures autoritas ſanctarũ virtutũ fulgore, cœleſtis ſapientiæ luce præpollẽs, vt extremæ iã ſit demẽtiæ, vel de ratione fidei, vel de ordine rectè viuendi, eis in aliquo refragari. Quare? Nónne homines erãt, & falli ab alijs, atq; ipſi fallere alios poterant? Ita enim dicit ſcriptura verax, quia omnis homo mẽdax. Vnde ergo eò culminis peruenerunt, vt tam ratum habendum ſit quicquid de diuinis myſterijs ſenſerunt, memorięq́; mandauerũt? Nam & gẽtiles magni quidam & nobiles philoſophi, multa falſa quæ iure contemnimus, nõ ſolùm de creatore Deo, ſed de hoc mundo & his quæ in eo ſunt, ſenſiſſe inueniũtur. Quid enim abſurdius affirmari poteſt, quàm cœlũ aſtraq́; omnia ſtare, terrã verò rapida vertigine in

Pſal. 115.

ne in medio circunferri, falli verò eos qui putēt cœleſtia moueri, quemadmodum falluntur nauigantes, quibus turres atq; arbores cum ipſis littoribus videntur recedere, ſolem præterea non calere, niuem nigram eſſe, audire quis ferat? Sunt apud illos plura æquè monſtruoſa, quę proſequi lōgum eſt & nugatorium. De quibus doctor noſter, Dicentes inquit ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Non hos elegit Dominus: qui ſuperbiæ inflati ſpiritu, euanuerunt in cogitationibus ſuis. *Rom. 1.*

At noſtri illi patres humiles corde ac pauperes ſpiritu, pro quibus Saluator patrē glorificat hoc modo, Cōfiteor tibi pater domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. Ideo veraces ſunt: quia participauerūt & cohæſerūt illi qui ait, Ego ſum via, & veritas, & vita. De quo etiam intus didicerūt, quod de Sacramēto hoc de quo agimus foris docuerūt. Audierunt enim eū de ſeipſo in Euangelio prędicātē, Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcēdi. Si quis mādu caucrit de hoc pane, viuet in æternū. Et panis quē ego dabo, caro mea eſt, pro mūdi vita. Dabo, inquit, non, ait, dedi. Quādo ergo cœpit dare? Quādo pridie quàm pateretur accepit panē, & eleuatis oculis in cœlū, gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis dicēs: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meū. Similiter & calicē, poſtquā cœnauit dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt calix Sāguinis mei, qui pro vobis & ꝓ multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quis hoc ita eſſe non credit: niſi qui aut Chriſto non credit, aut ipſum hoc dixiſſe non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. Dixiſſe autem Chriſtum teſtes nō duo *Matth. 11.* *Ioan. 14.* *Ioan. 6.*

tantum aut tres, in quibus ſtat omne verbum: ſed quatuor probatiſsimi certiſsimiq́ꝫ exiſtunt, duo ſcilicet ex circunciſione, & duo ex præputio: vt vterqꝫ populus ſuis ac legitimis autoritatibus ſiue ad ſalutẽ ſiue ad iudiciũ vteretur. Dixit vtiqꝫ, dixit ille, qui dixit & facta ſunt. Qui enim dixit
Gen.1. in principio, Fiat lux & facta eſt lux de nihilo: nõ potuit dicendo de pane, Hoc eſt Corpus meũ, ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum: non efficatius poterat (ſi quid tamẽ efficatius de Deo dici debet) ſonãte vocaliter eadẽ virtute vinum ipſum in Sanguinẽ ſuũ transferre? Quòd ſi quis apud ſe dicat potuiſſe hoc facere vnum illum hominem qui etiam Deus erat, cæteris verò qui hoc non ſint impoſsibile eſſe: nos quoqꝫ cum eo ſentimus: ſic tamen, vt per miniſterium humanũ Chriſtum ipſum operari fateamur. Dixerat enim cùm adhuc eſſet cum homi-
Ioan.15. nibus mortalis, Sine me nihil poteſtis facere. Et immortalis effectus, cùm cœlos aſcenſurus cor-
Math.ult. poraliter eſſet, Ecce ego, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus vſqꝫ ad conſummationẽ ſeculi. Quia enim ex duabus naturis diuerſis, altera circunſcripta, altera incircunſcripta conperſonatus erat: per circonſcriptã de loco ad locũ tranſmigrabat, per incircunſcriptã verò qua illocaliter vbiqꝫ eſt totus, cũ eis remanebat: nec tamẽ filium Dei à filio hominis ſeparabat. Deniqꝫ & priuſquã filius hominis actu aſcenderet in cœlum, cum fi-
Ioan.3. lio Dei ibi erat: ipſo atteſtante, vbi ait: Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo: Filius hominis qui eſt in cœlo. Si ergo ibi erat per vnitatẽ perſonæ, quo nondũ aſcenderat per proprietatem naturę: propter eandem vnitatem

cœlum

cœlum aſcendens, cũ hominibus in terra remanebat. Quis enim alius dicebat, Saule Saule quid me perſequeris? Neq; putandus eſt ei angelus pro Chriſto apparuiſſe, cùm ipſe Saulus effectus Paulus poſtea dicat: Nouiſsimè omnium tanquã abortiuo, viſus eſt & mihi. Et alio loco: Nónne dominũ Ieſum Chriſtum vidi? Aut verò Saulus adhuc infidelis raptus eſt in cœlũ, vt illic ei Chriſtus loqueretur, aut ipſe Chriſtus deſcendit è cœlo, quod ſemel tantum fieri oportet in voce Archãgeli, & in tuba Dei, quãdo omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei & procedent? Ipſe igitur cum hominibus manẽs ſemper, & homines baptizat per homines, & conſecrat quicquid per homines cõſecratur. Vtrunq; enim in Euãgelio habemus, & quòd Ieſus baptizaret, & quod ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli eius. Baptizat nimirum: quia quando corpus ſub quibuſdam verbis ſolẽnibus in aqua merſatur, ipſe animam mortuam, peccata remittẽdo, viuificat: ſicut in Euangelio loquitur, Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocẽ filij Dei, & qui audierint viuent: quod non niſi de reſurrectione animarum accipi poteſt. Baptizat & homo, per cuius manus & linguam: opus illud adminiſtratur. Sed maximè & principaliter ille baptizat, qui vim & efficientiã totã præſtat. Propter quod dictum eſt Ioanni Baptiſtæ: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum, hic eſt qui baptizat. Alioquin baptiſmus vnus non eſſet, ſed prout meritum ſe haberet baptizantis, alius dignior, alius indignior fieret, & quẽ homo ſanctior baptizaret, ille melius baptizatus eſſet. Sed abſit: quia quicũq; baptizat in nomine

Act. 9. *1. Cor.* 15. *1. Cor.* 9. *I. Ioan.* 5. *Ioan.* 1.

Patris & filij & ſpiritus ſancti, dignus an indignus, ſanctus aut peccator, Catholicus aut hęreticus: nihil intereſt, quoniam miniſteriũ illorum tantũmodo eſt, nec ab eis, ſed per eos (ſi rectè loqui volumus) baptizatur. Chriſtus igitur per manum & os ſacerdotis baptizat, Chriſtus per manum & os ſacerdotis Corpus & Sanguinẽ ſuum creat. An experimẽtũ quæritis eius qui in me lo-
1.Cor. 13. quitur Chriſtus? Dicebat quidem hoc Apoſt. non arrogãter ſe efferẽdo: ſed veraciter docẽdo Chriſtũ in miniſtris ſuis & loqui quod ipſi loqui audiuntur, & operari quæ ipſi facere videtur: propter quod ſacerdos eſt in in æternũ, quia ipſe eſt qui baptizat & qui immolat. Nam quod ſemel fecit paſsibiliter per ſemetipſum: id quotidie agit impaſsibiliter per eos quibus dedit poteſtatẽ filios Dei fieri. Nec aliter melius poſſe intelligi puto,
Rom.8. quod Apoſt. de illo ait, Qui eſt ad dexterã patris, qui etiã interpellat pro nobis: quàm vt interpellatio iſta fiat non verba proferẽdo, ſed obedientiam atq; humanitatẽ ſuã per cõmemorationem paſsionis Deo patri cõmendando. Hoc quoq; in eiuſdẽ Sacramenti inſtitutione cùm iam ſub articulo ipſius paſsionis agonizaret: & ad dolores carnis mox futuros pręſcio ſpiritu pauitaret, hoc inquam certiſsimũ pignus ſui, dilectis diſcipulis
Luc.22. relinquens, Hoc facite, inquit, in meam commemorationem, Commemorationẽ charitatis erga vos pro quibus animam meam pono, & obediẽtiæ apud patrem, quia ſicut mandatũ dedit mihi pater, ſic facio. Quòd ſi quos mouet cur hoc Sacramentũ non viſibiliter trãſmutetur in ſpeciem
1.Cor.5. carnis & ſanguinis, attendant quod Apoſtolus
Hebr.11. ait, Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem.

Eſt autem

Eſt autem fides,ſicut ipſe definiuit,ſperandarum *Hebr.* 10.
ſubſtantia rerum argumentum non apparentiũ.
Si enim id quod intus ſunt,foris Sacramẽta oſtẽ-
derẽt:fides ex qua iuſtus viuit,non ſolum otioſa,
verũ nulla omnino eſſet.Quod enim videt quis, *Rom.* 8.
quid ſperat? Vt ergo fides exerceatur credendo
quod non apparet,vitale Sacramentum ſub ſpe-
cie corporea vtiliter latet, vti anima in corpore.
Deniq; & baptiſmus aqua quęlibet oculis intuẽ-
tium videtur: & homo baptizatus, quid aliud q̃
quod antea erat apparet?Non enim ex nigro al-
bus,aut ex illiterato grammaticus,per lauacrum
regenerationis efficitur. O animalis homo qui 1.*Cor.*2.
non percipit ea quæ Dei ſunt. O caro carnalibus
phantaſijs magis quàm vino ebria. Quouſq; ab
his tam infeliciter ludificaberis?Non enim ſimi-
lis eſt hic error denegatio ſalutis animarum, aut
illuſionibus ſomniorum, aut de aquis & ſpecu-
lis reſultantium imaginationum: quia ibi ſine
periculo fallitur, hic cum detrimẽto irrecupera-
bili,niſi reſipiſcatur, erratur. Expergiſcere ergo
& clama,Infelix ego homo,quis me liberabit de *Rom.*7.
corpore mortis huius?Et reſpondebit tibi Apo-
ſtolica conſolatio,Gratia Dei per Ieſum Chriſtũ
dominũ noſtrum.Quòd & ſi credimus verũ eſſe
non liberari hominem nõ ſolum à moleſtia ſpi-
ritualis pugnæ,quã hoc in loco mortem appel-
lat,ſed nec à miſeria errorũ,niſi gratia Dei per Ie-
ſum Chriſtum dominum noſtrũ: melius tamen
id intelligimus,ſi humanæ naturæ cõcretionem
& vim quæ nimirum in ſenſu corporis & animi
intellectu tota conſtat diligenter inſpiciamus:&
quid per vtrumq;, quidve per alterutrum valeat
breuiter perſtringemus. Sunt namq; multa quæ

ſolo ſenſu corporis agimus ſicut audire & videre: pleraq; ſicut legere & ſcribere: quę communiter ſenſus cum intellectu adminiſtrat. Plurima verò ad quæ ſenſui nullus prorſus acceſſus eſſe poteſt, ſicut ad rationē numerorum, ad proportiones ſonorum, & omnino ad notiones rerum incorporearum: quę omnia quilibet intellectus, ſed purus atq; etiam vſu limatus percipere meretur. Nec me fugit illa prima quæ duas iſtas potētias præcedit, ſed ad noſtrum inſtitutum nihil viſa eſt attinere: & curandū eſt ne longiore quàm oportet vtamur digreſsione. Conamur enim adiuuante diuina gratia oſtendere, quòd nulla humana facultas, quæ planè & ipſa eſt diuina largitas, nequaquā tamen ſufficiens ſit, quamlibet ſe extendat, ad comprehēdendā altitudinem ſacramentorū, quibus initiamur & perficimur ad ęternam ſalutē, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Proponamus itaq; baptiſmū ipſum, & quid ibi ſenſus, quid ratio deprehēdat videamus. Liquorē eſſe aliquem interrogatus tactus pronunciat, viſus ſi fortè in vaſe eſt, quiſnā liquor ſit addubitat: ſed guſtus tanquam tertius teſtis adhibitus, aquam eſſe incunctanter explorat. Vlterius (niſi fallor) hac in re officium ſuum ſenſus non pollicetur. At ratio longè lateq; penetrat interius, naturamq; inſenſibilem perſpicaciter intuetur, hoc eſt, mobilē atq; obtuſam eſſe humidam ſubſtātialiter frigidam naturaliter in aērem ſiue in terram conuerti eam poſsibile eſſe, etſi quid adhuc aliud quod nouimus aut ignoramus, de natura aquarum indagari poteſt. Quomodo autē per aquam & ſpiritum anima regeneretur, peccatorumq; remiſsio tribuatur, ſicut ſenſus carnis

paulò

paulò ante docebatur non poſſe ad rationis excellentiam aſcendere:ita profectò & minus forſitan valet ratio ad hoc inſcrutabile arcanum aſpirare,& tamẽ firmiter tenemus,veriſsimè confitemur,animam incorpoream per aquam corpoream renaſci,atq; in eum ſtatũ quo fuerat Adam nondum præuaricans reparari.Deũ quoq; ipſum cuius ænigma omnem ſuperat intellectum,non ſolum nouimus eſſe quod infideles fatentur: verum etiam vnũ eundemq́; trium perſonarum incircũſcriptum vbiq; illocaliter totũ,neq; tamen ſenſu aut ratione habemus hoc comprehenſum.

Videntur nonnulla deeſſe.

EPISTOLA D. IVONIS SANCTI QVINTINI BELVA-

cenſ. Eccleſiæ Prioris,& poſt Carnotenſ. Epiſcopi, ad Haymericum Abbatem Aquitinenſem,de Corpore Domini,vtrum in cœna datum ſit diſcipulis paßibile: quum nos illud ſumamus impaßibile.

IVo minimus Beluacen.eccleſię S.Quintini Pater,Haymerico bonæſpei fratri, quod piè pulſat,ſibi patenter aperiri. Literas fraternitatis tuæ nuper accepi,neq; enim domi eram,quando ad Eccleſiam noſtram perlatæ ſunt, Lugdunum profectus occaſione cuiuſdã eccleſiaſtici negotij. Quærit autẽ in literis illis,fraternitas tua, vtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus in cœna quã fecit cum diſcipulis ante paſsionem ſuam,dederit eis Corpus ſuũ paſsibile, cùm nos illud de men-

ſa altaris accipiamus impaſsibile. Ad quam quęſtionem ſi tibi reſpondeatur, diſcipulos Chriſti Corpus Domini tale accepiſſe, quale tunc erat, nos verô tale accipere quale nunc eſt: non video quæ authoritas mihi contradicat, quæ rationis violentia me vrgeat, imò ſi aliter dicerem, repugnãtem viderem rationem & autoritatem. Nam Corpus illud quod tũc diſcipulis ſuis Dominus commendabat, adhuc fuiſſe paſſurum nemo qui abnuat, ſicut tu ex autoritate dominica in literis tuis poſuiſti. Hoc Corpus quòd pro vobis tradetur. Paſsibile aũt fuiſſe quod paſſurũ erat, quis deneget? Impaſsibile verò nunc eſſe quod ſumimus, tu ipſe bene ex autoritate Apoſtoli confir-

Rom. 6. maſti: Quia Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Simile. Quomodo enim ſi figulus mihi daret vas fictile ante fornacem crudum & infirmum, poſt fornacem verò redderet idem coctum & firmũ, & humanæ vtilitati commodum, quam vtilitatẽ habere non poſſet niſi prius coctum eſſet: Sic Corpus Chriſti ante paſsionem, quale erat, datum eſt diſcipulis paſsibile, quod per paſsionẽ tranſiturum erat ad impaſsibilitatem: nec vnquam profuiſſet ad ſalutẽ infirmitas illa paſsibilis Corporis, niſi ſubſecuta fuiſſet glorificatio impaſsibilis & immortalis. Quomodo enim poſſet mihi dicere figulus vas quod tibi do ante ignem inutile & infirmũ, hoc ſtatim reddã poſt ignem vtile & robuſtum: Ita dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignanter dixit, Hoc Corpus quod pro vobis tradetur accipite, & ſubſequenter adiunxit, Hoc facite. Hoc dixit non aliud alterum, tamẽ futurum eſſe nõ negauit, quatenus relinqueret intellectui noſtro

noſtro,Corpus quod de dominica menſa ſumimus eiuſdem eſſentiæ, quod exemplo ſuæ tranſfigurationis,& documento ſuę authoritatis præſignauerat ſuis diſcipulis futurũ eſſe alterius gloriæ. Nec prætereundum eſt ad huius rei diſcuſsionem,quod cùm dixiſſet, hoc facite: addidit, In meam commemorationem. Quæ autem ſit illa cõmemoratio,b. Apoſtolus exponit dicẽs. Quotieſcunq; enim panem domini accipimus & calicem bibimus,mortem domini annũciamus donec veniat. Sicut ergo impaſsibilis Corporis aſſumptio,dominicæ mortis iã præteritæ eſt cõmemoratio:ſic paſsibilis illius corporis acceptio eiuſdẽ dominicæ mortis tum adhuc futuræ fuit prænunciatio. Nec refert quale tunc acceptum fuerit vel modo accipiatur, ſed qua vtilitate acceptũ ſit vel accipiatur: & cum vtriuſq; receptionis vnus finis reperiatur,de qualitate rei quæ ſumitur omnis dubitatio ſopiatur. Sicut enim cùm eſuriero,panis meus qualis ſit non requiro,mollis an durus,frigidus an calidus, vinũ quoq; meũ ſapa ſit an carenũ non curo, ſed hoc attendo vt ruinas ventris reficiat,& indigentiæ meę ſatisfaciat:Sic Chriſti Corpus quale ſumptũ ſit à diſcipulis, vel nũc ſumatur à Chriſticolis,nil mea intereſt:tãtum illi vtilitati ſatisfaciat, propter quã ſtatutũ eſt à Dño,vt illud populus fidelis accipiat. Itẽ dixiſti te hęrere in quibuſdã verbis b. Auguſt. conantis determinare verba domini duodecim Apoſtolos inſtruentis,qui remanſerant, ſeptuaginta ferme retro abeuntibus. Sunt autem hæc verba. Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis, neque bibituri illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt illi qui me crucifigent. Quod ſic *Auguſtin.*

conue-

conuenienter intelligi poteſt. Quia & ipſum eſt, & non ipſum. Ipſum quidem materiali eſſentia, ſed non ipſum viſibili forma. Vnde & ſubditur, Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen inuiſibiliter intelligi. Ipſi enim qui receſſerunt à domino, putabant quod carnes domini viuentis beſtiali more eſſent in fruſta ſciſſuri, & aut elixas vel aſſas in verubus comeſturi: quod ſi nollent, non poſſent eius eſſe diſcipuli. Nos autem ſic immolatum Chriſtum manducamus & bibimus, vt integrum eum ad dexteram patris manere credamus: & cùm ſemel in diſtinctione membrorum ſuorum, in manifeſtatione corporis ſui ſe obtulerit hoſtiam viuentem, paſſibilem, & mortalem, quotidie tamen ſub velaméto panis & vini à ſancta Eccleſia immolatur, & non in partes ſciſſum neq; cruentum Corpus eius fideliũ ore percipitur. Et hoc eſt quod dicitur, Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis. Neq; enim quod de altari ſumimus, Beatus Auguſt. verũ Corpus eſſe negaret: qui hoc in pleriſq; tractatuum ſuorum locis euidéter affirmat. Vnde dicit in quodam ſermone de verbis Euangelij, Quod videtis in altari panis eſt & calix, quod etiam oculi renunciant. Quòd autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt Corpus, calix eſt Sanguis. Et interpoſitis quibuſdam, Quomodo (inquit) panis eſt Corpus, vel quod habet calix quomodo eſt Sanguis? Iſta fratres ideo dicuntur ſacraméta, quia aliud videtur, aliud intelligitur. Item idem in ſermone ad Neophytos, Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in calicẽ, quod manauit de Chriſti latere. De hac item inuiſibili Corporis Chriſti aſſumptione dicit

ne dicit Euſebius Emiſſenus. Cùm reuerendum altare cibis ſpiritualibus ſatiandus aſcendis, ſacri Dei tui Corpus & Sanguinem fide reſpice, honora, mirare, mente continge, manu cordis ſuſcipe, & maximè totum hauſtu interioris hominis aſſume. Poſſem quidem de ſcripturis in hanc ſententiam plura colligere, ſed nunc iſta ſufficiant fraternitati tuæ. Vale.

Acta Concilij Romæ habiti contra Berengarium de Corpore & Sanguine Domini.

ANno ab incarnatione ſempiterni principij 1079. menſe Februarij, Indictione ſecũda, Pontificatus verô Domini Gregorij Papæ ſeptimi, ſexto anno, ad honorem Dei & ædificationẽ Eccleſiæ ſanctæ, ſalutem quoq; tam corporum, quàm animarum, ex præcepto ſedis Apoſtolicæ, conuenerũt finitimi & diuerſarum prouinciarum Archiepiſcopi, Epiſcopi, religioſæq́; perſonæ, vt ſanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur in Eccleſia Saluatoris congregatis, habitus eſt ſermo de Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti: multis hæc, nõnullis illa ſentiẽtibus. Maxima ſiquidem pars panem & vinum per ſacræ orationis verba & ſacerdotis conſecrationem, ſpiritu ſancto inuiſibiliter operãte, conuerti ſubſtantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, quod

quod & in cruce pependit, & in Sanguinem qui de eius latere militis effuſus eſt lancea, aſſerebat: atq; autoritatibus orthodoxorum ſanctorũ Patrum tam Grecorum, quàm Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimia & longa perculſi, figuram tantum, ſe & alios decipientes, quibuſdã cauillationibus conabantur aſtruere. Verum vbi res cœpit agi, prius etiam quàm tertia die ventum foret in Synodum, defecit contra veritatem niti, pars altera. Nempe ſancti ſpiritus ignis emolimenta palearum conſumens, & fulgore ſuo falſam lucem diuerberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem.

Deniq; Berẽgarius huius erroris magiſter, poſt longo tempore dogmatizatam impietatem, erraſſe ſe coram Concilio frequenti confeſſus, veniamq́; poſtulans & orans, ex Apoſtolica clementia meruit: iurauitq́; ſicut nunc in ſequentibus continetur.

Poſtrema palinodia Berengarij.

Ego Berengarius corde credo, & ore cõfiteor panem & vinum quæ ponũtur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnẽ & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti: & poſt conſecrationẽ eſſe verum Chriſti Corpus, quod natũ eſt de virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum, in cruce pẽpẽdit, & quod ſedet ad dexteram patris: & verum Sanguinem Chriſti qui de latere eius effuſus eſt: non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ, Sicut in hoc Breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo. Nec contra hanc fidem vlterius docebo, ſic me Deus adiuuet, &

hæc

hæc ſacra Euãgelia. Tũc Dominus Papa præcepit Berengario ex autoritate Dei omnipotentis & ſanctorũ Apoſtolorũ Petri & Pauli, vt de Corpore & Sanguine Domini nunquã vlterius cum aliquo diſputare vel aliquem docere præſumeret: excepto cauſa reducendi ad hanc fidem eos qui per eius doctrinam ab ea receſſerant.

Hæc ex Decreto Romani Concilij ſub Gregorio ſeptimo celebrati.

D. Guillelmus monachus & bibliothecarius Malmeſberienſis, Libro tertio de geſtis Anglorum.

FVit hoc tempore (nimirum Anno 1060.) Berẽgarius Turonenſis Hæreſiarcha: qui panem & vinum in altari appoſita, poſt conſecrationem ſacerdotis verum & ſubſtantiale Corpus Domini, ſicut ſancta Eccleſia prædicat, eſſe denegabat. Iamq; ſcatebat omnis Gallia eius doctrina per egenos ſcholares, quos ipſe quotidiana ſtipe ſolicitabat, diſſeminata: Vnde ſoliditati catholicæ timens ſanctiſsimæ memoriæ Leo Papa, Vercellis contra eum inſtituto Concilio, tenebras nebuloſi erroris Euangelicorum teſtimoniorum fulgore depulit. Sed cùm poſt obitum eius virus hæreſeos diu in finibus quorundam nebulonum confotum iterum erumperet, Hildebran- *Hild. poſt*
dus Archidiaconus cùm eſſet Turonis, mox *Grego. 7.*

Papa

Papa Romæ, adunatis Concilijs conuictum ad dogmatis ſui anathema compulit, etc. Reſponderunt ei libris Lanfrancus Archiepiſcopus, ſed præcipuè fortiter Guitmundus prius monachus de ſancto Leofredo Normanniæ, poſtea Epiſcopus Auerſanus Apuliæ, noſtri temporis eloquẽtiſsimus, etc. Idem poſt aliqua: Berengarius planè quãuis ipſe ſententiã correxerit, omnes quos ex totis terris deprauerat, conuertere nequiuit, adeò peſsimũ eſt alios exemplo vel verbo à bono infirmare: quia fortaſsis peccatum te grauabit alienũ, cùm deletũ fuerit tuum. Quod Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum (quẽ domini mater Maria olim ægrotum lacte mamillarum ſuarum viſa fuit ſanare) prædixiſſe aiunt. Nam cùm in extremis poſitum multi viſitarẽt, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret: ille inter oppoſitas cateruas oculo longe rimatus, Berengarium niſu quo valuit expellendum cenſuit: proteſtatus immanem dæmonem prope eum conſiſtere, multóſq; ad eum ſequẽdum blandiente manu & illice anhelitu corrũpere. Quin & ipſe Berengarius die Epiphaniorum moriens, gemitúq; producto recordatus quot miſeros quondam adoleſcens primo erroris calore ſecta infecerit: hodie, inquit, in die Apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus, propter pœnitentiam, vt ſpero, ad gloriã: vel propter alios, vt timeo, ad pœnam. Nos ſanè credimus poſt benedictionem eccleſiaſticam illa myſteria eſſe verum Corpus & Sanguinem Saluatoris: adducti & veteri Eccleſiæ authoritate, & multis nouiter oſtenſis miraculis. *Hæc ille.*

Fulbertus

Extrema uerba Berengarij.

INDEX D. LANFRANCI, GVITMVNDI ET PEtri Cluniacenſis.

A

ACcidentia quæ ſuperuenientibus alijs cedunt, in nihilum rediguntur. fol.44.

Adelmanni contra Berenga. Epiſtola. fol.224.

Aduerbia ſimilitudinis non ſemper æqualitatem ſignificant. fol.25.

Algeri encomium. fol.93.94.197.

Algerus ſcripſit de Euchariſtia. fol.93.197.

Ambroſij ſententia de mutatione defenditur. fo.9.

Ambroſij libros de Sacramentis Eccleſia in vſu habet. fol.9.

Ambroſius de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia. fol.18.67.& 77.

Ambroſij encomium. fol.67.

Anima in toto corpore tota, & in qualibet parte tota. fol.27.

Artes in Gallia abolitæ, per Lanfrancum inſtauratæ. fol.30.

Atteri dentibus, eſt fortiuſculè tangi. fol.34.

Atteri dentibus, nonnunquam eſt comminui dentibus & frangi. fol.35.

Auguſtini encomium. fol.21.& 66.

Auguſtinus de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia. fol.20.21.22.66.67.

Auguſtini ſententia, de veritate Corporis & Sanguinis Domini lucidiſſima, fideliſſima & digniſſima copioſè tractatur. fol.66.& ſequen.

B

Baptiſma paruulorũ euertit Berengarius. fol.30.

Baptiſmus. fol.13.
Baptiſmus exterior eſt interioris ſacramentũ. fo.63.
Berengarij inſolens vita. fo.30.
Beren.Goliath,quoniam homo arrogantiſsimus. fo.4.
Beren.veritatem corporis & ſan.negauit. fo.30.
Beren.legittima coniugia conatus eſt deſtruere. Ibid.
Bereng.damnationem nuptiarum & paruulos non eſſe baptizandos per ſcripturas non potuit tueri.fo.31.
Beren.qui primum crediderint. Ibidem.
Bereng.reuocauit errorem ſuum de Euchariſtia, proprijs manibus libellos ſuos in ignem coniecit in cõcilio Turonẽſi & Romano. fol.2.31.81.116.147
Bereng.ſuadente diabolo diu in peſte hæretica inueteratus. fol.59.232.
Bereng.palinodia ſub Nicolao II. fo.3.31.147.
Beren.ſeipſum turpiter infamat. fol.5.
Bereng. ad priſtinum vomitum & volutabrum luti periurus redijt. fol.6.
Beren.hæretica ſententia de Euchariſtia.fol.26.197.
Berengarianæ hæreſis multa genera. fol.32
Berenga. ſub Gregorio ſeptimo ſe diu erraſſe confitens, veniam ex Apoſtolica clementia meruit. fol.231.
Berengarij poſtrema palinodia. fol.231.
Berengarij extrema verba. fol.232.
Berengarij confutatores tres. fol.197.
Berengarianis nequiſsimis qui nequiores. Ibidem.

C

Carnem Chriſti partiri quid ſit. fol.35.
Caro Chriſti non corrumpitur. fol.46.
Caro vera, & ſanguis verus in ſpecie ſua à ſacerdote celebrante

celebrante inueniuntur, & pro reliquijs reſeruantur. fol.49.
Caro Chriſti eſt vita Eccleſiæ. fol.37.
Caro Chriſti quomodo non prodeſt quicquam. fol.55.
Caro Chriſti vera eſt quam ſumimus, & verus eius ſanguis quem potamus. fol.68.
Caro eadem, idemq́ ſanguis ſuiipſorum ſacramenta ſunt. fol.13.
Caro domini, & ore corporis & ore cordis, hoc eſt, corporaliter & ſpiritualiter ſumenda. fol.17.
Caro vel ſanguis Domini propter indignos in panem vel vinum non reuertitur. fol.87.
Celebratio Dominici corporis ſignum eſt paßionis Chriſti. fol.53.& 54.
Chriſtus immolatus in cruce, immolatur adhuc quotidie in ſacramento fol.14.
Chriſtus cur adſit, non ſub proprijs, ſed ſub panis & vini ſpeciebus. fol.220.
Chriſti corpus quare nobis in cibum detur. fol.220. et ſequent.
Chriſti corpus cur detur non ſolum ad honorandum, ad adorandum, ſed etiam ad manducandum. fo.220.
Chriſtus totus in hoſtia tota, & in qualibet particula totus. fol.36.92.
Chriſtus non plurificatur in pluribus mißis ſimul celebratis, & ad hoc aptæ ſimilitudines de voce & anima. Ibid.& 37.135.& ſequent.
Chriſtus genitus abſq; dolore, et ſalua matris integritate. fol.43.
Chriſtum transferre poſſe panem et vinum in corpus et ſanguinem ſuum, nulla ratio obſtat. fol.37.

Chriſtum in pluribus locis eſſe, aut in pluribus partibus hoſtiæ fractæ, non facit ſacerdos, aut frangens, ſed ipſe Chriſtus. fol 38.
Chriſtus nobis adeſt, nos docet & conſolatur in hac peregrinatione, ſed oculis carnis non cernitur à nobis, niſi in peregrina ſpecie. fol. 38.
Chriſtus in miſſa immolatur, ſed nõ carnaliter. fo. 54
Chriſtus ſemetipſum offerens pro nobis, factus eſt nobis redemptionis ſignum. fol. 56.
Chriſtus eſt ſignum fœderis. Ibidem.
Chriſtus ſuiipſius eſt ſignum. 59.
Chriſtus à nobis manducatus eſt in nobis naturaliter, id eſt, ſubſtantialiter. 71.
Chriſtus ferebat ſeipſum in manibus. fol. 66.
Chriſtum intraſſe ad diſcipulos ianuis clauſis negat Berengarius. fol. 75.
Chriſtum Berengarius, ſicut & noſtri temporis hæretici volunt in cœlo velut in carcere contineri. fo. 63.
Chriſtus non ſic in terris ſacrificatur vel manducatur, vt interim cogatur cœlos deſerere. Ibidem.
Chriſtum impanari aut inuinari, hoc eſt, in pane & vino contineri & occultari, nulla expetit ratio. fol. 75. & ſequen.
Chriſtus totus & integer ſub vtraque ſpecie. fo. 172.
Chriſtus verbo oris ſui impanatores ſuos interficit. fol. 79.
Chriſti verba æqualiter operantur, ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros. fol. 87.
Chriſti Caro aut Sanguis propter indignos non reuertitur in panem vel vinum. Ibidem.
A Chriſto nobis aureum ſeculum datum. fol. 201.

Chriſtia-

Chriſtianorum ſacrificia qualia. fol.203.
Chriſtianorum vnicum ſacrificium fol.203.& ſequē.
Cibum altaris Domini nuſquam in libro de doctrina Chriſtiana vocat Auguſtinus ſignum vel figuram. fol.53.54.55.
Conſecrant minimè omnes qui id attentant non debito modo. fol.31.
Cōſecrationis verba interpretātur.fo.63.206.& ſeq.
Conſenſus totius orbis de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia. fol.9.18.27.Item 75.& 82.
Conciliū Epheſinū de Euchariſt.fo.16.17.69.& 124.
In Concilio Vercellenſi, Turonenſi, bis in Romano Bereg.error de Euch.dānatur.fo.4.31. 81.et 147.232
Corpus Chriſti cur panis vocatur. fo.7.25.112.
Corpus Chriſti quomodo ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, ſacramentum. fol.23.92.Item in Algero cap.4.5.6.7.8.
Corpus Chriſti idem totum ſimul & eodem tempore diuerſis locis eſſe, nulla mens hominis poteſt capere, ſecus de voce & anima conceditur. fol.41.
Corpus Chriſti impanari, hoc eſt, in pane remanente latenter contineri voluerunt nonnulli, vt faciunt Lutherani. fol.33.75.111.
Contra Corporis Chriſti impanatores. fol.79.111.
Corpus Chriſti, ſiue Chriſtum dentibus atteri duobus modis poteſt intelligi. fol 34.
Corpus quomodo diuidatur. fol.35.
Corpus Chriſti ſemper totum & integrum manet, & per ſumptionem fidelium, nec corrumpitur, nec imminuitur. fol 49.& 92.
Corpus Chriſti preſſura dentium non læditur. fo.35.

Corpus Chriſti in ſeceſſum non mittitur, Non enim omnia quæ intrant in os, in ſeceſſum vadunt. fo.50 & Alger.lib.2.cap.primo.

Corporis Chriſti virtute poteſt quis melius ſuſtētari, quam alijs epulis. fol.51.& Alge.ibidem.

Corpus Chriſti quod videbatur quomodo nō erat manducandū, & fundēdus ſanguis bibēdus. fo.21.& 59

Corpus Chriſti proprium & verum eſt ſacramentum ſocietatis ſanctorum, & corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia. fol 57.

Corpus Chriſti propter indignos non reuertitur in panem. fol.87.& Alge.lib.1.ca.21.

Creatura, ſubtracta manutenentia Dei, in nihilum recidit. fol.44.

Creatio creditur magis quam intelligitur. fo.41.

Credere primum oportet deinde intelligere. fo.42.

Vt credamus ea quæ fidei ſunt, accepimus præceptum, non vt intelligamus. Ibidem.

Contra curioſos ſcrutatores. fo.207.214.

Cyrillus cū concilio Epheſ.de Eucha.fo.16.17.69.124

D.

Danielis vaticinium de Chriſti Eccleſia. fol.80.83.

Deus, aut aliud quicquam Chriſto immundum non eſt. fol.35.& Alge.lib.2. cap.primo.

Deus non eſt perſonarū acceptor. fol.2.

Dialecticæ vſus. fol.7.

E

Eccleſiæ catholicæ fides de veritate tranſubſtantiationis. fol.9.18.27.75.82.

Eccleſiæ catholicæ duo ſtatus hominum. fol.5.

Eccleſia Chriſti regnum Dei eſt. fol.80.

Eccleſiæ regnum perpetuum. fol.83.
Eccleſiæ fides ſola vera & inuincibilis. Ibidem.
Eccleſia Chriſti Romanū imperiū olim cōtriuit. fo.81
Eccleſiæ Romanæ dignitas. fol.15.
Epheſina Synodus de Euchariſtia. fol.17.69.124.
Error alius ex alio priore frequenter naſcitur. fo.79.
Eua violatura mundum de viro virgine prodijt, ſed multo decentius Chriſtus reſtauraturus mundum de virgine fœmina proceßit. fol.43.
Euchariſtia charitatis fraternæ ſymbolum eſt. fo.14
Euchariſtia cur myſterium. fol.17.
Euſebij Emiſſeni de veritate corporis & ſanguinis domini apertißima ſententia. fol.78.

F

Fides ſanctæ Eccleſiæ de Eucha. fo.9.18.27.75.82.
Fidem noſtram vtile eſt exerceri in ſacramento Euchariſtiæ. fol.39. et Alge.li.2.cap.4.
Fides vt exerceri poßit et locū habeat, hoſtia cōſecrata diuidi poteſt, non tantum ob myſterium. fo.40.
Fide multa tenemus, quæ ratione capere non poſſumus. fol.41.
Fideliter credimus prouidētiā Dei nequaq̄ obuiare libero arbitrio non obſtantibus fumis humanarum rationum. Ibidem.
Fidei catholicæ generalis conſuetudo firmißimè tenenda. fo.65.
Fides Apoſtolica in affirmationem et negationem non ſcinditur. fol.79.
Fides tantum vna apud Deum laudabilis. fol.82
Figurata locutio quomodo ſit in verbis Chriſti, Niſi manduca etc. fol.55.

G

Generatio hoīm in ſcrip. quadrifaria inueni tur. fo.42.

Generatio naturalis quid habeat mirabile. fo.43.
Generationem Chriſti de virgine mundus auferre conatus eſt. Ibidem.
Gregorius Papa de veritate Corporis & Sanguinis Domini. fol.22.& 24.Item 69.
Gregorij vita ab oı̄bus eccleſijs ꝓbata et ſuſcepta. 74.
Ex Gregorij vita miraculum de Euchariſtia. Ibidem.
Guitmundi laus. fol.94.197.

H.

Hæreſis Berengariana. fol.197.
Hæreſes duæ ortæ tempore D. Cyrilli de Euch. fo.16.
Hæreſis ſacramentariorum. fo.196.
Hæreticus quis ſit. fol.2.
Hæreticus quando reperiatur in communionem. fol.6.
Hæretici venantur vndecunq; verba quibus ſuos errores defendant. fol 59.
Hæreticorum arrogantia. fol.196.197.& ſequen.
Hilarij Pictauien.encomium. fol.70.
Hilarius de veritate Corporis & Sanguinis domini de Euchariſtia. Ibidem.
Hilarij verba ex libro 8. de Trinitate copiosè tractantus. fol.70.
Hilarius credidit non vmbraticè, ſed ſubſtantiuè nos corpus Chriſti comedere. fol.73
Hiſtoriarum eccleſiaſticarum fides. fol.23.& 74.
Mira hoſtia de Sacramento altaris. fol.49.
Homo nutritus & ſeminatus in agris, non debet dici ſeminatus. fol.52.
Hæreticorum ſumma ingratitudo ſacrificare nolentium. fol 202.
Humanitatis Chriſti tota diſpenſatio talis extitit, de qua ini-

qua inimicorum incredulitas excecaretur, & credentium fides magis augmentaretur. fol.47.

I

Impanatores ſuos Chriſtus confutat. fol.79.
Contra Impanatores & vmbraticos. Ibidem & 111.
Impanatores nequiores nequiſsimis vmbraticis. Ibid.
Ioannes Scotus cum Berengario damnatus in Synodo Vercellenſi. fol.4.
Iſychius hæreticus deprauator ſacrarū literarū. fo.10

L

Lanfrancus de Eucha.ſcripſit. fol.197.
Lanfrancus vir doctiſsimus artiū inſtaurator. fo.30.
Lanfrancus magiſter Guitmundi. fol.49.
Leo papa primus de veritate corp.& ſang.do. fo.22.66.
Liberum arbitriū non aufert prouidētia diuina. fo.41.
Lucianus deprauator ſanctarū ſcripturarū. fo.10.

M

Manere vel non diſcedere quid ſignificet iuxta vulgarem intelligentiam. fol.63.
Māna alternabat ſaporē pro qualitate guſtātiū. fo.76
Manducandum corpus Chriſti & ore corporis & ore cordis, hoc eſt, corporaliter & ſpiritualiter. fo.17.
Miſſæ hoſtium error ſtultiſsimus. fol.205.
Manducare carnem Chriſti carnaliter, quomodo flagitium eſt. fol.54.
Memoria inſignis mortis Chriſti. fo.218.
In mirabilibus Dei tota ratio facti, eſt potentia facientis. fol. 42.
Miracula non propter fideles, ſed propter infideles fiunt. fol.40.
Miracula circa Euchariſtiam. fol.15.49.& 74.

Miracula caſſantes, aut chriſtianorum hiſtorias, aut libros ab Eccleſia receptos damnantes, inimicos Eccleſiæ ſeſe declarant. fol.74.
Miracula caſſare, eſt Eccleſiam auferre. Ibid.
Mors Chriſti quantum fuerit ſatisfactoria. fol.205.
Mortem domini annunciare quid. fol.218.
Mutatio panis et vini in corpus Chriſti, non natura, ſed per Dei voluntatem fit. fol.34.
Mutationem ſubſtantiuam in Euchariſtia fieri credit catholica Eccleſia. fol.9.18.et 82.
Mutationi huic, iuxta ſolitum curſum naturæ nulla ex toto ſimilis occurrit mutatio. fol.41.
Quod ſubſtantialiter tranſmutatur in aliud, in id vtique tranſire ſolet quod non exiſtebat prius. Ibidem.
Mutatio panis in hoc ſacramento fit in corpus Chriſti quod ante exiſtebat. fol.41.
Mutatio iſta quamuis abſcondita ſit à captu noſtræ mentis fide tamen tenenda eſt. Ibidem.
Mutationum quatuor genera. fol.44.
Mutatio vel tranſubſtantiatio probatur multis exemplis ac rationibus. fol.206.et ſequent.
Mutatur ſubſtantia panis et vini in Euchariſtia accidentibus remanentibus. fol.77.206. et ſequent.
Mutatur ſubſtantialiter totus panis, et totum vinum altaris dominici, per diuinam conſecrationem, in carnem et ſanguinem Chriſti. fol.88.

N

Naturas rerum Deum poſſe mutare, manifeſtè probatur. fol.33.
Natura quid ſit Platoni. Ibidem.
Naturã defenſãtes hæretici, vim naturæ ignorãt. Ibi.

Naturæ ordo nō eſt quærēdus in hoc ſacramēto. fo.42.
Naturaliter ab Hilario pro ſubſtantialiter accipitur. fol.71.

O

Oculus carnis in mirabilibus huius ſacramēti fallitur, ſicut in pleriſq; alijs, ſed hic adhibendus eſt oculus mentis, & ad hoc apta ſimilitudo. fol.38.& 40.
Oculus carnis quem aperuit inobedientiæ cibus, claudendus eſt per hunc obedientiæ cibum. fol.40.
Omnipotentia non eſſet in Deo, niſi poſſet oīa. fo.42.
Originale peccatum. fol.204.

P

Panis & vinum in corpus Chriſti & ſanguinem diuina virtute commutantur. fol. 6. 9. 18. & 44. 82. cum ſequent.
Panis ſubſtantiam in Euchariſtia manere nullus credit. fol.6.
Contra eos qui dicunt partem panis aut vini propter indignos immutabilem remanere. fol.85.
Quod in panem propter indignos non reuertitur corpus Chriſti. fol.87.
Panes multi & vina multa ſi conſecrentur, et ex his quis ſuſtentatus, num habebit ex iſtis egeſtionem? fol. 50.
Panis ſacratus an in ſeceſſum vadat, velle experiri nephas eſt. fol.50.
Paſtos Euchariſtia ex his habuiſſe ſeceſſum hæretici nugantur ſe experimento didiciſſe. fol.51.
Panem ſacratum auferri aliumq; non ſacratum reponi qui in ſeceſſum poßit ire poßibile eſt, dum huiuſmodi experimentum quæritur. Ibidem.

Peccare

Peccare in ſpiritum ſanctum quid. fol.86.
Pœnitentes Eucbariſtia abſtinent. fol.14.
Pronomina non ſemper ſignificant ſubſtantiam ſine qualitatibus, ſed nonnunquam ſignificant qualitates, non ſubſtantiam. fol.61.
Pronomen Hoc quid demonſtret. fol.63.
Prouidẽtiæ diuinæ non obſiſtit liberũ arbitriũ. fo.41.

Q

Quæſtio nequit eſſe pro loco argumenti. fol.7.

R

Romanæ ſedis dignitas. fol.15.

S

Sacramentũ quid ſignificet. fol.12.13. et Alge. li.1.c.4.
Sacramenta dominicæ menſæ quomodo poſſunt dici panis & vinum. fol.64.
Sacramenta altaris non ſunt vmbra tantum & figura dominici corporis. fol.68.
Sacramentum hoc appellatur myſterium fidei. fol.40.
Sacrificia Eccleſiæ multa. fol.197.
Sacrificium Miſſæ omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum. fol.197.
Sacrificia ſoli Deo debentur. fo..198.& ſequen.
De diuerſorum diuerſis ſacrificijs. fo.197.& ſequen.
Sacrificium iuge vſq; ad finem ſeculi. fol.214.
Sacrificium cur iteretur. fol.117.
Sacrificium idem in cruce & in altari. fol.218.
Per hoc Sacrificiũ excitatur amor in Chriſtũ. fo.219.
Senſus interior & mentis iudicium nonnunquam fallitur, patet in hæreticis. Ibidem.
Senſus exteriores perſæpe falli, manifeſtũ eſt. fo.39.
Serpens æneus non fuit ſubſtantia Chriſti, ſed figura.

gura. fol.73
Signum & ſignatum idem. fol.218.
Similitudinis aduerbia non ſemper æqualitatem ſignificant. fol.25.
Specie gerere, dum edimus corpus Chriſti, quid ſignificet. fol.65.

T

Tranſubſtantiationem Deus vult. fol.82.
Tranſubſtãtiationem panis & vini in corpus Chriſti, vide ſupra vbi Mutatio.

V

Verbum humanum integrum poteſt ad plures deriuari. fol.37.
Verborum conſecrationis pulchra interpretatio. fol. 63.& 206.214.
Verba Chriſti æqualiter operantur, ſiue per bonos ſiue per malos miniſtros. fol.87.
Quemadmodum non vmbram probibiti fructus primi parentes manducauerunt, & ob id perierunt: ita nos non vmbram dominici corporis edimus, vt mortem euadamus, et vitam conſequamur. fol.34.
Vox vna tota ad plures deriuatur. fol.37.& 41.

Peculiarem indicem Algeri habes ſupra fol.101.

Lanſran. Fol.13.fa.2.uerſu 25. lege, aliud in cœlū aſcen. Fo.14.fa.2.uer.30.pio, lege.pro. Fo.16.uer.1.appa-
Guitmun. reret. Fo.21.fa.2.uer.26.conſtiterit. *Fo.25.fa.1.uer. 21.infirmitatis. Fo.36.fa.2.uer.16.minutatim. Ibidem uer.22.etſi mille Miſſæ. Fo.46.fa.2.uer.16.oculis. Fo. 48.fa.2.uer.18.uilitate. Ibid.uer.2.inanimatis. Fo.50 fa.2.uer.20.ſtudioſius. Fo.52.fa.2.uer.4.multicipitem. Fo.64.fa.1.uer.22.pro, qua, lege quia. Ibid.fa.2.uer.23. interpreteris. Fo.78.fa.2.uer.11.uiſibiles crea. Fo.83. fa.1.uer.11.defluit. Fo.91.fa.2.uer.31.quibus nos redime-
Algerus. ret. *Fo.112.fa.2.uer.27.corpus. Fo.116.fa.2.uer.30. quum ex aliqua etc. Fo.119.fa.1.uer.14.erit. Fo.127. fa.1.uer.2.diſcedentibus. Ibid.fa.2.uer.19.Sed ipſa pura ueritate. Fo.138.fa.1.uer.14.uere ſit uera. Fol 149.fa. 2.uer.2.effectu. Fo.165.fa.1.uer.9.quam uitam ali ab eo ſper. Fol.166.fa.1.uer.28.incurreret. Fo.180 fa.1.uer. 4.uideretur. Fo.188.fa.1.uer.10.Africa tota. Ibid.fa. 2.uer.15.communioni. Fo.191.fa.1.uer.17.ſacramentum
Petr.Clu. eorum. *Fo.200.fa.1.uer.30.ſubijcerent. Fo.212.fa. 2.uer.6.lapis terrenus. Ibid.uer.11.ſic nec de omni Cryſtallo hæc dixi: ſic nec de omni mont.

Cætera doctus Lector per ſe facile deprehendet.

LOVANII
Ex officina Typographica Stephani
Valerij Typogr. Iurat.
Anno 1561.

Chriſtum in pluribus locis eſſe, aut in pluribus partibus hoſtiæ fractæ, non facit ſacerdos, aut frangens, ſed ipſe Chriſtus. fol 38.
Chriſtus nobis adeſt, nos docet & conſolatur in hac peregrinatione, ſed oculis carnis non cernitur à nobis, niſi in peregrina ſpecie. fol.38.
Chriſtus in miſſa immolatur, ſed nō carnaliter. fo.54
Chriſtus ſemetipſum offerens pro nobis, factus eſt nobis redemptionis ſignum. fol.56.
Chriſtus eſt ſignum fœderis. Ibidem.
Chriſtus ſuiipſius eſt ſignum. 59.
Chriſtus à nobis manducatus eſt in nobis naturaliter, id eſt, ſubſtantialiter. 71.
Chriſtus ferebat ſeipſum in manibus. fol.66.
Chriſtum intraſſe ad diſcipulos ianuis clauſis negat Berengarius. fol.75.
Chriſtum Berengarius, ſicut & noſtri temporis hæretici volunt in cœlo velut in carcere contineri. fo.63.
Chriſtus non ſic in terris ſacrificatur vel manducatur, vt interim cogatur cœlos deſerere. Ibidem.
Chriſtum impanari aut inuinari, hoc eſt, in pane & vino contineri & occultari, nulla expetit ratio. fol.75.& ſequen.
Chriſtus totus & integer ſub vtraque ſpecie. fo.172.
Chriſtus verbo oris ſui impanatores ſuos interficit. fol.79.
Chriſti verba æqualiter operantur, ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros. fol.87.
Chriſti Caro aut Sanguis propter indignos non reuertitur in panem vel vinum. Ibidem.
A Chriſto nobis aureum ſeculum datum. fol.201.

Chriſtia

Chriſtianorum ſacrificia qualia. fol.203.
Chriſtianorum vnicum ſacrificium fol.203.*&* ſequẽ.
Cibum altaris Domini nuſquam in libro de doctrina Chriſtiana vocat Auguſtinus ſignum vel figuram. fol.53.54.55.
Conſecrant minimè omnes qui id attentant non debito modo. fol.31.
Cõſecrationis verba interpretãtur. fo.63.206.*&* ſeq.
Conſenſus totius orbis de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia. fol.9.18.27.Item 75.*&* 82.
Conciliũ Ephẹſinũ de Euchariſt. fo.16.17.69.*&* 124.
In Concilio Vercellenſi, Turonenſi, bis in Romano Bereg. error de Euch. dãnatur. fo.4.31.81.et 147.232
Corpus Chriſti cur panis vocatur. fo.7.25.112.
Corpus Chriſti quomodo ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, ſacramentum. fol.23.92.Item in Algero cap.4.5.6.7.8.
Corpus Chriſti idem totum ſimul & eodem tempore diuerſis locis eſſe, nulla mens hominis poteſt capere, ſecus de voce & anima conceditur. fol.41.
Corpus Chriſti impanari, hoc eſt, in pane remanente latenter contineri voluerunt nonnulli, vt faciunt Lutherani. fol.33.75.111.
Contra Corporis Chriſti impanatores. fol.79.111.
Corpus Chriſti, ſiue Chriſtum dentibus atteri duobus modis poteſt intelligi. fol 34.
Corpus quomodo diuidatur. fol.35.
Corpus Chriſti ſemper totum & integrum manet, & per ſumptionem fidelium, nec corrumpitur, nec imminuitur. fol 49.*&* 92.
Corpus Chriſti preſſura dentium non læditur. fo.35.

Corpus Chriſti in ſeceſſum non mittitur, Non enim omnia quæ intrant in os, in ſeceſſum vadunt. fo.50 & Alger. lib. 2. cap. primo.
Corporis Chriſti virtute poteſt quis melius ſuſtẽtari, quam alijs epulis. fol.51. & Alge. ibidem.
Corpus Chriſti quod videbatur quomodo nõ erat manducandũ, & fundẽdus ſanguis bibẽdus. fo.21. & 59
Corpus Chriſti proprium & verum eſt ſacramentum ſocietatis ſanctorum, & corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia. fol 57.
Corpus Chriſti propter indignos non reuertitur in panem. fol. 87. & Alge. lib. 1. ca. 21.
Creatura, ſubtracta manutenentia Dei, in nihilum recidit. fol. 44.
Creatio creditur magis quam intelligitur. fo. 41.
Credere primum oportet deinde intelligere. fo. 42.
Vt credamus ea quæ fidei ſunt, accepimus præceptum, non vt intelligamus. Ibidem.
Contra curioſos ſcrutatores. fo. 207. 214.
Cyrillus cũ concilio Epheſ. de Euchã. fo. 16. 17. 69. 124

D.

Danielis vaticinium de Chriſti Eccleſia. fol. 80. 83.
Deus, aut aliud quicquam Chriſto immundum non eſt. fol. 35. & Alge. lib. 2. cap. primo.
Deus non eſt perſonarũ acceptor. fol. 2.
Dialecticæ vſus. fol. 7.

E

Eccleſiæ catholicæ fides de veritate tranſubſtantiationis. fol. 9. 18. 27. 75. 82.
Eccleſiæ catholicæ duo ſtatus hominum. fol. 5.
Eccleſia Chriſti regnum Dei eſt. fol. 80.

Eccleſia

Eccleſiæ regnum perpetuum. fol.83.
Eccleſiæ fides ſola vera & inuincibilis. Ibidem.
Eccleſia Chriſti Romanũ imperiũ olim cõtriuit. fo.81
Eccleſiæ Romanæ dignitas. fol.15.
Epheſina Synodus de Euchariſtia. fol.17.69.124.
Error alius ex alio priore frequenter naſcitur. fo.79.
Eua violatura mundum de viro virgine prodijt, ſed multo decentius Chriſtus reſtauraturus mundum de virgine fœmina proceßit. fol.43.
Euchariſtia charitatis fraternæ ſymbolum eſt. fo.14
Euchariſtia cur myſterium. fol.17.
Euſebij Emiſſeni de veritate corporis & ſanguinis domini apertißima ſententia. fol.78.

F

Fides ſanctæ Eccleſiæ de Eucha. fo.9.18.27.75.82.
Fidem noſtram vtile eſt exerceri in ſacramento Euchariſtiæ. fol.39. et Alge.li.2.cap.4.
Fides vt exerceri poßit et locũ habeat, hoſtia cõſecrata diuidi poteſt, non tantum ob myſterium. fo.40.
Fide multa tenemus, quæ ratione capere non poſſumus. fol.41.
Fideliter credimus prouidẽtiã Dei nequaq̃ obuiare libero arbitrio non obſtantibus fumis humanarum rationum. Ibidem. (nenda. fo.65.)
Eidei catholicæ generalis conſuetudo firmißimè te=
Fides Apoſtolica in affirmationem et negationem non ſcinditur. fol.79.
Fides tantum vna apud Deum laudabilis. fol.82
Figurata locutio quomodo ſit in verbis Chriſti, Niſi manduca etc. fol.55.

G

Generatio hoĩm in ſcrip. quadrifaria inueni ur. fo.42.

Generatio naturalis quid habeat mirabile. fo.43.
Generationem Chriſti de virgine mundus auferre conatus eſt. Ibidem.
Gregorius Papa de veritate Corporis & Sanguinis Domini. fol.22.& 24. Item 69.
Gregorij vita ab oĩbus eccleſijs ꝓbata et ſuſcepta. 74.
Ex Gregorij vita miraculum de Eucbariſtia. Ibidem.
Guitmundi laus. fol.94.197.

H.

Hæreſis Berengariana. fol.197.
Hæreſes duæ ortæ tempore D. Cyrilli de Euch. fo.16.
Hæreſis ſacramentariorum. fo.196.
Hæreticus quis ſit. fol.2.
Hæreticus quando reperiatur in communionem. fol.6.
Hæretici venantur vndecunq; verba quibus ſuos errores defendant. fol 59.
Hæreticorum arrogantia. fol.196.197.& ſequen.
Hilarij Pictauien. encomium. fol.70.
Hilarius de veritate Corporis & Sanguinis domini de Eucbariſtia. Ibidem.
Hilarij verba ex libro 8. de Trinitate copioſè tractantus. fol.70.
Hilarius credidit non vmbraticè, ſed ſubſtantiuè nos corpus Chriſti comedere. fol.73
Hiſtoriarum eccleſiaſticarum fides. fol.23.& 74.
Mira hoſtia de Sacramento altaris. fol.49.
Homo nutritus & ſeminatus in agris, non debet dici ſeminatus. fol.52.
Hæreticorum ſumma ingratitudo ſacrificare nolentium. fol 202.
Humanitatis Chriſti tota diſpenſatio talis extitit, de

qua ini=

qua inimicorum incredulitas excecaretur, & credentium fides magis augmentaretur. *fol.*47.

I

Impanatores ſuos Chriſtus confutat. *fol.*79.
Contra Impanatores & umbraticos. *Ibidem &* 111.
Impanatores nequiores nequiſsimis umbraticis. *Ibid.*
Ioannes Scotus cum Berengario damnatus in Synodo Vercellenſi. *fol.*4.
Iſychius hæreticus deprauator ſacrarũ literarũ. *fo.*10

L

Lanfrancus de Eucha. ſcripſit. *fol.*197.
Lanfrancus vir doctiſsimus artiũ inſtaurator. *fo.*30.
Lanfrancus magiſter Guitmundi. *fol.*49.
Leo papa primus de veritate corp. & ſang. do. *fo.*22.66.
Liberum arbitriũ non aufert prouidẽtia diuina. *fo.*41.
Lucianus deprauator ſanctarũ ſcripturarũ. *fo.*10.

M

Manere vel non diſcedere quid ſignificet iuxta vulgarem intelligentiam. *fol.*63.
Mãna alternabat ſaporẽ pro qualitate guſtãtiũ. *fo.*76
Manducandum corpus Chriſti & ore corporis & ore cordis, hoc eſt, corporaliter & ſpiritualiter. *fo.*17.
Miſſæ hoſtium error ſtultiſsimus. *fol.*205.
Manducare carnem Chriſti carnaliter, quomodo flagitium eſt. *fol.*54.
Memoria inſignis mortis Chriſti. *fo.*218.
In mirabilibus Dei tota ratio facti, eſt potentia facientis. *fol.* 42.
Miracula non propter fideles, ſed propter infideles fiunt. *fol.*40.
Miracula circa Euchariſtiam. *fol.*15.49.& 74.

Miracula caſſantes, aut chriſtianorum hiſtorias, aut libros ab Eccleſia receptos damnantes, inimicos Eccleſiæ ſeſe declarant. *fol.74.*
Miracula caſſare, eſt Eccleſiam auferre. *Ibid.*
Mors Chriſti *quantum fuerit ſatisfactoria.* *fol.205.*
Mortem domini annunciare quid. *fol.218.*
Mutatio panis et vini in corpus Chriſti, *non natura, ſed per Dei voluntatem fit.* *fol.34.*
Mutationem ſubſtantiuam in Euchariſtia fieri credit catholica Eccleſia. *fol.9.18.et* 82.
Mutationi huic, iuxta ſolitum curſum naturæ nulla ex toto ſimilis occurrit mutatio. *fol.41.*
Quod ſubſtantialiter tranſmutatur in aliud, in id vtiq; tranſire ſolet quod non exiſtebat prius. *Ibidem.*
Mutatio panis in hoc ſacramento fit in corpus Chriſti *quod ante exiſtebat.* *fol.41.*
Mutatio iſta quamuis abſcondita ſit à captu noſtræ mentis fide tamen tenenda eſt. *Ibidem.*
Mutationum quatuor genera. *fol.44.*
Mutatio vel tranſubſtantiatio probatur multis exemplis ac rationibus. *fol.206.et ſequent.*
Mutatur ſubſtantia panis et vini in Euchariſtia accidentibus remanentibus. *fol.77.206. et ſequent.*
Mutatur ſubſtantialiter totus panis, et totum vinum altaris dominici, per diuinam conſecrationem, in carnem et ſanguinem Chriſti. *fol.88.*

N

Naturas rerum Deum poſſe mutare, manifeſtè probatur. *fol.33.*
Natura quid ſit Platoni. *Ibidem.*
Naturā defenſātes hæretici, vim naturæ ignorāt. *Ibi.*

Naturæ

Naturæ ordo nō eſt quærēdus in hoc ſacramēto. fo.42.
Naturaliter ab Hilario pro ſubſtantialiter accipitur. fol.71.

O

Oculus carnis in mirabilibus huius ſacramēti fallitur, ſicut in pleriſq; alijs, ſed hic adhibendus eſt oculus mentis, & ad hoc apta ſimilitudo. fol.38. & 40.
Oculus carnis quem aperuit inobedientiæ cibus, claudendus eſt per hunc obedientiæ cibum. fol.40.
Omnipotentia non eſſet in Deo, niſi poſſet oĩa. fo.42.
Originale peccatum. fol.204.

P

Panis & vinum in corpus Chriſti & ſanguinem diuina virtute commutantur. fol. 6. 9. 18. & 44. 82. cum ſequent.
Panis ſubſtantiam in Euchariſtia manere nullus credit. fol.6.
Contra eos qui dicunt partem panis aut vini propter indignos immutabilem remanere. fol.85.
Quod in panem propter indignos non reuertitur corpus Chriſti. fol.87.
Panes multi & vina multa ſi conſecrentur, et ex his quis ſuſtentatus, num habebit ex iſtis egeſtionem? fol. 50.
Panis ſacratus an in ſeceſſum vadat, velle experiri nephas eſt. fol.50.
Paſtos Euchariſtia ex his habuiſſe ſeceſſum hæretici nugantur ſe experimento didiciſſe. fol.51.
Panem ſacratum auferri aliumq; non ſacratum reponi qui in ſeceſſum poßit ire poßibile eſt, dum huiuſmodi experimentum quæritur. Ibidem.

Peccare

Peccare in ſpiritum ſanctum quid. fol.86.
Pœnitentes Euchariſtia abſtinent. fol.14.
Pronomina non ſemper ſignificant ſubſtantiam ſine qualitatibus, ſed nonnunquam ſignificant qualitates, non ſubſtantiam. fol.61.
Pronomen Hoc quid demonſtret. fol.63.
Prouidētiæ diuinæ non obſiſtit liberū arbitriū. fo.41.

Q

Quæſtio nequit eſſe pro loco argumenti. fol.7.

R

Romanæ ſedis dignitas. fol.15.

S

Sacramentū quid ſignificet. fol.12.13.et Alge.li.1.c.4.
Sacramenta dominicæ menſæ quomodo poſſunt dici panis & vinum. fol.64.
Sacramenta altaris non ſunt vmbra tantum & figura dominici corporis. fol.68.
Sacramentum hoc appellatur myſterium fidei.fol.40.
Sacrificia Eccleſiæ multa. fol.197.
Sacrificium Miſſæ omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum. fol.197.
Sacrificia ſoli Deo debentur. fo..198.& ſequen.
De diuerſorum diuerſis ſacrificijs. fo.197.& ſequen.
Sacrificium iuge vſq; ad finem ſeculi. fol.214.
Sacrificium cur iteretur. fol.117.
Sacrificium idem in cruce & in altari. fol.218.
Per hoc Sacrificiū excitatur amor in Chriſtū. fo.219.
Senſus interior & mentis iudicium nonnunquam fallitur, patet in hæreticis. Ibidem.
Senſus exteriores perſæpe falli, manifeſtū eſt. fo.39.
Serpens æneus non fuit ſubſtantia Chriſti, ſed figura.

gura. fol.73
Signum & ſignatum idem. fol.218.
Similitudinis aduerbia nonſemper æqualitatem ſignificant. fol.25.
Specie gerere, dum edimus corpus Chriſti, quid ſignificet. fol.65.

T

Tranſubſtantiationem Deus vult. fol.82.
Tranſubſtãtiationem panis & vini in corpus Chriſti, vide ſupra vbi Mutatio.

V

Verbum humanum integrum poteſt ad plures deriuari. fol.37.
Verborum conſecrationis pulchra interpretatio. fol. 63.& 206.214.
Verba Chriſti æqualiter operantur, ſiue per bonos ſiue per malos miniſtros. fol.87.
Quemadmodum non vmbram prohibiti fructus primi parentes manducauerunt, & ob id perierunt: ita nos non vmbram dominici corporis edimus, vt mortem euadamus, et vitam conſequamur. fol.34.
Vox vna tota ad plures deriuatur. fol.37.& 41.

Peculiarem indicem Algeri habes ſupra fol.101.

Erratorum Catalogus.

Lanfran. FOl.13.*ſa.2.uerſu* 25. *lege, aliud in cælũ aſcen.* Fo.14.*ſa.2.uer.*30.*pio,lege.pro.* Fo 16.*uer.*1.*appa-*
Guitmun. *reret.* Fo.21.*ſa.2.uer.*26.*conſtiterit.* *Fo.25.*ſa.*1.*uer.* 21.*infirmitatis.* Fo.36.*ſa.2.uer.*16.*minutatim.* *Ibidem uer.*22.*etſi mille Miſſæ.* Fo.46.*ſa.2.uer.*16.*oculis.* Fo. 48.*ſa.2.uer.*18.*uilitate.* *Ibid uer.*2.*inanimatis.* Fo.50 *ſa.2.uer.*20.*ſtudioſius.* Fo.52.*ſa.2.uer.*4.*multicipitem.* Fo.64.*ſa.*1.*uer.*22.*pro,qua,lege quia.* *Ibid.ſa.2.uer.*23. *interpreteris.* Fo.78.*ſa.2.uer.*11.*uiſibiles crea.* Fo.83. *ſa.*1.*uer.*11.*deſiuit.* Fo.91.*ſa.2.uer.*31.*quibus nos redime-*
Algerus. *ret.* *Fo.112 *ſa.2.uer.*27.*corpus.* Fo.116.*ſa.2.uer.*30. *quum ex aliqua etc.* Fo.119 *ſa.*1.*uer.*14.*erit.* Fo.127. *ſa.*1.*uer.*2.*diſcedentibus.* *Ibid.ſa.2.uer.*19.*Sed ipſa pura ueritate.* Fo.138.*ſa.*1.*uer.*14. *uere ſit uera.* Fol 149.*ſa.* 2.*uer.*2.*effectu.* Fo.165 *ſa.*1.*uer.*9.*quam uitam ali ab eo ſper.* Fol,166.*ſa.*1.*uer.*28.*incurreret.* Fo.180 *ſa.*1.*uer.* 4.*uideretur.* Fo.188.*ſa.*1.*uer.*10.*Africa tota.* *Ibid.ſa.* 2.*uer.*15.*communioni.* Fo.191.*ſa.*1.*uer.*17.*ſacramentum*
Petr.Clu. *eorum.* *Fo.200.*ſa.*1.*uer.*30.*ſubijcerent.* Fo.212.*ſa.* 2.*uer.*6.*lapis terrenus.* *Ibid.uer.*11.*ſic nec de omni Cryſtallo hæc dixi:ſic nec de omni mont.*

Cætera doctus Lector per ſe facile deprehendet.